Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Evangelii, qvod inscribitvr secvndum Ioannem, Vndecim posteriora capita, ab historia de resuscitato Lazaro usq(ue) in finem, sexaginta novem homilijs explicata.

https://hdl.handle.net/1874/401234

EVANGELII QVOD INSCRIBITVR, SECVNdum Ioannem, Vndecim posteriora capita, ab historia de resuscitato Lazaro usq; in finem, Sexaginta nouem Homilijs explicata.

PER IOANNEM BRENTIVM.

SVMMA Euangelij, MARCI 16.

Ite in mundum uniuersum, & prædicate Euangelion omni creaturæ. Qui CREDIDERIT & baptisatus fuerit, SALVVS ERIT. Qui uero non CREDIDERIT, condemnabitur.

HALÆ SVEVORVM
Excudebat Petrus Frentius,
Anno salutis,
M. D. XXXXVIII.
MENSE Maij.

TYPOGRAPHVS

PIO LECTORI S. D.

ATIS notum esse arbitror, Candide Lector, pñs omnibus librorum sacrorum lectoribus, quanta Spiritus sancti uirtute, quantis eloquentiæ uiribus, quantaq; eruditione, Vir Clarissimus D. Ioannes Brentius, priora decem capita Diui Ioannis Apostoli & Euangelistæ, usq; ad historiam resuscitati Lazari, octoginta duabus Homilijs, explicarit & illustrauerit, ut non sit opus tanti uiri scripta commendare pluribus, quæ seipsa satis abunde laudant. Damus itaq; ad Christi gloriam, tuam & totius Ecclesiæ Christi utilitatem, reliqua undecim posteriora capita Euangelij Ioannis sexaginta nouem Homilijs, non minori cura & diligentia ab eodem optimo & pñssimo Viro D. Ioanne Brentio explicata, Quæ iamdudum summis & ardentissimis uotis, pñ Lectores & uerę Ecclesię Christi p̃sides optarunt & desiderarunt. Sed ob tẽporis iniquitatẽ & horrendam bellorũ tẽpestatem ac calamitatẽ, fuit impedita hæc ędition, quo minus ad utilitatem Christiani orbis, hactenus exire potuerit in publicum. Nunc igitur, optime Lector damus eam, licet paulo serius, at eo', ut spero gratiorem & emendatiorem, Tu ergo tam cœleste & diuinum opus & donum ambabus, quod dici solet, manibus accipe & amplectere. Et pro honore Christi Optimi Maximi, tua ac Christianorum salute, pie & fœliciter utere. Vale.



CAPVT XI.

HOMILIA I.

VM Ezechias, rex pietate clarissimus, graui ac periculoso morbo affligeretur, & acciperet diuinum nuncium, se non solum sanitatem recuperaturum, uerumetiam quindecim adhuc annos uicturum, tanta animi lætitia perfusus est, ut eam publico carmine sit testatus. Ac honestissimum quidem fuit, ꝙ rex tam grata lætitia diuinum beneficium excepit, Sed multo maiori lætitia excipienda à nobis est ea historia, quam Ioannes Euangelista de Lazaro à mortuis suscitato conscripsit. In hac enim historia adnunciatur nobis, ꝙ non tãtum corporales nostri morbi, si in Christo sumus per fidem, non sint mortiferi, sed etiam salutares, & ꝙ non simus quindecim tãtum annos, sed perpetuo uicturi. Quo nuncio nihil potest animo horroribus mortis perturbato gratius & iucundius accidere. Quare non est ullo modo committendum, ut hęc historia ex animo nostro unquàm excidat. Ægrotabat, inquit Euangelista, quidam nomine Lazarus, à Bethania de castello, Marię & Marthæ sororis eius. Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus ęgrotabat. Priusq̃ rem ipsam aggrediamur, dicenda quædam sunt de Lazaro & sororibus eius. Nam Lazarus, de quo hic fit sermo, non est mendicus ille Lazarus, qui apud Lucam ad ianuam diuitis ulcerosus iacuit, & mortuus est, priusq̃ Christus mortem subijt, sed est Lazarus Bethanien- Lazari nomẽ
sis, frater Marthę & Marię. Videtur autem nomen Lazari dictũ pro Eleazaro, quod & ipsum pro Eliezer est usurpatum. Martha uero & Maria hę sunt sorores, quarum etiam fit mentio apud Lucam, & quarum altera in administranda re familiari multum negotij habuit, altera in audienda contione Christi otium contriuit. Et Euangelista diserte dicit, hanc fuisse eam Mariam, quę Iesum unxit, & pedes eius capillis suis tersit. Quod factum Mariæ attingit nunc Euangelista paucis πρωθύστε-
tãtum uerbis, postea capite duodecimo copiosius commemoraturus. ρον.
Hęc familia excepit Iesum Christum & frequenter & libenter hospitio suo, & Iesus prosecutus est eam singulari fauore. Primum igitur, etsi Christus tam pauper fuit, ut non habuerit, ubi reclinaret caput suum, tamen uides eum sua habuisse hospitia, ad quæ diuerteret, & in quibus summa beneuolẽtia exciperetur, ac tractaretur. Cum enim pater mitteret eum in hanc terram, iussit eum pauperem esse. Ecce rex tu

us, inquit scriptura, uenit tibi iustus qdem & saluator, sed pauper, sedens super asinam, & pullum filium asinæ. Et iterum: Non est species ei neq; decor. Quod ut de passione Christi, ita & de paupertate eius, quæ est pars passionis, intelligendum est. Quare cum Christus obediuerit uocationi patris sui, & susceperit tantam paupertatem, ut ne propriam quidem domum in hac terra haberet, deus pater uicissim tantam eius curam habuit, ut quocunq; diuerteret, multorum ei ędes patuerint. Non emit in terris unam aut alteram propriam domum, ut satisfaceret uoluntati patris sui, sed pro una domo accepit omnes omnium piorum domos. Hoc Christo, inquis, contigit, mihi autem, qui Christo minime conferendus sum, non potest idem contingere. Sed audi tu uicissim. Videris enim hac obiectione ex Christo facere priuatum quendam hominem, qui suas tantum res agat, & cui non sint alij homines curæ. Longe autem aliud de Christo sentiendum est. Non enim habendus est, ut priuatus quispiam homo, sed ut publicus seruator ac redemptor. Et quod in ipso gestum uidemus, hoc etiam in ijs, qui sunt membra eius per fidem, geri debet. Suscepit ex uocatione dei paupertatem, & non possedit ullam propriam domum, Sed deus reddidit ei tot domos, quot homines pij possidebant. Quare qui est membrum Christi, & suscipit non temerario aut superstitioso affectu, sed ex uocatione dei eam paupertatem, ut malit relinquere propriam domum, q̄ aduersus deum, aut uerbum dei peccare, is tantam accipit remunerationem à deo, ut pro una domo, centum ei restituantur. Omnis, inquit, qui reliquerit domos aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitæ æternæ sorcietur hæreditatem. Et ne existimes hæc tantum ad Apostolos pertinere, considera mihi preces Christi apud Ioannem capite decimo septimo, in quibus Christus commendat deo patri suo, non tantum apostolos, sed etiam omnes eos, qui Euangelio Apostolico fidem adhibent. Non pro eis, inquiens, rogo tantum, sed & pro ijs, qui credituri sunt per sermonem eorum in me. Non igitur soli Apostoli, sed etiam omnes credentes in Christum tantę sunt curæ deo, ut pro una domo, quam ex uocatione eius relinquunt, centum recipiãt domos. Id autem non est sic intelligendum, q̄ qui unam deserit domum, recipiat centum pro more ciuilium cõtractuum, sed q̄ pro usu unius domus, quam ut obediret deo, deseruit, inueniat diuino beneficio, tam commodum usum aliarum domorum, quantum impius quispiam ne è centum quidem domibus percipiat. Quæ res cognitu quidem dignissima est, sed nõ est hic locus plura de ea re dicendi. Deinde cogita mihi, quanto periculo quantoq; sumptu constiterit Lazarum & sorores eius, q̄ excepe-

rint le-

rint Iesum hospitio. Iesus enim erat Pharisęis, penes quos fuit eo tempore summa potestas Iudaicę religionis, inuidiosus, & ab ipsis etiam proscriptus. Necesse igitur habebant Lazarus & sorores magna pericula subire, ꝙ Iesum in suam domum reciperent. Præterea Iesus nõ solebat solus ambulare, sed habebat magnum comitatum discipulorũ, quos hospitio suscipere, nõ mediocrem exigebat sumptum. Lazarus aũt & sorores eius non deterrebantur his rebus, quo minus Iesum in domum suam reciperent. Credebant enim eum esse uerum Christũ. Ego credo, inquit Martha, ꝙ tu sis Christus filius dei, qui in mundũ uenturus erat. Quare nullum officij genus prętermittunt, ut testentur erga ipsum animi sui beneuolentiam ac fidem. Christus autem compensauit eis abunde, si quid periculorum ac sumptuum nomine eius susceperunt. Quantum enim est hoc beneficium, ꝙ Lazarum iã mortuum resuscitauerit a' morte? An non hęc est illustrior dignitas in uniuersa ecclesia dei, q̃ si ornasset eũ diademate regio? Ac aliâs magnis laudibus effert Mariam, ꝙ precioso suo unguento non pepercerit, ut declararet erga ipsum fidem suam. Amen, inquiens, dico uobis, ubicunꝙ prędicatum fuerit hoc Euangelion in toto mundo, hoc quoꝙ, quod hęc fecit narrabitur in memoriã ipsius. Quid aliud autem hoc est, q̃ꝙ Marię instituere monumentum illustrius ac durabilius monumentis omnium huius terrę regum ac Monarcharum? Sed nec Martha suo commodo ac honore fraudat', quemadmodum ea quę sequuntur, indicabunt. Et hęc dicimus tantum de externis beneficijs, quę his in hoc seculo contigerunt. Quid autem dicemus de spiritualibus & perpetuis beneficijs, q̃ acceperunt propter Christum, in regno cœlesti? Hęc plura & maiora sunt, q̃ q̃ humana lingua explicare põt. Quare non pigeat nos propter Christũ & Euangelion eius pericula subire, & sumptus facere, cũ tanta sit liberalitas eius, ut non cõmittat, quin ꝙ uno aut altero incõmodo, innumera & ęterna cõmoda reddat. Sed quid? inqes, Hoccine est p̃mium amicitię? hæccine est merces hospitij? Lazarus Christo acceptissimus est: Testat' id sorores, cũ dicunt: Ecce, quem amas, ęgrotat. Testat' idem etiã Euangelista, cum postea ait: Iesus diligebat Lazarum. Christus etiam ipse tam uerbis, cum dicit, Lazarus amicus noster dormit, q̃ꝙ lacrymis, cum postea ad tumulum eius fleuit, testatus est se singulari fauore prosecutũ esse Lazarũ. Et tamen non solum conniuet & permittit, ut ęgrotet, sed etiã ut moriatur, ac fetere incipiat. An hoc est amici officium, deserere amicum in summa & extrema eius necessitate? Sed bene habet. Christus ut seruat amicã suã beneuolentiã erga Lazarũ, ita suo quodã, eoꝙ diuino consilio conniuet ad morbũ & mortẽ Lazari. Cum em̃ amicitia Christi cum Lazaro uulgata fuerit, cogitauit Christus exẽplum uniuersæ

ecclesię suę in Lazaro exhibere, ut uera amicitię ratio inter Christum & pios cognosceretur. Nam si Christus Lazarum amicum suum seruasset, ne uel morbo affligeret, uel morte interiret, an non alij pij, qui credunt Christum esse amicum suum, dubitarēt de amicitia eius, si ipsi incíderent in morbos, & pericula mortis? Nunc autem Christus permittit, ut is uir, quē summa dilectione complexus est, ęgrotet ac moriatur, quo doceat uniuersam ecclesiā, fauorem et gratiā dei haudquaq̄ posse à pijs morbo & morte tolli. Non enim discedit deus, discedēte sanitate carnali. Non abit Christus, abeunte uita corporali. Sed tunc maxime oīm p̄sto adest, et seruat, cum oīa in oculis hominum perdita uidentur. Quare hoc unum nobis curę sit, ut cum Christo amicitia cō iungamur (id quod fit per fidem in ipsum) & hanc amicitiam constāter tueamur. Christus em̄, etsi conniuet ad morbum & mortem Lazari amici sui, tñ non conniuet, ut Lazarus pereat, sed ut maiori gloria
" seruet, quēadmodum paulo post sequit. Miserunt ergo sorores eius,
" ad eum dicentes: Dñe, ecce, quem amas, ęgrotat. Magna est prudētia harum mulierculārum, & recte sciunt, q̄bus rebus animus Christi expugnetur. Mittunt enim legationem ad Christum, ac primum, nō dicunt, Lazarus ęgrotat, Sed: Quem AMAS, ęgrotat. Hoc uno amandi uerbo non solum admonent eum oīm officiorum, q̄ amicus debet amico, uerumetiā animum eius ita exuscitant, ut non possit teneri, q̄n succurrat Lazaro. Amas Lazarę, deseres ne amicum in summa eius necessitate? Negabis ne opem tuam p̄cipuo amico? Deinde, non addūt: Veni & restitue eum sanitati, Sed simpliciter exponūt ei amici necessitatem: Ægrotat, inquiunt. Quid nunc à te petatur, aut expectet, tu ipse intelligis. Discamus hoc exemplo, quid & nobis in nostris miserijs & afflictionibus faciendum sit. Si enim p̄mimur aut paupertate, aut morbo, aut p̄iculo mortis, mittenda est legatio ad Iesum Christū, Dominum deum nostrum. Mittitur aūt legatio inuocatione nominis dei. Non enim excitandi sunt mortui, qui pro nobis apud deum intercedant, sed nosipsi inuocemus deum, & hortemur eos, qui adhuc nobiscum in ecclesia uitam agunt, ut etiam ipsi nos sua inuocatione iuuent. Hęc est legatio, quę in nostris aduersis ad deum in cœlū est mittenda, qua deo pericula nostra exponamus. Ac nouit quidē deus, q̄d nobis opus sit, priusq̄ id cogitauerimus, ne dū uerbis expoſuerimus, attñ exigit deus, ut & nos nostrā indigentiam cognoscamus, & notitiam nostrā uotis ac p̄cibus declaremus. In hac igitur legatione, non est opus multiloquio. Ethnici enim sunt, qui putant se ob multiloquiū suum exaudiri, sed opus est multa & magna fide, opus est ea uidelicet re, qua animus dei expugnari queat. Hęc aūt sola est, Iesus Christus filius dei, propter quē solum deus amat hoīes, & benefacit eis. Quare

inuoca-

ſnuocaturo auxilium dei in aduerſis, neceſſarium eſt, ut credat in leſum Chriſtum, ꝙ propter hunc deus ſit propitius. Hæc autem fides ſuis etiam uerbis declarari ſolet, ut ſi quis, exempli gratia, dicat, Ecce domine, ille ego, propter quem miſiſti unigenitum filium tuum in terris, tanta premor paupertate, ut fame propemodum contabeſcam: Ecce domine, is, quem tu ſanguine tuo redemiſti, eſurit unà cum liberis ſuis. Ecce domine, quem tu morte tua redemiſti, horrore mortis affligitur. Ecce domine, cui tu promiſiſti cœlum & æternam uitam, in eum Satan unà cum ſuo inferno & damnatione graſſatur. Quid? Si hæc ex fide oraueris, putas ne deū poſſe teneri, quin te adiuuet? Montes, inquit, commouebuntur, & colles contremiſcent, miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meę non mouebitur, dicit miſerator tuus Dominus. Sed audiamus nunc, quid leſus mulierculis per legatos reſpōderit. Audiens enim leſus, dixit: Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria dei, ut glorificetur filius dei per eam. Hoc eſt unum è præcipuis dictis, q̄ in hac hiſtoria obſeruanda proponuntur. Etſi enim Chriſtus uidetur tantum loqui de infirmitate Lazari, tamen poſtea perſpicue ſignificat, ſe idem ſentire de omnium piorum infirmitatibus, cum ait: Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, uiuet, & omnis q uiuit & credit in me, non morietur in æternum: Omnis, inquit, (non Lazarus tantum) qui in me credit, uiuet in æternum. In hoc igitur dicto, quod Chriſtus reſpondet legatis ſororum, de Lazari infirmitate, longe aliter deſcribitur corporalis infirmitas, q̄ꝑ eam Moſes deſcripſit. Moſes enim docet corporalem infirmitatem eſſe pœnam peccati, quæ ſit ignominioſa & mortifera. In ſudore, inquit, uultus tui (hoc autem eſt omnium corporalium infirmitatum genus) ueſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es. Et in Deuteronomio, inter ſupplicia peccati etiam hoc enumerat: Augebit, inquiens, Dominus plagas tuas, & plagas ſeminis tui, plagas magnas & perſeuerantes infirmitates peſſimas & perpetuas. Manifeſtum igitur eſt, ꝙ iuxta Moſen, corporales morbi ſint ſupplicia peccati, ideoq; mortiferi, ac, ut ita dicam, inferniferi. Nunc autem, Chriſtus longe aliter deſcribit morbos & infirmitatem corporalem. Dicit enim eam non eſſe mortiferā, ſed ſalutarē & glorioſam. Infirmitas hęc, inquiens, non eſt ad mortem, ſed ad gloriam dei, & ut filius dei glorificetur per eam. Nunquid ergo Chriſtus arguit Moſen mendatij? Nihil certe minus: Vera dicit Chriſtus, uera dicit et Moſes, ſed alius alio ſpectat. Moſes enim non eſt expiator, ſed iudex pctōrum. Et proponit ſibi ob oculos eos hoīes, qui nondum habēt remiſſionē peccatorū, ſed adhuc ſunt pctīs obnoxij. In his hominibus infirmitas corporalis, ut eſt pœna peccati, ita affert mortē ac infernum. Chriſtus

Infirmitas corporalis

autem est expiator peccatorum, & impetrauit à deo patre suo, ut nulli eorum, qui in ipsum credunt, imputentur peccata, sed ut reputentur coram deo iusti. Vbi autem peccata non imputantur, ibi est beatitudo. Beati, inquit, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, beatus uir, cui non imputauit dominus peccatum. Quare, cum Christus definit corporalem infirmitatem non esse mortiferam, respicit in expiationem peccatorum, quam ipse fecit, & in eos, q̄ credunt, q̄ propter ipsum habeāt peccatorum suorum remissionem. In his enim, fieri non potest, quin corporales morbi sint salutares, & sint organa illustrandæ gloriæ filij dei. Nam quemadmodum nomē Iesu Christi filij dei ex hoc maxime coram omni populo illustratum est, q̄ resuscitauit Lazarum à mortuis, ita illustrabitur coram uniuerso mundo ex eo, q̄ resuscitaturus sit omnes credentes in ipsum, ad perpetuam uitam & fœlicitatem. In hac enim resuscitatione, publice declarabitur, q̄ conseruauerit pios in ipsum credentes, non solū in morbis, sed etiam in morte ipsa, ac tum uere perspicuum erit, morbos corporales non fuisse mortiferos, sed salutares, & glorioſos. Vna igitur cura, unum studium nostrum sit, ut in Christo simus, & in ipso maneamus. Sed hic perpende diligenter, q̄p male conuenire uidentur uerba Christi, cum euentu ipso in Lazaro. Christus enim nunciat sororibus, q̄ infirmitas Lazari non sit mortifera. Et hoc quidem est Euangelion sororibus acceptissimum, uide autem q̄p diuersa accidāt. Christus enim ita dissimulat, quid de Lazaro agatur, perinde ac si nullae eius rei cura afficeretur. Vt enim audiuit, q̄ ęgrotaret, tum quidē temporis mansit in eodem loco duobus diebus. Interim Lazarus non solum moritur, uerumetiam conditur in monumentum, & incipit fetere. Quomodo hic euentus cōuenit cum uerbo Christi? Sed Christus uult sorores esse contentas uerbo Euangelij sui, & interea temporis exerceri fide, donec ueniret, ac re ipsa probaret uerbi sui ueritatem. Hoc est obseruabile exemplum, quo admonemur, ut nō sinamus nos diuerso euentu à fide Euangelij Christi auelli. Christus enim reuelauit & comprobauit Euangelion suum per spiritum sanctum. Sed multa solent Euangelio eius cōtraria accidere. Promisit in Euangelio suo purgationem à peccatis, & iustitiam, sed sordes peccati adhuc inhærent carni, Promisit rerum omnium benedictionem, sed omnia maledictionum genera imminent, promisit cœlestes diuitias, sed grauissima nos premit paupertas, adnunciat nobis sanitatem, sed ecce tibi diuturnos morbos, adnunciat uitam, sed ecce mortis omnia plena. Quid igitur sentiamus? quid faciamus? Oportet nos contentos esse uerbo Euangelij, & quod ad Paulum dicitur, Sufficit tibi gratia mea, idem sciamus & ad nos dici, Sufficit uobis Euāgelion meum. Etsi ēm nunc omnia contraria apparent, tamē primum, nihil est certius ueritate Eu-

uãgelij Christi, deinde uisum est deo, ut aliquãdiu fide exerceamur, donec reipsa reueletur, quod uerbo promissum est. Nã in hunc usum constitutus est dies diuini iudicij, ut tunc reipsa accipiamus, quod nũc fide tm̃ apprehendimus. Cernimus nunc, inquit Paulus, per speculũ in ęnigmate, tunc autem facie ad faciem, nunc cognosco ex parte, tunc uero cognoscam quemadmodum & cognitus sum. Et Ioannes: Nunc filij dei sumus, & nondum apparuit, quid futuri sumus, Scimus autẽ, qm̃ si apparuerit, similes ei erimus, quoniã uidebimus eum sicuti est. Quare non moueamur aduersis, ut abijciamus fiducią, quam deus exigit, sed intueamur animo nostro in ueritatem ac certitudinem Euangelij Christi, ut q̃ credimus, suo tempore percipiamus. Deinde post hoc dicit discipulis: Eamus in Iudęam iterum. Dicũt ei discipuli: Rabbi, modo q̃rebant te Iudęi lapidare, & iterum uadis illuc? Videq̃ prępostere res agatur. Discipuli docent pręceptorem, & iustificatur, quemadmodum Christus aliâs dicit, sapientia á filijs suis. Reprehendunt enim Iesum, qp cum paulo ante uix euaserit insidias Iudæorum, nunc se iterum in pericula temere conijcere instituerit. Sed uicissim et ipsi reprehenduntur. Respondit enim Iesus: Nõne duodecim sunt horę diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucẽ huius mundi uidet. Si quis autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. Hęc est similitudo á die sumpta, qua Iesus refutat consilium & sententiam discipulorum. Videbatur enim ipsis non esse redeundum in Iudęam, ne Iesus a Iudęis interficiatur. Docet igitur Iesus hac similitudine, nihil esse periculi hoc quidem tempore metuendũ. Nã dies habet in unaquaq; regione suam certã periodum, suos horarum fines & terminos, quos insequitur postea nox. Non enim perpetuus est dies, in his regionibus, in quibus homines commode habitare solent, sed quemadmodum scriptura ait: Cunctis diebus terræ, æstas & hyems, nox & dies non requiescent. Et iterum: Fecit lunam in tempora, sol cognouit occasum suum, posuisti tenebras, & facta est nox. Etsi aũt in alijs regionibus alia sunt dierum & noctium discrimina in hyeme & ęstate, tamẽ in vere & autumno dies est, sicut & nox, duodecim horarum, & quo regio propius accedit ad circulũ ęquinoctialẽ, (qua lis est terra Canaan, si cõferatur ad nostrã Germaniã) eo diutius dies solet duodecim esse horarę. Quare q̃d Christus dicit, Nonne duodecim sunt horę diei? loquit̃ de sua, in qua ipse uitã agebat, regiõe, & de eius regiõis cõsuetudine, qua dies in duodecim tm̃ horas diuidebat. Vocat̃ autem dies, id tempus, quo sol supra nostrum hemisphęrium circumfertur. Itaq;, si quis hoc tempore susceperit profectionem, non facile offendit pedem suũ ad lapidem, propterea qp habeat lucem huius mundi, quæ est sol, prælucentem. Quod si autem susceperit profe

Elevatio poli in Hierusalẽ 32. graduum, in Germania alicubi 48. alicubi 49. alicubi 50. graduum.

ctionem eo tempore, quo sol occidit, & nox est, uix fieri potest, quin in tenebris offendat, cum non habeat solem prælucentem. Habes rem ipsam, à qua Christus sumit similitudinem suam. Videamus igitur nunc, quomodo ad institutum eius accommodetur. Dies enim est tempus uocationis, seu tempus ministerij, quo defungendo Christus in hanc terram à deo patre suo missus est. Duodecim horæ sunt certa periodus huius ministerij. Christus enim non est missus in hãc terram, ut perpetuo in ea corporalem ageret uitam, & semper concionaretur Euangelion suum in humana carne, sed ut impleto ministerij & uocationis suæ tempore, iterum ad patrem reuerteretur per mortem. Itaq; hoc definitum à deo patre tempus, dicitur dies duodecim horarum, Tempus autem, quo suscipienda erat crux et mors, uocatur nox, seu tenebræ. Hæc, inquit, est hora illa uestra, & potestas tenebrarum. Quod ergo Christus dicit, hanc habet sententiam, Nolite metuere, ne hoc tempore aliquid mali mihi accidat, etiamsi redeamus ad Iudæam. Nã quemadmodum dies habet suam lucẽ certo tempore, quo si quis ambulat, non offendit, quia sol cuncta sua luce lustrans & complens, facit ut offendicula caueat, Si autem sol occiderit, & tenebræ fiant, non habet iam lucem, quæ illustret uiam, ut offendicula cauere possit, ita certum est tempus meæ uocationis, & mei ministerij in terra. Quod si completum fuerit, moriendum certe mihi erit, etiamsi non rediero in Iudæam. Si autem nondum fuerit completum, non possunt me interficere Iudæi, quia ambulo adhuc in die ministerij mei, quo sol diuinæ protectionis ita prælucet mihi, ut etiamsi omnes omnia consilia & uires suas in unum conferrent, non tamen possent me uel lapidibus obruere, uel in crucem sustollere, uel alio genere mortis perdere. Quod Christus de suo ministerio, ac sui diei opere concionatur, idẽ sentiendum est de omnibus piorum hominum ministerijs. Vnusquisq; enim piorum hominum habet suum ministerium in hac terra, & suum diei opus, ad quod diuinitus uocatus est. Etsi autem tempus durationis huius ministerij hominibus ignotum est, tamen non est perpetuum in hac terra, sed certa est periodus, certus est finis eius coram deo. Breues, inquit, dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est, Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Et iterum: Vestri etiam pili capitis omnes numerati sunt. Quid? Ergonè, quia tempus uitæ & ministerij nostri in terra, certo apud deum constitutum est, licebit quæuis pericula temere subire? Quid enim iuuabit prouidentia, si tempus est completum? Quid nocebit temeritas, si tempus nondum est completum? Sed q̃ de constituta apud deum certitudine nostræ uitæ ac ministerij commemorantur, non eo dicuntur, ut imprudenter & incogitanter res aggrediamur, & peri-

pericula temere ſuſcipiamus, ſed ne metu periculorum à uocatiõe noſtra ſectanda deterreamur. Etſi enim certum eſt tempus miniſterij noſtri, tñ prodeſt prouidentia, quia uocatio dei eſt, ut prudenter pericula caueamus. Eſtote, inquit, prudentes ſicut ſerpentes, nocet aũt temeritas & ſtultitia, quia deus abominat eam. Itaq; oĩa pericula ſunt prudenter cauenda. Sed ſi talis caſus inciderit, ut aut prætermittẽdum ſit officium ac miniſterium, ad quod uocatus es diuinitus, aut ſubeunda ſint pericula, tunc non debemus metu periculorum officium noſtræ deſerere. Quid enim metuis? num exilium? Sed Dñi eſt terra ac plenitudo eius. Num mortẽ? ſed qui occidunt corpus, animam nõ poſſunt occidere, imo ne corpori quidem nocere poſſunt, ſi nondum fuerit eis datum é cœlo. Quare pergendum eſt in uocatione dei magna fiducia, ut quicquid acciderit, inueniamur à Dño in officio obedientiæ, & conſequamur ab eo auxiliũ & ſalutẽ, per Ieſum Chriſtũ Dñm noſtrũ, qui eſt una cum ſpiritu ſancto deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA II.

EXpoſuimus ex Euangelio, quod Ieſus Chriſtus ſororibus Lazari nunciauit, quid ſit corporalis infirmitas. Dixit enim: Infirmitas hęc nõ eſt ad mortem, ſed pro gloria dei, ut filius dei glorificetur p eã. Exponamus nunc quid ſit mors corporis. Quę res cognitu tam neceſſaria eſt, q̃ communis eſt mors omnibus hominibus. Semper enim mors nobis impendet, & q̃ primum nati ſumus, ad mortem tendimus, ac tanta eſt mortis tyrannis, ut cum in hominem graſſari inſtituit, nemo eſt, qui eam uel precibus placare, uel uiolentia repellere queat. In morte enim non poteſt maritus uxori, non uxor marito, non parentes liberis, non ſerui dominis ſubuenire. Pone tibi ob oculos Monarcham huius terræ poteſtate mortis arreptum. Non eripiunt eum milites, non equites, non ciues, non amici, ac ne habet quidem, qui comitetur ipſum, ſed neceſſe habet ſolus in tenebras mortis ingredi. In hiſtorijs Gentium adnotatum eſt, q̃ Scythę, poſtq̃ rex ipſorum e uita exceſſit, ſtrangulauerint unam ex uxoribus eius, ac ſimul cum ipſo & uxore ſepelierint, pincernam, coquum, equi curatorem, quem nunc Marſcalcum uocant, nuncium, & equos. Ac reuoluto anno, occiderint quinquaginta ingenuos, totidemq̃ equos. Hęc fuit immanis crudelitas, & tamen habuit apud has gentes ſpeciẽ prudentię & pietatis. Voluerunt eñ, quẽadmodum coniecturis aſſequi licet, hoc more, partim uiuentis regis incolumitati conſulere, ut cum pincerna, coquus & alij miniſtri ſcirent ſibi una cum rege moriendum eſſe, tanto diligentius ſalutem regis tuerentur, quanto cariorem ſuam haberent ſalutem, partim uoluerunt

Herodotus ἐν μελπομένῃ.

defunctum regem comitibus & ministris iuuare. Sed hac opinione nihil fuit uanius aut stultius. Non enim iuuatur moriens, ne si decem quidem myriadas hominum una cum ipso occideres. Nam tenebræ mortis crassiores sunt, q̄ ut in ipsis alter alterum uel agnoscere, uel manum porrigere & tenere possit. Quare necessarium est, ut rectam de morte cognitionem assequamur, quo tenebras eius intrepide subire queamus. De hac autem re audiendus est Iesus Christus Dominus
» noster, qui solus nos in morte seruare potest. Hæc ait, & post hęc di-
» cit eis: Lazarus amicus noster dormit, Sed uado ut à somno excitem
» eum. Etsi Iesus loquitur hic de Lazari tantum morte, quam uocat somnum, tamen postea, cum dicit: Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuit, definit generaliter mortem esse somnum. Nã q̄ hic ait: Lazarum dormire, manifestum est ex ijs, quæ mox sequuntur, q̄ loquatur de morte. Ergo Iesus Christus unigenitus filius dei, qui est ueritas ipsa, mortem uocat somnum. Videamus igitur, quid sit somnus, ut & intelligamus, quid sit mors. Somnum autem res ipsa declarat esse dulcissimam quietem, & perfugium omnium laborum ac sollicitudinum. Nec est talis res, quam homines detestentur & fugiant, sed quam post multas & uarias diei molestias sibi contingere optant, & ad eam capessendam festinent, ut somno recreati, alacriores & uegetiores ad sua studia & negotia redeant. Duo tantum hominum genera sunt, qui ęgre ad capiendum somnum abeunt. Alterum, Pueri, qui ignorant commoditatem somni. Alterum, helluones, qui cum sciant se post somnum propter crapulam & ebrietatem capite dolere, malunt uino q̄ somno indulgere. Alij autem homines recipiunt se cubitum magno desiderio, & res suas q̄ citissime possunt, peragunt, ut in tempore se ad capiendum somnum componãt. Cum igitur Christus mortem uocet somnum, manifeste docet, q̄ mors non sit interitus, sed perfugium laborum, & iucunda quies, per quam recipias te ad ueram fœlicitatem. Definierunt etiam Ethnici mortem non esse interitum omnia tollentem atq̄ delentem, sed quandam quasi migrationem cõmutationemq̄ uitæ. Hanc autem sententiam de morte, à patriarchis traditam, & ad Ethnicos usq̄ uulgatam, gentes nec serio agnouerũt, nec constanter seruârunt. Ignorauerunt enim ueram causam mortis, quæ est peccatum, ignorauerunt etiam uerum autorem uitę, DñM nostrũ Iesum Christum. Quare doloribus & terroribus mortis comprehensi, non potuerunt ullam in morte sperare salutem. Nam si mortem iuxta naturam suam consideraueris, non est nisi interitus oẽm fœlicitatem tollens. Mors enim intrauit in mundum per peccatum. Vbi autem est peccatum, ibi est perpetuus interitus. Reliquum igitur est, q̄ si de mortis natura iudicaueris secundum peccatum, fieri non

Somnus q̄d sit.

Mors q̄d sit.

potest,

poteſt, quin ſentias mortem afferre internitionem, & eſſe uiam ad infernum. Sed bene habet: Ieſus Chriſtus expiauit peccatum, & ſatisfecit deo patri pro peccato. Qua ex re factum eſt, ut tam in ipſo, q̄ in omnibus, qui fiunt membra eius per fidem, cōmutata ſit natura mortis. In Ieſu enim Chriſto mors non eſt interitus, ſed ſomnus, non eſt uia ad infernum, ſed uia ad cœlum. Abſorpta eſt, inquit, mors in uictoriam. Vbi tuus, mors, aculeus? ubi tua, inferne, uictoria? Et iterū: Per mortem aboleuit eum, qui mortis habebat imperium, hoc eſt, diabolum, ut liberos redderet eos, quicunq̄ metu mortis per omnem uitam obnoxij erant ſeruituti. Quare, cum alia ſit natura mortis, per peccatum, alia per Chriſtum, & nos credimus, q̄ habeamus propter Chriſtum remiſſionem peccati, non debemus mortem ſecundum eā faciem, quam habet ex peccato, ſed ſecundum hanc, quam habet ex Chriſto, intueri. Deinde cum Chriſtus mortem uocet ſomnum, & recipiat ſe Lazarum à ſomno, hoc eſt, à morte excitaturum, haud obſcure ſignificat, q̄ ſeruiliter, q̄ impotenter mors ſit poteſtati ipſius ſubiecta. Homo excitat hominem à ſomno, una aut altera uoce, aut manuum concuſſione, aut leui quodam ſtrepitu. Multo facilius Ieſus Chriſtus excitat hominem à morte, Lazarum uno aut duobus uerbis uocabit, & continuo egredietur uiuus è monumento. In nouiſſimo die deſcēdet cum hortatu & uoce archangeli, ac tuba dei. Quid fiet? Nulla bellica tuba tam facile poteſt milites ad capienda arma excitare, q̄ illa Chriſti tuba omnes mortuos homines excitabit. Dixit quondā, Germinet terra herbam uirentem, cum nulla prorſus herba eſſet, & continuo terra germinauit herbas omnis generis. Sic cum dicturus eſt ad terram, Redde mortuos tuos, quomodo terra non obediret? Iudicandum igitur eſt de morte, & excitatione à morte, non ſecundum humanam imbecillitatem, ſed ſecundum diuinam potentiam & maieſtatem. Dixerunt ergo diſcipuli eius: Domine ſi dormit, ſaluus erit. Dixerat autem Ieſus de morte eius, at illi putauerunt, q̄ de dormitione ſomni diceret. Fieri enim aliquoties ſolet, ut ſomnus in ijs, qui aduerſa ualetudine laborant, ſignum ſit futuræ ſalutis aut ſanitatis. Nec ingratus erat hic ſermo diſcipulis, non tam propter Lazarum, q̄ propter ipſorum tranquillitatem. Sperabant enim fore, ut Ieſus non ſuſciperet profectionem in Iudæam, ſi Lazarus dormiret: Si dormit, inquiunt, ſaluus erit. Somnus inditium eſt ſanitatis mox ſecuturæ. Quid igitur neceſſarium eſt, ut tu abeas in Iudæam, & conijcias te & nos in pericula? Vides metum diſcipulorum. Miranda autem res eſt, quòd cum diſcipulis nullum unquam incommodum acciderit, cum eſſent apud Ieſum, & Ieſus paulo ante promiſerit eis ſecuritatem, non tamen adhibuerint ei firmam fidem. Sed hæc eſt

natura humani ingenij, quę magis ponit ſibi ob oculos uarietatem hu
manorum caſuum, q̃ ueritatem Euangelij, & potentiam Chriſti. Por
ro Chriſtus non patitur diſcipulos in hac de ſomno ſententia errare,
ſed exponit eis aperte quid uelit, ut reddat eos ad miraculum attentio
» » res. Tunc ergo Ieſus dixit eis manifeſte: Lazarus mortuus eſt. Et gau
» » deo propter uos, ut credatis, q̃ non fuerim ibi, Sed eamus ad eum.
His uerbis docet Ieſus, quo cõſilio ſuſcipiat ędenda miracula, & quis
ſit uſus miraculorum eius. Gaudeo, inquit, q̃ non fuerim ibi, ut cum
paulo poſt quatriduanum à morte reſuſcitauero, cognoſcatis ueritatẽ
miraculi, & credatis meo Euangelio. Apoſtoli enim in hunc uſum e
lecti ſunt à Chriſto, ut eſſent teſtes doctrinę eius in toto orbe terrarũ.
Doctrina autem confirmatur miraculis. Sed ſunt etiam falſa ac uana
miracula magorum, & impoſtorum, quę magis ſunt oculorum illuſi
ones q̃ miracula. Chriſti autem miracula ſunt uere cœleſtia, & diui
na miracula. Quare Chriſtus hoc agit, ut apoſtoli ipſius non ſolum
uideant miracula ipſa, uerumetiam cognoſcant circumſtantias eorum,
quo probe ſciant, non eſſe impoſturas, & oculorum illuſiões, ſed cer
tiſſima & ueriſſima miracula. Gaudeo, q̃ non fuerim ibi. Ex hoc ẽ
cognoſcetis ueritatem huius miraculi, quod paulo poſt ęditurus ſum
in Lazaro. Scitis me hoc tempore non fuiſſe Bethaniæ. Et tamen ui
deo Lazarum eſſe mortuum. Deinde, cum eò uenerimus, reipſa com
perietis, eum uere eſſe mortuum, & iam quatriduanum in monumen
to. Poſtea uidebitis coràm, me uno tantum & altero uerbo excitaturũ
ipſum à morte. Videbitis ipſum è monumento uiuum proditurum.
Has & alias circumſtãtias miraculi obſeruate, ut cognita miraculi cer
titudine teſtificemini de męę doctrinę ueritate. Hoc enim omnia mea
miracula ſpectant, ut meum Euangelion confirmetur. Sed de miracu
lorum Chriſti ratione ſępe ante diximus. Nunc priuſq̃ proficiſcamur
» » cum Chriſto in Iudęam, audiamus, quid Thomas interloquatur. Di
» » xit ergo Thomas, qui dicitur didymus, (Quem enim Hebręi uocant
» » Thom, eum Greci uocant Δίδυμον, Latini Gemellum) ad diſcipulos:
Eamus & nos, ut moriamur cum eo. Hęc uerba etſi intelligi poſſunt,
q̃ ſint ſerio dicta à Thoma, & q̃ exhortetur his collegas ſuos, ut in
trepide cum Chriſto proficiſcãtur, etiamſi cum ipſo moriendum ſit,
tamen ſi conferamus ea cum ingenio Thomæ, quod aliàs, etiam poſt
reſurrectiõem Chriſti prodidit, cum ait: Niſi mittam manum meam
in latus eius, nõ credam, apparet eum loqui ironicõs, & quod dicit:
Moriamur cum eo, de Lazaro, non de Chriſto intelligere, ut hic ſit
ſenſus. Noſter prędeptor dicit ſe excitaturum Lazarum iam quatridu
anum à morte. Sed quid? num creditis eum hoc aut facturũ, aut facere
poſſe? Quin ſi creditis, agite, abeamus ad Lazarum, & moriamur
unà cum

Miraculorũ Chriſti certitudo.

תאום *Gemellus.*

unà cum ipso, ut etiam cum ipso à morte excitemur. Ego uero, ut uobis plane dicã, quod sentio, à nullo hominum induci possum, ut credam, ꝙ noster ille præceptor reuocaturus sit Lazarum, (si modo uere mortuus est) ad uitã. Credat hoc inter uos, qui uolet, ego certe nõ credam. Hanc sententiam de incredulitate Thomę, uerisimilem facit ea incredulitas, quam prodidit de seipso in resurrectione Christi. Ob secro autem te, quid est, ꝙ Christus tam incredulum & indocilem discipulum secum tulit? Non est id absq; diuino consilio factum. Primum enim Christus tolerauit in discipulorum suorum numero tam incredulum peccatorem, ut cognosceremus eum uenisse propter peccatores, non quidem ut in peccatis manerent, & peccare pergerẽt, sed ut consequerentur propter ipsum remissionem peccatorum, & darent operam, ne peccatum in mortali suo corpore regnaret. Nam & Thomas hoc consecutus est, quemadmodum Apostolica scripta testantur. Deinde tolerauit incredulum Thomam, ut hac occasione ueritas Euangelij & miraculorum eius magis confirmaretur. Nam quemadmodum Christus non elegit sapientes huius mundi, aut eloquentes & oratores huius seculi, aut potentes externa dominatione, in Apostolos suos, partim, ne gloriaretur, ut Paulus ait, ulla caro in conspectu dei, partim ne posteritas existimaret illos orationis fuco ac splendore impositisse maioribus, aut hos coëgisse uiolẽter maiores nostros, ut susciperent religionem de Christo, ita elegit Thomam in Apostolum, uirum nec stultum, nec simplicem, nec credulum, qui temere quibusuis dictis aut factis, pro puerorum more, fidem adhibeat, sed durum, difficilem, agrestem, qui nihil crediderit, nisi data, ut dici solet, fide in manum. Nam si quis hoc ingenio præditus fuerit, facile intelligi potest, eum non nisi cognita & perspecta testificari. Cum igitur Thomas uir minime credulus dixerit postea unà cum alijs apostolis testimonium de doctrina, de miraculis, de resurrectione, & de regno Domini nostri Iesu Christi, dubium non est, quin hęc omnia probe cognouerit, ut testimonium eius tanto maius autoritatis pondus habeat, quanto minus antea credulus fuerit. Sed pergamus ad reliqua. Venit itaq; Iesus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. Hoc commemorat Euangelista, ut doceat Lazarum uere fuisse mortuum, & ut miraculum, quod paulo post in Lazaro æditum est, magis illustretur. Recẽsentur quidem nonnulli ab Ethnicis, qui elati reuixisse dicuntur. Sed alij nondum uere mortẽ obierant, de alijs incerta est autorum, qui ea prodiderunt, fides. A seculo autem nũquam auditum est, ꝙ homo uere mortuus, aliquot iam diebus in monumento conditus, redierit ex uocatione hominis ad uitam. Non ignoro hominem mortuum proiectum in sepulcrum prophetæ Elizęi, mox ta-

Thome incredulus.

Phi. Lib. 7. cap. 13.

4.Reg.13. ctis ossibus eius, reuixisse. Sed manifestum est, ꝙ ut hoc miraculum ita & illud superat omnes humanas uires, ac fieri non potest, quin u trunqꝫ diuina potentia factum sit. Quare quemadmodum hoc Elizęi miraculũ, ꝙbauit ueritatẽ uaticiniorꝫ eius, ita et illud, q̃d Iesus in Lazaro ędidit, cõfirmat doctrinã Euangelij eius. Docuit aũt Iesus, se nõ talẽ esse prophetã, qualis fuit Elias, aut Elizęus, sed esse prophetarꝫ dominum, de quo alij prophetę sint uaticinati, uerum Messiam, uerꝫ deum ac seruatorem nostrum. Cum igitur excitauerit à morte Lazarꝫ quatriduanum, sentiendum est in Iesu Christo aliquid homine augu stius esse, hoc est, ipsum & uerum esse hominem, & uerum deũ. Sed

» » de his fortassis postea, nunc percurramus ea quę sequuntur. Erat autẽ
» » Bethania iuxta Hierosolymam fere stadijs quindecim, multiqꝫ ex lu
» » dęis uenerant ad Martham ac Mariam, ut consolarentur eas de fratre
» » suo. Vt nos in mensurandis locorum interuallis utimur miliaribus, i
ta ueteres ludęi & Greci usi sunt stadijs. Sic supra dictum est, discipu
Ioannis 6. los remigasse ferme stadia uiginti quinqꝫ aut triginta. Et in Luca, E
maus abest ab Hierosolymis spacio stadiorum sexaginta. Octo autem
stadia faciunt unum miliare Italicum, (hoc est, mille passus) quartem
autem partem miliaris Germanici. Itaqꝫ quindecim stadia, quibus Be
thania à Hierusalem distabat, faciunt duo pene miliaria Italica, dimi
dium aũt fere miliare Germanicum. Cæterum, ꝙ multi ludęi uene
rint è Hierusalem ad Bethaniam, ut consolarentur Mariam & Mar
tham, non obscure indicat, hanc familiam fuisse nobilitate & diuitijs
illustrem. Sic enim in hoc seculo fieri solet, ut nobilium ac diuitũ fu
nera sint frequẽtissima, & tamen inter hos oẽs consolatores non erat,
qui potuerit uel Lazaro mortuo, uel sororibus adhuc uiuentibus ali
quid firmi solatij & auxilij afferre, donec uenit Iesus Christus, qui ut
certam affert salutem, ita etiam hac turbę frequentia bene ad testimo
nium miraculi sui utitur. Audiamus igitur nunc colloquium Iesu cũ

» » Martha, ut postea ad spectaculum miraculi accedamus. Martha ergo,
» » ut audiuit, ꝙ Iesus uenisset, occurrit illi. Maria uero domi desidebat.
» » Dixit ergo Martha ad Iesum: Dñe, si fuisses hic, frater meus non fu
» » isset mortuus. Sed & nũc scio, ꝙ quęcunqꝫ poposceris à deo, daturus
» » tibi sit deus. Martha uidetur quidem pie loqui, ac recte de Iesu crede
re, nondum autem intelligit fidem suam. Nam credit, quemadmodũ
postea sequitur, ꝙ hic Iesus sit uerus Messias seu Christus, filius dei,
quem prophetæ in hunc mundum uenturum promiserunt. Qui au
tem hoc de Iesu credit & recte intelligit, is certe credit Iesum non so
lum esse hominem similem prophetis,, aut aliquãto excellentiorem,
sed etiam credit eum esse uerum ab ęterno deum, credit quoqꝫ quod
consequitur, eum non posse tantum extrinsecus præsentem & inuisi

bilem ſubuenire miſeris. De Meſſia enim dictum eſt: Benedictus Dominus deus Iſrael, qui fecit mirabilia ſolus. Et benedictum nomen maieſtatis eius in æternum, & replebitur maieſtate eius omnis terra. Pſalm. 71.

Et iterum: Nunquid non ego Dominus, & non eſt ultra deus abſque me? Deus iuſtus & ſaluans non eſt præter me. Conuertimini ad me, & ſalui eritis omnes fines terræ, quia ego deus, & non eſt alius. Hæc & id genus multa de Meſſia dicta ſunt. Quare qui credit hunc Ieſum eſſe Meſſiam, & recte intelligit hanc fidem, credit etiam eum eſſe uerum Dominum deum noſtrum. Martha autem etſi agnoſcit Ieſum pro uero Meſſia, tamen cum dicit: Si fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus. Et addit: Scio, q̃ quæcunq̃ popoſceris à deo, daturus tibi ſit deus, non obſcure ſignificat, ſe nondum intelligere eum uere eſſe deum, ſed eſſe hominem reliquis quidem hominibus, aut etiam prophetis excellentiorem, cuius precibus deus nihil neget, duntaxat tamen hominem, non item deum ipſum. Quare Chriſtus ſuſcipit eam erudiendam, ut quod credit, recte etiam intelligat. Et dicit illi: Reſurget frater tuus. Hæc pauca quidem ſunt uerba. Sed quibus Chriſtus res maximas ſignificat. Primum enim promittit Lazarum à morte excitandum, q̃d confeſtim fuiſſet Marthæ gratiſſimũ, & iucundiſſimum Euangelion, ſi recte intellexiſſet. Deinde tanta autoritate hæc uerba loquitur, ut non obſcure ſignificet, q̃ ſua ipſe potentia excaturus ſit Lazarum à morte, quemadmodum ſtatim ea exponit. Sed Martha nondum intelligit hoc Euangelion, ideoq̃ dicit ei, Scio q̃ reſurget in reſurrectione in nouiſſimo die. Queſo te, obſerua mihi, quid ſit Euangelion Chriſti non recte intellectum audire. Martha putat Chriſtum miſeriæ & calamitati ipſius illudere. Quod enim dicit, hanc habet ſententiam, Speraui in tantis meis afflictionibus tuam præſentem opem, ſed ut uideo, ludis me, & reiicis me ac fratrem meum in extremum diem. Ego uero mallem, ut frater meus, hoc tempore, uita frueretur, q̃ ut tamdiu in puluere terræ abſq̃ omni rerum ſenſu putridus iaceret. Idem fere ſolent iſti reſpõdere, qui aut calamitatibus preſſi, aut iniurijs affecti iubentur bene ſperare, q̃ deus uindicaturus ſit populum ſuum, & liberaturus ex omnibus miſerijs. Sed quando hæc erunt? inquiunt, Tu concionaris mihi de diuino auxilio, quod in extremo neſcio quo die uenturum eſt. Quis autem me interea temporis ſeruat? quis liberat? His uerbis ſignificant homines, ſe audiuiſſe quidem nonnulla de extremo iuditio dici, hoc autem protrahi longius, q̃ ſuæ ſit ſaluti conſultum, Se enim neceſſe habere interea temporis perire. Scilicet pereunt homines nomen dei inuocantes, cum moriuntur? Sic quidem humanæ rationi uidetur, Domino autem deo noſtro multo aliter uiſum. De qua re Chriſtus mox a-

perte concionabitur. Nam quod ad Martham attinet, recte ſentit, q̃ futura ſit generalis reſurrectio mortuorum in nouiſſimo die. Sed plurimum errat, q̃ exiſtimat Lazarum interea temporis perñſſe, ac non habere ueram in deo uitam, etiamſi carne mortuus ſit. Quare Chriſtus reprehendit errorem eius, & dicit ei: Ego ſum reſurrectio & uita. Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, uiuet. Et omnis, qui uiuit & credit in me, non morietur inæternum. Hæc eſt memorabilis contio, digna quæ non atramento, ſed auro ſcribatur, & quæ non humana, ſed angelica uoce adnuncietur. Non enim continet tantum uniuerſum Euangelion de Chriſto, ſed etiam eſt ſcopus, quem ſpectat, & quo tendit ſcriptura totius Veteris ac noui Teſtamenti. Et hoc illud Euangelion eſt, de quo Paulus dicit, q̃ ſit potentia dei ad ſalutem omni credenti. Quare tanta diligentia percipiendum eſt, ut etiam ad uerbum ediſcamus. Sed ut ſententiam eius recte intelligamus, errores Marthæ iterum in medio ponendi ſunt. Martha enim pauca uerba collocuta eſt cum Chriſto, ſed magnos protulit errores. Alter eſt, q̃ etſi credit leſum eſſe uerum Meſſiam, ſeu Chriſtum, tamen non credit eum eſſe uerum deum, ſed tantum inſignem & excellentem miniſtrum dei, quales olim prophetæ fuerunt. Alter eſt, q̃ ſentit Lazarum fratrem morte ſic perñſſe, ut nunc minime uiuat, donec in nouiſſimo die iterum reſuſcitetur. Hos errores refutat leſus Chriſtus, & docet non ſolum, quid de ipſo, ſed etiam quid de omnibus credentibus in ipſum ſentiendum ſit. Ego ſum, inquiens, Reſurrectio & Vita, hoc eſt, Non ſum talis miniſter reſurrectionis, qualis olim fuit Elias, aut Elizæus, qui & ipſi excitarunt mortuos, aut qualis fuit Ezechiel, qui de uita aridorum oſſium uaticinatus eſt, Sed ſum Reſurrectio ipſa, hoc eſt, deus ipſe, qui non ſolum excitaturus ſum mortuos in nouiſſimo die, ſed & hoc tempore mortuos uno uerbo excitare poſſum. Nec ſum adminiſtrator tantum uitæ, uel ſpiritualis, ſicut prophetæ adminiſtrant hanc uitam ſua prædicatione, uel corporalis, ſicut parentes, ſed ſum uita ipſa, hoc eſt, Deus ipſe, qui non ſolum tribuo omnibus animantibus uitam corporalem, uerumetiam conſeruo eis ad ſuum uſque tempus hanc uitam, pios autem conſeruo ad uitam æternam. Ego is ſum, qui per Eliam & Elizæum excitaui mortuos. Ego is ſum, qui per Oſeam dixi: De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: Ero mors tua o mors, morſus tuus inferne. Ego is ſum, qui per Ezechielem dixi, Ecce ego aperiam tumulos ueſtros, & educam uos de ſepulcris ueſtris populus meus. Ego denique is ſum, qui cum patriarchæ Abraham, Iſaac & Iacob in oculis hominum mortui eſſent, dixi ad Moſen, Ego ſum deus patris tui, Deus Abra-

Ezech. 37.

Oſeæ cap. 13.

Abrahã, deus Isaac, & deus Iacob. Quid ergo? Cum ego uocauerim me hoꝝ patriarcharum deum, siccine mortui fuerunt, ut nullo modo uiuerent? Absit. Non agunt uitam in oculis hominum, sed agunt uitam coram deo. Deus enim non est deus mortuorum, sed uiuorum. Et ut manifestum sit, ꝙ non solum patriarchę, uerumetiam omnes pĩj uiuant, etiam post mortem, addit Christus hoc loco: Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuit. Et, OMNIS qui uiuit, & credit in me, non morietur ĩeternum. Duos ponit ordines: Alterum uiuentium, in hoc uidelicet seculo. Alterum, mortuorum. Et affirmat utroscꝫ, si in ipsum crediderint, uiuere. Omnis, inquiens, qui uiuit, hac uidelicet corporali uita, & credit in me, nõ morietur ĩeternum. Ex hoc sequitur & illud prius, ꝙ qui credit in Christum, uiuat, etiamsi mortuus fuerit. Hoc certe nihil aliud est, q̃ꝫ si dixisset, Omnes mortui, qui in me crediderunt, uiuunt, & Nullus uiuens uncꝫ morietur, si in me crediderit. Itacꝫ credentes in Christum semper uiuũt, siue adhuc corporalem agant uitam, siue mortui fuerint. Quid hoc Euangelio nobis iucundius & gratius adnunciari posset? Quid item hoc Euangelio uerius, ac certius? Nam Christus, quemadmodum ante exposuimus, est Resurrectio & uita ipsa. Qui autem credunt in eum, & confidunt eo, fiunt membra eius per fidem, & adoptantur p ipsum in ius filiorũ dei, ut quod ipse est natura, credentes fiant adoptione. Omnes, inquit Paulus, filij dei estis, eo quòd credidistis Christo Iesu. Nam quicunꝫ baptisati estis, Christum induistis: Et iterum: Accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater. Idem spiritus testatur unà cum spiritu nostro, quòd simus filij dei. Quod si filij, igitur & hæredes. Hæredes quidem dei, cohæredes autem Christi. Ac rursus: Omnia subiecit sub pedes illius, & dedit eum caput super omnia ecclesię, quę est corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet. Corpus autem participat honorem capitis sui, & singula membra fruuntur benefitijs, quæ corpus accipit. Quare, cum credentes in Christum sint membra eius, & fratres eius adoptiui, dubium non est, quin sint omnium bonorum eius participes & cohæredes, & cum ipse perpetuo ac fœliciſſime uiuat, manifestum est, ꝙ & credentes in ipsum perpetuo ac fœliciſſime uiuant. Quid nunc, Martha, de morte fratris tui conquereris? Videtur quidem in oculis tuis mortuus, sed quia in me credidit, uere adhuc uiuit. Nec ipse tantum uiuit, sed & Ioannes Baptista ab Herode interfectus, Zacharias pater eius, Elisabeth mater eius, Symeon, Anna propheriſſa, & ut ad superiora secula redeam, Malachias, Zacharias propheta, Aggæus, Hieremias, Ezechiel, Esaias, Michæas, Oseas, Ezechias, Dauid, Moses, adeocꝫ omnes prophetæ & patriarchæ

iamdiu mortui, adhuc uere uiuunt. Dicam, quod fortaſſis tibi incredibilius uidebitur. Tu Martha, quæ adhuc uitam in terra agis, nunc̄ morieris in ęternum. Nec morietur ſoror tua Maria, nec morientur hi comites & diſcipuli mei Petrus, Andreas, Ioannes, Iacobus, & reliqui. Quid plura? Nullus eorum, qui iam uiuit, & in me credit, morietur unquàm. Quid igitur eſt, q̄ Petrus & Andreas poſtea ſint crucifixi? quid q̄ Iacobus eſt occiſus? quid quòd alij tam Apoſtoli q̄ diſcipuli diuerſis mortis generibus ſint extincti? Hęc certe etſi uidetur in oculis hominum mors, tamen non eſt mors, ſed quemadmodum Chriſtus ſupra definijt, ſomnus, in quo credentes in Chriſtum, non iacent mortui, ſed ſunt uere in Chriſto uiui. Quę res non tantum declarabitur manifeſte in nouiſſimo die, uerumetiam Chriſtus teſtificatus eſt eam miraculo illo longe omnium clariſſimo, quod in hoc capite de reſuſcitatione Lazari deſcribitur, & quod Ieſus ſe æditurum Marthę promittit. Poſtquàm enim de uita credentium in ipſum diſ-
» ſeruiſſet, uertit ſe ad Martham, & ait: Credis hoc? Cum autem poſtea ad Martham dicat, Nonne dixi tibi, q̄ ſi credideris, uiſura eſſes gloriam dei? apparet Chriſtum aut copioſius, q̄ ſcriptum ſit, cum Martha collocutum, aut quod dicit, Credis hoc? ſic intellexiſſe: Ego tibi nunc concionatus ſum de uera uita eorum, qui in me credunt. Cum igitur tuus frater Lazarus etiam in me crediderit, non eſt mortuus, ſed adhuc uiuit. Hæc non ſunt uana uerba, Sed declarabo ueritatem eorum reipſa. Non reijciam te in nouiſſimum huius ſeculi diem, ſed nunc hac ipſa hora reddam gloriam dei, ſeu ueritatem meę concionis illuſtrem per fratrem tuum. Credis ne me hoc poſſe (de uoluntate e-
» nim mea, ſcio, non dubitas) facere? Reſpondet Martha: Etiam Do-
» mine, Ego credo, quòd tu ſis Chriſtus ille filius dei, qui in mundum
» uenturus erat. Hæc eſt inſignis ac plane Apoſtolica confeſſio de Ieſu. Duo autem, ſed ſumma & maxima omnium, tribuuntur Ieſu in hac confeſſione. Vnum, q̄ ſit uerus ille Meſſias, ſeu Chriſtus, quem prophetæ hactenus è ſpiritu ſancto promiſerunt, & quem tanto tempore pij omnes uenturum expectarunt. Alterum, quòd ſit filius dei, non quidem talis, quales alij homines, à deo creati, & adoptati, ſed naturalis, à deo ab æterno genitus, hoc eſt, uerus deus. Habes igitur, pauciſſimis uerbis naturam & officium Ieſu Chriſti. Natura enim eſt uerus homo & uerus deus. Officio autem eſt uerus Chriſtus à deo patre ſuo unctus & ordinatus, ut ſeruet omnes credentes in ipſum, ad æternam uitam. Poſſemus nunc ſigillatim ea benefitia, quę prophetę Meſſiam nobis de cœlo allaturum dixerunt, hoc loco commemorare, ut oſtenderemus, q̄ hęc Marthę confeſſio, pauca quidem, quod ad uerba attinet, uideretur tribuere Ieſu, quod autem attinet ad ſententiam

tiam eorum, tribueret ei, & ut ita dicam effunderet in eum, duobus aut tribus uerbis, omnia ea, quę unquàm tot prophetę & patriarchæ de Messia prędicauerunt, & sperauerunt. Sed hęc aliàs copiose exposuimus. Quare, ne longiores simus, proponamus nobis ob oculos fidei nostrę, quod fuit in hac contione præcipuum, uidelicet, mortem in Christo, non esse mortem, sed quia Christus est resurrectio & uita, fieri non potest, ut hi, qui in Christo moriuntur, non moriantur, sed uere uiuant. Nec est ulla alia res, quę nos possit in morte iuuare: Non opes, non amici, non liberi, non parentes, non principes, non monarchę. Solus autem Iesus Christus est adiutor & seruator noster. Incumbendum igitur est in hoc studium, ut Euangelion Iesu Christi fide accipiamus, & fidem obedientia declaremus, quo faueat nobis, & perducat nos per horribiles tenebras mortis, ad clarissimam & iucundissimam lucem ęternę uitę, Iesus Christus Dominus noster, qui est unà cum patre & spiritu sancto benedictus deus in secula, Amen.

HOMILIA III.

EMENTO, inquit Decalogus, ut diem Sabbati sanctifices. Hunc autem diem, is demum recte sanctificat, non qui Iudaico more externum otium in septimo die hebdomadæ consumit, aut iuxta uulgi consuetudinem, tempus diei, quem ita uocant, dominici conuiuijs traducit. Sed qui omnes curas & cogitationes suas ad cognoscendum uerbum dei, & ad obediendum diuinæ uoluntati confert. Cum igitur hodie iterum in hanc Ecclesiasticam scholam conuenerimus, agite amicissimi, sanctificemus hunc diem, audiamus doctrinam uerbi dei, cognoscemus uoluntatem dei, ut spiritu sancto adiuti, ad eam nos toto fidei studio accommodemus. Exposuimus autem superiori die colloquium Iesu Christi cum Martha. Exponamus nunc colloquium eius cum Maria sorore Marthę, & comitibus eius, ut tandem ad spectaculum resuscitati Lazari perueniamus. Cum hęc, (inquit Euangelista) dixisset Martha, abijt & uocauit Mariã sororẽ suã clanculũ, dicẽs: Magister adest, & uocat te. Illa ut audiuit, surgit cito, & uenit ad eũ. Nondum aũt uenerat Iesus in castellũ, sed erat in eo loco, ubi occurrerat ei Martha. Iudęi ergo, qui erant cũ ea in domo, & consolabantur eã, cum uidissent Mariã, q̃ cito surrexisset, & exisset,

» » secuti sunt eam dicentes: Vadit ad monumentum, ut ploret ibi. Ma-
» » ria ergo cum uenisset eo ubi erat Iesus, uidens eum, accidit ad pedes
» » eius, & dicit ei, Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater me-
», us. Iesus ergo ut uidit eam plorantem, & Iudæos, qui uenerant cum ea
», plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum & dixit: Vbi posu-
», istis eum? Hic nobis paulisper consistendum & commorandum est, ut cognoscamus, quid sibi uelit hic fremitus & hæc perturbatio Christi. De fremitu enim & ira eius, non est iuxta nostrum humanum ingenium iudicandum, quippe ꝙ nos soleamus aliquoties propter putamen, ut dicitur, nucis fremere ac irasci, sed sentiendum est fremitum Christi cœlestem esse ac diuinum, & maximis de caussis susceptum. Quid ergo est? num fremit propter lacrymas Mariæ & Iudæorum, ut significet eas esse detestandas, & damnandas? Nihil certe minus. Videbimus & ipsum paulo post lacrymaturum. Nam quod ad rationem lugendi mortuos attinet, ex una quidem parte detestabilia sunt genera illa lugendi, quæ apud Ethnicos usitata fuerunt, lacerationes genarum, pectoris & capitis percussiones, & capillorum euulsiones. Super mortuo, inquit scriptura, non incidetis carnes uestras. Et Paulus: Ne doleatis de ijs, qui obdormierunt, quemadmodum & cæteri, spem non habentes. Ex altera autem parte detestabile est funera risu et cachinatione prosequi. Sunt qui scribunt Trausos, gentem Thraciæ solitos fuisse luctu & deploratione recens natos excepisse, defunctos autem lætitia, & risu terris mandasse. Hæc fuit barbara & inhumana consuetudo. Vt enim illi lacerationibus genarum suarum nimis declinarunt ad sinistram, ita hi lætitia & choreis suis nimis declinarunt ad dextram. Quid ergo in luctu faciendum? Regia uia incedendum est. Defuncti ita lugendi sunt, ut simul & fidei & caritatis ratio seruetur. Fides iubet nos de amico qui in Christo obdormiuit, bono animo esse. Nam si credimus, inquit Paulus, ꝙ Iesus mortuus est, & resurrexit, sic & deus eos qui obdormierũt, per Iesum, adducet cum illo. Caritas autem dolet se amici consuetudine priuari. Quare ut deo placet hilaritas spei de amico defuncto, quia est fructus fidei, ita etiam placet ei mediocris luctus, quia est opus caritatis. Accedit & hæc utilitas luctus in funere, ꝙ hoc spectaculo admonemur de peccato, propter quod mors exercet tyrannidem suam in homines, & excitamur ad resipiscentiam, ad agnitionem peccati, ad quærendam remissionem peccati, & salutem in Christo, ne mors nos imparatos opprimat. Funus enim, quod præcedit, singulos, qui comitantur eo, quem Syrach describit, modo alloquitur. Memor, inquiens, estote iuditij mei, Sic enim erit & tuum: Mihi heri, & tibi hodie. Dicit etiam Ecclesiastes, Melius est ire ad domum luctus, ꝙ

Leuit. 19.

Herodotus in τερψιχόρῃ

Ecclesiast. 38

Ecclesiast. 7.

q̄ ad domum conuiuij. Solent enim homines multo peiores à conuiuijs domum redire, q̄ ad conuiuia accesserant. Quid enim ibi magna ex parte audias, & uideas, prꝛeter obtrectatiões, cõuicia, turpiloquentiam, compotationes, & ebrietates? In funere autem admonemur humanæ conditionis, ut sciamus, nos non esse ciues huius terræ, sed hospites tantum, ideoq̄ patriam inquirendam esse. Quod si nulla alia esset utilitas honesti & mediocris luctus in funere, certe hæc non esset contemnenda, q̄ adolescentia hoc exemplo ad pia officia erudiatur, ne cum uideant maiores natu abijcere defunctos inhoneste, ac uelut bestiarum cadauera, discant barbariem, & assuescant immanitati. Quare non est sentiendum, q̄ Iesus Christus hoc loco fremat, & iracatur propter lacrymas Mariæ & Iudæorum. Placet enim ei officium humanitatis, quo Maria fratrem suum adhuc uiuẽtem coluit, & quod nunc lacrymis utcunq̄ testatur. Sed longe alia est causa fremitus. Fremit enim Christus & stomachatur propter tyrannidem mortis. Recordatur enim quanta semper crudelitate mors grassata sit ab initio mundi in optimos quosq̄ suos maiores, proauos, & amicos, in Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Mosen, Dauidem, prophetas, & superioribus diebus in honestissimum uirum Ioannem Baptistam, ac paulo ante in suauissimum suum amicum Lazarum, adeoq̄ lacrymę Marię & Iudæorum refricant ei omnia illa uulnera, quæ hactenus ex morte omnium sanctorum suorum accepit. Quare stomachatur aduersus mortem grauissime. Quid? hęccine tyrannis & crudelitas mortis tamdiu ferenda est? Nunc̄ ne sæuitia mortis exterminanda & opprimenda est? Non certe committam, ut tam impune in meos grassetur. Necesse habebit, quamuis inuitissima, & ualde repugnans à meo Lazaro discedere. Agite ergo, ostendite ubi posueritis eum. Mors cogetur eum dimittere, etiamsi abstraxisset ipsum mille cubitis subtus terram. Habes quid sibi uelit fremitus & indignatio Christi. Obserua igitur, q̄ Christus longe aliter afficiatur erga mortem hominis, q̄ Caligula quispiam aut Nero. Horum ludus & delectatio fuit, homines periculis mortis obijcere, & eos interimere. Caligula palam dixit, Vtinam populus Romanus unam ceruicem haberet, uidelicet significans se cupere, ut uno ictu omnes ciues trucidare posset. Quid hoc monstro immanius? Ac id fere ingenium est tyrannorum, ut erga mortem hominis leuius afficiantur, q̄ erga mortem cerui, aut anseris, aut gallinę. Iesus Christus autem tanta grauitate erga mortem hominis afficitur, ut teneri non possit, quin palam tam uultu q̄ gestibus iram & indignationem suam declaret. Quid igitur dicemus? Si Christus omnipotens, omnipotentis dei filius iracitur morti, & odio habet eam, cur fert tyrannidem & sæuitiam eius? cur

non exterminat eum è toto mundo? Sed enim hoc maxime omnium agit Christus, ut exterminet mortem è mundo, & deleat eam totam. Initio enim cum mors intrasset in mundum, promisit deus Christum filium suum, qui contereret caput serpẽtis, hoc est, aboleret mortem. Deinde uenit Christus iuxta promissionem suam, in hunc mundum, & suscepit mortem, ut expiato peccato, superaret ac deleret mortem. Ad hoc apparuit, inquit Ioannes, filius dei, ut dissoluat opera diaboli, inter quæ mors principem pene locum obtinet. Postremo ueniet Christus in nouissimo die, magna gloria & maiestate, & de morte ita triumphabit, ut totus mundus uisurus sit perpetuum interitum mortis. Oportet, inquit Apostolus, eum regnare donec posuerit omnes inimicos sub pedes suos. Nouissimus hostis aboletur mors. Quare, cum sæuitia mortis grassatur in hominem, reuocandus est in mentem fremitus Christi, ut cognita indignatione eius aduersus mortem, sciamus mortem non impune laturam suam tyrannidem, sed eam necesse habere in Christo uictam & prostratam interire, atq; nos liberos dimittere. Dices autem mihi, Quomodo hęc conueniunt, q̃ cum Christus antea longe absens cognouerit Lazarum esse mortuum, nunc autem non cognoscat monumentum eius? Dicit enim: Vbi posuistis eum? Sed bene habet, Non ignorasset etiam monumentum, si uoluisset. Suscepit autem huius ignorationem, ut redderet hac occasione spectatores ad miraculum, quod ęditurus est, attentiores. Postquàm enim audierunt eum de monumento interrogare, & uiderunt eum ad monumentum proficisci, statim omnes erexerunt animum & oculos
" " suos, & comitati sunt eum magna euentus expectatione. Dicũt ei: Do
" " mine ueni & uide. Lacrymatus est Iesus. Quid? Hac ne causa profectus est Iesus ad monumentum, ut eiularet? Expectauimus aliquod stupendum miraculum, sed ecce lacrymæ. Quod autem ante de fremitu eius dictum est, hoc idem nunc sentiendum est de lacrymis eius. Hæ lacrymę non sunt pueriles aut muliebres de rebus leuiculis, sed sunt lacrymæ filij dei, quibus testatur animi sui dolorem propter mortem Lazari, hominis amicissimi. Nã lacrymę sunt quasi languis animi uulnerati. Quemadmodum enim sanguis è carne manans significat eam esse uulneratam, ita lacrymæ ex oculis profluentes indicant animum esse uulnere aut dolore affectum. Quare cum Christus lacrymatur ad monumentum Lazari, palam significat, se morte hominis amicissimi animo grauissime affligi. Suscepit autem Christus hunc affectum, non sua quadã necessitate, aut peccato aliquo, sed propter nostram utilitatem, ut reipsa experiretur quàm grauis esset dolor eorum, quibus mors abripit suauissimos amicos. Debuit, inquit epistola ad Hebræos, per omnia fratribus similis reddi, ut misericors

fericors esset et fidelis pontifex, in his quę apud deum forent agenda, ad expiandum peccata populi. Nam ex hoc, ꝙ ipsi contigit tentatum esse, potest & his qui tentantur succurrere. Et iterum. Non habemus pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum per omnia, iuxta similitudinem absq; peccato. Quare si optimi quiq; amici nostri auferuntur nobis morte, accedamus cum fiducia ad thronum gratię, conqueramur dolorem nostrum Iesu Christo, admoneamus eum suarum lacrymarum, ut consequamur misericordiam, & inueniamus gratiam ad opportunum auxilium. Sed audiamus quō Iudæi interpretati sunt lacrymas Christi. Dixerunt ergo Iudæi: « Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non « poterat hic, qui aperuit oculos cæci, facere, ut & hic non moreretur? « Iudęorum multitudo in duas partes diuiditur: Altera sentit de lacrymis Iesu honeste & pie. Dicunt, quod res est, lacrymas eius esse caritatis argumentum. Horum uirtus merito commendanda est, quia proximi dicta aut facta amice & cādide interpretari, officium est, quod lex mutuæ dilectionis exigit, & quod Domino deo nostro mirum in modum placet. Altera pars sentit de lacrymis Christi pessime ac uirulentissime. Sic enim dicere uidentur: Aiunt hunc aperuisse oculos cæci, Si tam potens est, ut cæcis restituat uisum, quomodo non posset morituru seruare, ne moreretur? Cum autem non potuerit hunc Lazarę tam amicum seruare, uanissimę nugæ sunt, quæ de miraculis eius uulgantur. Hę sunt uere Satanicæ calumnię. Peccant autem præcipue dupliciter. Vnum peccatum est, ꝙ iudicent priusq; rem cognouerint. Qui prius respondet (inquit Salomon) & audiat, stultum se esse declarat, & confusione dignum. Alterum est, ꝙ humanissime factum, interpretētur inhumanissime. Hoc aūt est uulgare inter homines peccatum, ꝙ alter alterius tum facta, tum dicta peruerse interpretet. Manifesta quidem scelera, ut furta, latrocinia, adulteria, & id genus alia, non sunt approbanda aut laudanda, sed potius legitime punienda, si modo probe cognita fuerint. Ea aūt quę ab alio ita uel facta, uel dicta fuerint, ut aut sint manifeste honesta, aut possint honeste accipi, in malam partem peruertere & calumniari, id demum est diabolicum flagitium. Primum enim, calumniator peccat contra naturam pię caritatis. Caritas, inquit Paulus, non cogitat malum, non gaudet de iniustitia, sed congaudet ueritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat. Calumniator autem cogitat malum, gaudet de iniustitia, quod bene dictum aut factum est, non credit, nec sperat bene ul' dictum uel factum esse. Quare peccat aduersus ueram caritatis naturam, & cum caritas sit legis aut secundæ tabulæ impletio, (qui enim alterum diligit, inquit Paulus, legem expleuit) calumniator autem uiolet caritatem,

Calumniator quantum peccet.

dubium non est, quin calumnijs suis uiolet totam secundam tabulam decalogi. Deinde calumniator peccat sigillatim contra illud præceptum, Non occidas. Calumnia enim est genus homicidij. Filij hominum, inquit psalmus, dentes eorum arma & sagittę, & lingua eorum gladius acutus. Vide mihi exemplum Doeg, qui cum uidisset Dauidem diuerti ad sacerdotem Achimelech, sic calūniatus est illud, perinde ac si Dauid & Achimelech conspirassent aduersus Saulem. Quę una calumnia effecit, ut non solum sacerdos ipse, uir optimus, sed & plusq̄ octoginta collegę eius, & uniuersi ciues, mulieres, adolescentes & infantes in ciuitate Nobe crudelissime trucidarentur. Quare calumnia inter homicidij genera merito numeratur. Quid pluribus opus? Ab hoc peccato Satan cognomen diaboli, quod calumniatorem significat, sortitus est, quippe q̄ hoc sit ingenium, hęc sit natura Satanæ, q̄ quæuis dei & hominum dicta ac facta pessime interpretetur, ac uirulentissima deprauatione peruertat. Quod cum & homines calumniatores faciant, quid reliquum est, q̄p q̄ exuant humanā naturā, & induant Satanicam? Agnoscamus igitur magnitudinem huius peccati, & caueamus ab eo, ac oremus iuxta psalmum, ut Dominus ponat custodiam ori nostro, & ostium circumstantię labijs nostris, ne delinquamus lingua nostra. Sed nec hoc spectaculum clausis oculis prætereundum est, quòd Christus appareat nunc ex lacrymis longe omnium imbecillimus & impotentissimus, paulo post autem ostentet summam potentiam & maiestatem, dum uno & altero uerbo reuocat Lazarum iam quatriduanum ad uitam. Non dissimile spectaculum est, q̄p in cruce audit: Alios saluos fecit, seipsum non potest seruare, & clamat: Deus meus, ut quid me dereliquisti, & tamen non diu post, crucem & mortem ita euadit, ut non solum è sepulcro uiuus discedat, sed etiam ascendat super omnes cœlos, & sedeat ad dextrā dei patris sui. Hoc autem idcirco nobis obseruandum proponitur, ut confirmemus fidem nostram, in ijs tentationibus, quibus nunc à Satana ipso, nunc à Turcis, nunc ab alijs impijs percelli solemus. Cum enim premit nos onus paupertatis, aut seuit in nos horror mortis, Satan occasionem nactus, aggreditur cogitationes nostras. Quid? inquiens, Vbi nunc est Christus tuus, in quem tam diu credidisti? Cur te non iuuat? cur te non ex his malis eripit? Si Turcę abducunt Christianos captiuos, solent & ipsi miseris obijcere. Vbi nunc est Christus uester? Si esset uerus deus ac seruator, certe defenderet uos, non pateretur, ut nos Turcę uictoriam reportaremus. Irridēt & alij impij eos miseros, qui cum Euangelio Christi fidem adhibent, calamitatibus tamen affliguntur. Vbi est, inquiunt, Euangelion tuum? Apage à me. Quid à me requiris auxilium? Dic ut te Euangelion tuum adiuuet? Hęc sunt uirulenta

& ig-

& ignita tela Satanę, ac organorum eius. Quid ergo faciendum? Non est his aduersis cedendum, sed cognoscenda, & in mentem reuocanda sunt hęc spectacula, quæ modo de Christo commemorauimus. Solen ne quidem est, ꝙ Christus initio appareat lacrymans, imbecillis & impotens, sed paulo post declaret omnipotentem suam maiestatem. Non enim prę se fert imbecillitatem, & incuriam erga sperantes in ip sum, ut semper maneat imbecillis, & sit reuera incurius, sed ut maiori & illustriori gloria potentiam suam, & curam erga pios declaret. Ad punctum, inquit, in modico dereliqui te, & in miserationibus mag nis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem me am parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui. Et aliàs: Ad momentum est ira eius, & uita desiderium eius, Per uespe rum durabit fletus, sed mane redit lętitia. Et in Abacuc: Si adhuc ui sus procul, & apparebit in finem, & non mentietur, Si moram fece rit, expecta illum, quia ueniens ueniet, & non tardabit. Ac rursus in Esaia: In silentio & spe erit fortitudo uestra. Et iterum: Scies quia ego Dominus, super quo non confundentur, qui expectant eum. Contem namus igitur uirulentas susurrationes Satanæ, & blasphemas uoces impiorum, ac expectemus patienter reuelationem potentiæ & maie statis Iesu Christi, seruatoris nostri, ut cum ipso fruamur cœlesti hæ reditate, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus benedictus in secula, Amen.

Psalmus 29. Quoniã ira ĩ indignatiõe eius & uita &c.

HOMILIA IIII.

LAZARVS AD quartum usq; diem in sepul cro mortuus iacuit. Quartus hic dies est, quo hanc de Lazaro historiam explicamus. Quare ne Lazarum expositione nostra diutius detineamus, q̃ in sepul cro commoratus est, agite, accedamus cum Christo ad monumentum, ut uideamus Lazarum à mortuis resuscitatum è monumento uiuum exire. Iesus ergo rursum fremens in semetipso, ue nit ad monumentum. Iterum uides Iesum fremere, ut significet se pri orem fremitum non temere suscepisse, sed serio de morte & sæuitia eius indignari. Erat autem spelunca, & lapis impositus erat ei. Ait Ie sus: Tollite lapidem. Quid? Qui reuocaturus erat mortuum ad ui tam, non potuit remouere lapidem? certe potuit, sed maluit ut alij re mouerent lapidem, quo interea temporis dum lapis tolleretur, omni um animi ad spectaculum miraculi excitarentur, & hi qui lapidem amouerent, testificarentur Lazarum uere mortuum fuisse. His enim & aliįs circumstantiįs id agitur, ut ueritas mortis Lazari comprobe tur, quo deinceps manifesta fiat ueritas excitationis eius à morte.

,, Dicit ei Martha, soror eius, qui mortuus fuerat, Domine, iam olet,
,, quatriduanus est enim. Queso te, considera mihi in Martha, &p facile excutiatur homini diuina promissio, per diuersa rerum spectacula. Martha audiuit antea perspicuam promissionem Christi, &p Lazarus esset resurrecturus, & significauit Christus haud obscure, &p non loquatur de resurrectione, quę fiet in nouissimo die, sed, quę mox in Lazaro admirabiliter sit secutura. Adhęc confessa est Martha ipsa palam, se credere Iesum esse uerum Messiam, filium dei. Qua confessione tribuit Iesu potestatem non solum sanandi ęgrotos, sed etiam excitandi mortuos. Attamen, cum habeat nunc ob oculos positum monumentum Lazari, & recordetur eum quatuor diebus in sepulcro iacuisse ac fętere, obliuiscitur omnium dictorum, ac promissionum Christi. Sic est humanum ingenium. Magis defigit oculos suos in externa rerum spectacula, &p in uerbum dei. Quare mirum non est, &p in aduersis animum despondeat. Sed si tibi salus tua curæ fuerit, auertendi sunt oculi ab ijs rebus, quę minantur exitium, & defigendi in uerbum dei, quod promittit liberatiõem. Quod & Christus docet, cum reuocat Martham ad eam promissionem, quam antea proposuerat.
,, Dicit enim ei Iesus: Nonne dixi tibi, &p si credideris, uisura esses glo-
,, riam dei? Promisi tibi admirandam fratris tui resuscitationem. Quid igitur adhuc dubitas? Putas ne mortem et monumentum, ac etiã putorem potentiora esse meo uerbo? Quare noli in ista respicere, sed respice in meum uerbum, & crede. Si enim credideris, uidebis miraculum clarissimum. Quod autem Christus ad Martham dixit, hoc idẽ sentiamus etiam ad nos dici, in omnibus aduersis. Si credideris, uisurus es gloriam dei, uisurus es admiranda & stupẽda. Sed quod de credendo dicitur, recte intelligendum est. Si credideris, inquit, Non ait: Si opinatus fueris, aut tibi ipsi finxeris. Sed CREDIDERIS. Non potes autem credere, nisi ante habeas uerbum dei. Fides, inquit Paulus, ex auditu est, auditus autem per uerbum dei. Nã si quis diceret, se crediturum, &p inuenturus sit postridie thesaurum in terra defossum, aut quod creaturus sit ex lapidibus panes, non esset fides, sed fictio, nec uisurus esset admiranda, sed reportaret potius ludibrium. Non enim extat certum uerbum dei, quod sis inuenturus thesaurum postridie, aut quod sis creaturus panes ex lapidibus. Quare ante omnia necesse est, ut habeas certum uerbum, certam promissionem dei, ex qua fidem concipias & confirmes. Deinde, necesse est, ut in hac fide, aut potius in hoc uerbo per fidem constes, nec sinas te sensu aduersarum rerum a fide uerbi abduci. Sic enim fieri non potest, quin uisurus sis uel tandem admirandam gloriam dei, etiamsi nihil minus futurum, si externa & humana consideraueris, uideatur. Sed ut huius

doctrinæ

doctrinæ usum cognoscamus, ponemus in medio exẽplum. Hõ quispiã incidit in grauẽ & periculosum morbũ, ex quo non sit euasurus, sed moriturus. Ad hunc dicitur: Bene confide, si credideris, uisurus es gloriam dei. Quid autem credat? primum credat Euangelio Christi, quod est uerbum & potentia dei ad salutem omni credenti. In hoc enim dicitur, quod Christus sit uictor mortis, ꝙ omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat ꝛternam uitam. Hæc non sunt humana somnia, sed certissimæ dei promissiones. Deinde credendo constet in Euangelio Christi, etiamsi morbus ingraueſcat, & mors prope adesse uideatur. Nam qui ita crediderit, etsi moritur, tamen non interit in morte, sed uidebit gloriam dei, quia conseruatur in media morte per Christum, & excitabitur suo tempore ad accipiendam unà cum omnibus sanctis cœlestem hæreditatem. Sed nimis diu detineo uos à spectaculo reuiuiscentis Lazari. Pergamus igitur ad ea, quæ sequuntur.

Sustulerunt ergo lapidem à loco, ubi is qui mortuus fuerat, erat positus. Iesus autem attollens oculos sursum, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me: Ego autem sciebam, quod semper me audis, sed propter turbam, quæ circumstat, dixi, ut credant, ꝙ tu me miseris.

In hoc sermone Christus tria diligenter obseruanda dicit. Vnum est, ꝙ agit gratias deo patri, ꝙ exaudiuerit ipsum. Ergo ne Christus orauit? Hoc certe manifeste significat, cum dicit, se esse exauditum. Quid ergo, aut pro qua re orauit? Nec hoc est obscurum. Nam, cum hic tractet de admiranda resuscitatione Lazari, facile intelligi potest, Christum orasse deum patrem, ut fortunet in ipso donum ꝛdendorum miraculorum, quo Lazarum à morte excitet. Sed quomodo, inquies, hoc conuenit, cum maiestate Christi? An Christus non est natura deus? Nihil hoc est certius, & mox id significabit Christus ipse. Cur ergo orauit, ut fortunetur donum ædendorum miraculorum? Non orauit, ꝙd ipse indigeat oratione aut miraculis, sed orauit alijs de causis. Primum, ut significaret se uerum hominem, unà cum humanis imbecillitatibus, absq; tamen peccato, suscepisse. Homines enim, si indigent donis dei, non possunt ea ex se petere, sed necesse habent ea petere à deo. Hæc est humana imbecillitas. Quare Christus assumpsit hanc imbecillitatem, & quanquam habuit natura sua potentiam excitandi mortuos, & ædendi alia miracula, & potuit eam ex seipso petere, tamen orauit deum patrem, ut palam declararet se assumpsisse uerum hominem. Deinde, Christus coniecit se in humilitatem & obedientiam orandi, ut hac humilitate placaret deum patrem hominibus. Etsi enim orauerunt deum omnes sancti, nullius tamen hominis oratio per se ita pia & sancta fuit, ut potuerit deo placere. Sola autem oratio Christi tam perfecte sancta fuit, & deo ita placuit, ut propter

Christi oratio.

eam deus exaudiat orationem omnium piorum, qui ex fide ipsum in-
uocant. Quicquid petieritis, inquit, patrem, in nomine meo, hoc da-
bit uobis. Postremo orauit Christus, ut & nos suo exemplo ad oratio
nem prouocaret. Si enim Christus orauit deum, ad accipienda diuini
tus ea, quę ministerio eius erant necessaria, cum tamen ante posside-
ret ea naturaliter, & detestabilis est nostra ignauia, qui etsi rerum om
nium egentes sumus, tamen raro dignamur deum hoc honore, ut ab
ipso, quę nobis necessaria sunt, oratione petamus. Sed de hac re hacte
nus. Alterum est, & ut Christus ante significauit se assumpsisse uerę
hominem, ita nunc significet se esse uerum deum. Ego, inquiens, scie
bam, & me semper audires, hoc est, Ego non indigeo oratione. Sem-
per impetro, quod uolo, semper habeo, & possideo omnem cœle-
stium bonorum thesaurum, quia sum unius tecum essentiæ & uolun
tatis. Ego enim & tu pater unus sumus Deus omnipotens omnium
rerum creator. Nam si Christus tantum esset homo, & non etiam ue-
rus Deus, certe pater non semper eum exaudiret, quippe quòd irascē-
Zach. 2. te Deo necesse habet omnis caro, iuxta Prophetam, à facie eius silere.
Nunc autem Christus dicit se semper à patre exaudiri. Manifeste igi
tur docet se esse uerum ab æterno Deum. Tertium est, & Christus
ędat miracula sua ad comprobandū, se esse missum à Deo patre suo,
& doctrinam suam esse ueram ac diuinam. Sed propter turbam, in-
quiens, quæ circumstat, dixi, ut credant, & tu me miseris, hoc est, pe-
to, ut ędam miracula, non mea caussa, cui ad summam maiestatem ni-
hil deest, sed ędo miracula propter turbam hoīm, ut excitati magnitu
dine miraculorum, credant doctrinam Euangelij mei non esse huma-
num figmentum, sed cœleste ac diuinum mandatum. Opera, inquit
aliàs, quę dedit mihi pater, ut perficiam ea, ipsa inquam opera, quę
ego facio testificantur de me, & pater miserit me. Quæ cum ita se ha-
beant, arrigamus nunc aures, intendamus animū & oculos ut audia-
mus & uideamus, quid dicat & faciat Christus, ut excitet Lazarum à
» » morte. Atq; cum hęc dixisset (inquit Euangelista) uoce magna clama
» » uit, Lazare, ueni foras. Et prodijt, qui fuerat mortuus, manus & pe-
» » des habens reuinctos fascijs sepulcralibus, & facies illius sudario erat
» » obuincta. Dicit eis Iesus. Soluite eum, & sinite abire. Hoc est magnū
illud & inusitatum miraculum, ad quod ędendum Christus cum di-
scipulis in Iudęam redierat, & q̄d merito traducit cunctos non specta
tores tantum, sed et eos ad quos fama eius peruenit, in summam omni
um admirationem. Cogita enim mihi, quale hoc fuerit spectaculum,
& quantum obstupuerit omnis turba, cum uiderunt eum, quem scie-
bant mortuum, & qui iam quatriduo in monumento iacuerat, ad u-
num & alterum uerbum Iesu, non uiuum modo, uerumetiam adhuc

sepulcra-

sepulcralibus fascijs ornatũ, è sepulcro prodire. Sed hoc me nõnihil sollicitum habet, ꝙ Iesus clamat uoce magna. An non potuit uno uoluntatis nutu, mortuum excitare? Potuit, sed maluit magna uoce clamare, ꝙ̃ uelle tm̃, & nihil dicere, ut euitaret calũnias impiorũ sycophantarum. Nihil enim est uirulẽtius sycophãtis & calumniatoribus, qui cum uidissent Christum in ędendo hoc miraculo, labia tantum mouere, & nihil aperte & publice loqui, dixissent eum recitasse secum quędam magica uerba, quorum uirtute factum esset, ut apparuerit homo quasi uiuus, quemadmodum incantatores aliquoties fecisse narrant. Nunc Iesus alte clamat, & publice uocat Lazarum è monumẽto. Quare non relinquitur hic ullus locus suspitioni de magicis artibus. Huc accedit & alterum, ꝙ Iesus ita excitat mortuum, ut tamen relinquat in eo uestes sepulcrales, & iubeat eas tollere. An, qui reuocauerat mortuum ad uitam uerbo suo, non potuit etiam efficere, ut uno momẽto uiuus abijceret funestum illum habitũ, & ornaretur uestimentis regijs? Nihil defuit potentię Christi, sed quod fecit, profuit illustrando miraculo. Relictę em̃ sunt in Lazaro uestes sepulcrales, ut & hi, qui Lazarum his uestibus induerunt, testarentur hunc uere eum esse, quem antea uidissent & contrectassent mortuum, & illi, qui has uestes soluerent, ac alijs eum induerent, reipsa uiderent eum uere uiuere, ac testimonium ferrent, ꝙ uere sit à morte resuscitatus. Audiamus igitur, quam utilitatem hoc magnum miraculum Iudęis attulerit. Multi, inquit Euangelista, ex Iudęis, qui uenerant ad Mariam, & uiderãt, quæ feciſſet Iesus, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis, abierũt ad Pharisęos, & dixerunt eis, q̃ fecisset Iesus. Vide ꝙ̃ diuerso studio miraculum Christi accipiatur. Alij excitantur hoc miraculo, ut credãt doctrinam Iesu esse ueram ac diuinam. Et hi recte utũtur hoc miraculo. Alij autem, nullam habent curam doctrinę Iesu, sed tenentur tantum nouitatis studio, & diuulgant miraculum, ut commemoratione tantę rei assequantur hoim̃ fauorem, nihil interim de sua ipsorũ salute solliciti. Sed sumamus & nos hoc miraculum in manus nostras, & considęremus uerũ eius usum. Ac initio, dubium non est, quin hoc miraculũ sit res uere gesta. Etsi enim alij Euãgelistę non faciunt noiatim aliquã mentionẽ huius miraculi, tñ Ioannes, qui hoc descripsit tantę est auctoritatis, ut spũs sanctus cõmendauerit eũ unà cũ alijs apostolis publice cœlestib. donis in die pentecostes. Et testimoniũ dicunt alij Euangelistę de Ioanne, cũ numerant eũ inť p̃cipuos apostolos, ut non & hoc addã, ꝙ reliq Euangelistę generaliť testent̃, mortuos à Christo resuscitatos, quorũ etiã aliquot noiatim recensent. Quare probant his testimonijs suis, q̃d etiã hęc historia, quã Ioannes de Lazaro conscripsit, certissima sit ueritas. Non adhibent hisce scriptis fidẽ Iudęi et Turcę-

Sed hi tanta sunt impietate, ut digniores sint, qui adhibeant fidē im-
pudentissimis suis Mahumetanis et Thalmudicis ac Rabinis fabulis,
q̄ cœlesti ueritati. Nos aūt, qui accepimus hęc Apostolica scripta de
manu in manū, iam inde ab initio, & ab eo tpe, quo hęc gesta sunt, &
quo habuerunt innumeros testes, qui ea corā uiderunt & perspexe-
runt, probe cognoscimus, q̄ ea tam uera sint, ut ne angelo quidē con-
traria dicenti fides sit adhibenda. Deinde nec hoc dubium est, quin
hoc miraculū non fuerit illusio oculorū, qualia solent esse miracula
Magorū, sed sit uere ędituū. Lazarus uere fuit mortuus. Ac postea ue-
re reuixit. Non fuit spectrū, subito euanescens, sed uerus homo, qui
ambulauit, edit, bibit, ac reliqua humanæ uitę officia, postq̄ excita-
tus est, ędegit. Quid igitur hoc miraculum spectat? quid p̄bat? Num
probat Iesum huius miraculi effectorem, esse uerū naturā Deum? Pro-
bat quidem, non aūt proxime. Nam Elias quoq̄ & Elizęus excitārūt
mortuos, non tamen probatur ex ipso, q̄ sint ueri naturā Dñi. Num
p̄bat, ut hoc exemplo unusquisq̄ debeat sperare amicū suum defun-
ctum, post quatuor dies iterum ē monumento uiuum egressurū? Sed
uidemus huic spei obsistere ipsam rerū experientiam. Et Christus ex-
citauit quidem quosdam à morte, sed quia regnum eius nō est de hoc
mundo, non uoluit his exemplis significare, q̄ omnes mortui excitā-
di sint in hanc corporalem uitā, ante nouissimum huius seculi diem.
Quid ergo probat? Vt turba, inquit, credat, q̄ Pater miserit me, hoc
est, Christus ędidit hoc miraculū, ut probaret doctrinā suam esse ue-
ram, cœlestem, ac diuinā. Miracula em̄ sunt cœlestia testimonia & si-
gilla ueritatis doctrinę. Audiamus ergo, quid docuerit Iesus, ut & ue-
rum huius miraculi usum cognoscamus. Non loqmur autem nunc de
eo doctrinę genere, quod est Iesu cōmune cum Mose, & alijs docto-
ribus legis, sed de eo, quod est ipsius proprium. Primum em̄ Iesus do-
cuit, q̄ ipse sit uerus Messias seu Christus, quē Deus Patriarchis pro-
misit. Docuerunt q̄dem Prophetę, Messiam uenturū, nullus autem e-
orum docuit se ipsum esse Messiam. Quare, etsi nonnulli eorum excī-
tarunt mortuos, hoc tamē miraculum non probauit ipsos esse Messi-
as, sed probauit doctrinā eorū, uidelicet, q̄ ipsi nō sint Messiæ, sed
q̄ uerus Messias in plenitudine tpis sit uēturus. Inter ueros aūt & di-
uinos Prophetas solus Iesus docuit, se esse Messiā. Noīe uero Messię
continentī oīa ea, quę de Messia scripta sunt, uidelicet, q̄ sit expiator
pctōrū nostrorū, q̄ sit recōciliator noster, q̄ sit uictor mortis et redēp-
tor. Hęc em̄ sunt officia Messię. Quare hoc miraculū testatī & confir-
mat Iesum esse Messiā, expiatorē, reconciliatorē, mortis uictorē, et re-
demptorē nostrū. Deinde Iesus docuit se esse filium Dei, hoc est, uerū
natura & ab ęterno Deū, unius essentię, potentię & maiestatis cū pa-
tre

Miraculorū Christi usus.

tre suo, quêadmodũ contiones eius palam testantur, & Apostoli perspicue de ipso p̃dicarunt. Quod ad Prophetas q̃dem attinet, nullus eorũ prędicauit se ipsum esse uerũ Deum, sed tribuerunt diuinã maiestatẽ Messię seu Christo, cõfitentes interim se esse ueri Dei aut Messię ministros. Iesus autem docuit se ipsum esse uerũ deũ. Quare ut Prophetarum miracula non probarunt ipsos esse natura Deos, quia hoc nõ docuerunt, ita miracula Iesu probarũt ipsum uere esse natura Deũ, quia hoc p̃spicue docuit, & Apostolis docẽdum ac in toto orbe terrarũ uulgandum tradidit. Reliquum igit̃ est, ut hoc miraculo, quod per Iesum est in Lazaro ędituin, admoniti, nõ quęramus alium Messiam, nec adoremus aliũ Deum, pręter Iesum Christum DOMINVM nostrũ, qui ante quidẽ fremendo & lacrymando prębuit de se speciẽ quandã imbecillitatis, nunc autẽ excitando mortuum ad uitã, manifeste cõfirmauit se id uere esse, quod dixerat, uidelicet, Vitam & resurrectionẽ nostram. Sed quid? num Lazarus hoc nos tm̃ docet, q̃ conseruemur per Christum in morte, & simus in nouissimo die ad uerã & perpetuam uitã resurrecturi? Maxime quidẽ olim hoc docet, interim autem admonet etiã nos, nostrę cõditionis & officij in hac corporali uita. Lazarus em̃ fuit corporaliter mortuus & sepultus. Nos, etsi adhuc uiuimus corporaliter, tamẽ si naturã nostram considerauerimus, mortui sumus propter peccatum, & sepulti spiritualiter. Peccatum enim est, quod nos iam ante tradidit morti & sepulturę. Propter unum hominem, inquit Paulus, peccatum in mundum introijt, ac per peccatum mors, & sic in omnes homines mors peruasit, quatenus omnes peccauimus. Et iterũ. Mortui sumus per delicta. Porro, quemadmodum lapis fuit impositus monumẽto Lazari, ita & super nos in pctõ sepultos ingens lapis impositus est. Hic lapis est decalogus, olim in lapide as tabulas scriptus. Onus autem huius lapidis multo grauius est, q̃ ut ferre queamus. Deprimit nos usq; ad infernum. Lex enim, inqt Paulus, operatur iram & occidit. Quid igit̃ fieri debet, ut reuiuiscamus, & e monumẽto liberemur? Primũ, lapis remouẽdus est. Tollite, inquit Christus, lapidẽ. Quid ergo est remouere lapidẽ? Quod si obseruauerimus uerba Marthę, cum dicit, Dñe, iam olet, haud obscure significat̃, q̃ in hoc allegorico exponẽdi genere, lapidẽ remouere nõ sit decalogum abiicere aut contẽnere, sed sit obscuritatẽ decalogi illustrare, & decalogũ recte explicare, ac p̃spicue iuxta sententiã spũs sancti explanare. Quod si fiat, dubium nõ est, qn quêadmodum Martha dicit, Lazarum remoto lapide offensurę fœtore suo oẽm circumstãtem turbã, ita reuelato decalogo, teterrimus odor pcti ex hoie exhalet. Per legẽ em̃ agnitio pcti. Et ueniẽte mãdato, pctm̃ reuixit. Vbi aũt pctm̃ reuelat̃, ibi late spargit̃ abominabilis fœtor usq; ad cœlũ et in terra, tã coram deo, q̃ inter hoies. Nihil enim est abominabilius pctõ. Et tm̃ hoc

Rom. 5.

Ephe. 2.

mines eo sunt ingenio, ut nisi peccatum agnoscant, & fœtorem eius manifeste sentiant, non quęrant medicinam, aut peccati remissionem. Quare ad recuperandam uitam, primum omnium necessarium est, ut lapis à monumento remoueatur, hoc est, ut per decalogũ agnoscamus fœtorem & grauitatem peccati nostri. Deinde, ut in excitando Lazaro, nõ satis fuit, lapidem remouere, sed addita est uox Christi, qua Lazarus è monumento ad uitam reuocatus est, ita post agnitionem peccati, necessarium est, ut audiamus Euangelion Iesu Christi, quo docemur Iesum Christum esse peccati nostri expiatorem, & donare nobis suam iustitiam. Qua Euangelij uoce, si ei fidem adhibuerimus, ita reuiuiscimus, ut iam non simpliciter simus homines, sed filij dei, & hæredes omnium cœlestium bonorũ. Sed hoc interim non est prętereundum, q̃ etsi Lazarus fuit uere à morte resuscitatus, tamen prodijt uinctus adhuc fasciis sepulcralibus, quas debuit soluere & abijcere, ut expedite potuerit ambulare, ita postq̃ nos reuiximus per Euangelion Christi, reputamur quidem coram deo toti iusti propter Christum, uincti autẽ adhuc sumus reliquijs carnis & peccati, tanq̃ fasciis sepulcralibus. Hę certe sunt soluendę, ut possimus rectè & expedite incedere. Soluuntur aũt, cum in hoc studiũ incumbimus, ut non obediamus cupiditatibus peccati, & ut mortificemus opera carnis per spiritum. Quare admoueamus manus nostras, & accommodemus membra nostra ad obediendũ uerę iustitię, ad quã resuscitati sumus, ut in nouitate uitę, ad cœleste regnũ ambulemus per Iesum Christũ Dñm nostrũ, qui est unà cum patre & spũ sancto deus bñdictus in secula, Amen.

HOMILIA V.

Iranda res est, q̃ Lazarus, q̃ quatriduo in monumento mortuus iacuerat, à morte sit excitatus, sed magis pene mirandum est, q̃ pontifices & pharisæi Iudæorũ ex tanto miraculo non sint ab impietate sua ad agnoscendũ uerũ Messiam excitati. Postq̃ enim Iesus manifeste reuocasset Lazarũ ad uitam, tantã consecutus est auctoritatem, ut maxima hoĩm multitudo iudicaret doctrinam eius esse sacrosanctam & cœlestem, ac sentiret ipsum esse uerũ Messiam, Pontifices autẽ & pharisęi pergunt suo more non solum uirulento odio Iesum prosequi, sed etiã crudelia cõsilia inter se de ipso interfitiẽdo cõferre. Veniamus igiť in senatum eorũ, (patefecit eĩ nobis fores eius Euãgelista) ut cognoscamus, q̃ fuerint cõsilia ipsorũ aduersus Dominum, & aduersus Christũ eius. Congregauerunt (inqt) pontifices & pharisęi Conciliũ, ac dicebant: Quid facimus, q̃a hic hõ multa signa ędit? Si permiserimus eũ sic, oẽs credent ei. Venientq̃ Romani & tollent tum

lent tum locum nostrum, tum gentem. Principio considerandum est, ꝙ ad deliberandum de Iesu conuenerit Senatus non abiectorum hominum, sed summorum Pontificum & pharisęorum. Euangelista uocat συνέδριον, quod Iudęi corrupte dicunt Sanhedrin. Hic fuit consessus summorum Iudicum in Israel. Nam quemadmodum in quouis regno sua sunt in rebus ciuilibus extrema iudicia, aut ut uocant, consistoria, quorum sententię habentur ita inuiolatę, ut ab ipsis ad alia iudicia non liceat appellare, ita in Israel erat Senatus Synedrij, cuius iudiciū tam sacrosanctum habebatur, ut crederetur uulgo, non esse humanum sed diuinum. Quare non est sentiendum, ꝙ hoc concilium fuerit temerarium quoddam obscurorum & priuatorum hominum conuenticulum, sed fuit Synodus clarissimorum in Iudaismo Pontificum ac principum, penes quos erat maxima omnium in sua gente autoritas. De qua re idcirco uos admonere uolui, ut cum audiamus summos pontifices in populo Dei congregare concilium aduersus Christum, non offendamur, si idem nostris temporibus accidere uideamus, nec moueamur cuiusuis hominis uel autoritate, uel potestate, ut ueritatem Euangelij ex ipsis Propheticis & Apostolicis scriptis cognitam, deseramus. Deinde Pontifices & pharisęi conueniunt in Senatum, deliberaturi non de asini, quod aiunt, prospectu, sed de summa gentis salute, ne quid detrimenti resp. eorum acciperet. Nam in hac deliberatione tantum momenti situm fuit, ut si Pontifices de re proposita recte ac pie definijssent, ac constituissent, seruassent totam rempub. ac ueram populi salutem. Nunc autem quia crudelia & impia constituunt aduersus Iesum Christum, seruatorem nostrum, non solum cōijciunt se & gentē suam in extremas calamitates huius seculi, sed etiam in perpetuam internitionem, ac fiunt autores, ut non tantū auferatur à Iudęis regnum terrenum, sed etiam regnum cœleste, & ut Iudęi exhęredentur à Deo, ne sint amplius populus Dei. Quare hoc Synedrion non est oscitanter percurrendum. Quid facimus? inquiunt. Hic homo nisi prouideamus, autor erit internitionis totius Iudaicę gētis. Comparat sibi magnā autoritatem miraculis suis. Quæ ex re cōparabit etiam sibi exercitū populi, Quod cum factū fuerit, nihil aliud reliquum est, q̄ ut Romani iterę quantis possunt uiribus nos ut seditiosos & defectores inuadant, & deleant non hanc urbem tm̄, sed etiā uniuersam gentē. Obstandum igit̄ est principijs, ut rempub. nostram saluā conseruemus. Quis aūt hoc propositū Pontificū dānaret? Magna em̄ pietas est, pro salute patrię excubare. Sed quales quales uideant̄ hi Pontifices, certe in hac deliberatiōe designant grauissima pctā. Vnū pctm̄ est, ꝙ ante deliberent de opprimēdo et pdēdo Iesu, q̄ cognoscāt causā eius. Quale est, si deliberet̄ de supplicio hoīs, de

Sanedrin Iudęorum.

quo nondum constat, utrum sit nocens, an innocens, sacrilegus ne, an incendiarius. Quis non dicat hoc esse prępostęrum, & peruersum iudicium? Multa, inquiunt, signa hic homo facit. Recte. Accipimus uestram confessionem. Vos ipsi testes estis, quod Iesus multa & magna miracula uere ædiderit. Cur ergo dubitatis, quid sit faciendum, nimirum hoc erat officium bonorum uirorum, ut ex his cœlestibus ac diuinis miraculis excitarentur ad habendam fidem doctrinę Iesu. Miracula enim sunt testimonia doctrinę. Ex doctrina autem Iesu facile cognosci potuit, quod ipse sit uerus Messias, pręsertim cum præter miracla, omnes etiam alię circumstantię, quas prophetę de genere, de matre, de loco natiuitatis, & de tempore aduentus Messię prędixerunt, in hunc Iesum conuenirent. Verus autem Messias est adorandus, & omni officiorum genere colendus. Quare cum pontifices interrogarent seinuicem, quid faciant, pius quispiam senator aut pontifex, facile potuisset respondere, doctrinam Iesu miraculis confirmatam esse, ideoq; adhibendam ei fidem, & ipsum iuxta doctrinam eius, uerum Messiam agnoscendum. Etsi autem fieri potuit, quod in hoc concilio adfuerint Nicodemus & Ioseph, de quibus scriptura testatur, quod non consenserint in consilium pontificum, tamen impŕ prævaluerũt (sic enim fere fieri solet, ut maior pars uincat meliorem) & non hoc egerunt, ut cognosceretur causa Iesu, sed ut deliberaretur de tollendo Iesu. Hoc est peccatum non imprudentiæ tantum, sed etiam temeritatis & crudelitatis. Alterũ pc̃tũ est, q̃d etsi cognouerunt, aut si nõ cognouerũt, certe cognoscere debuerũt, hunc Iesum esse uerũ Messiã, & maiestatẽ Messiæ diuinitus ei traditã esse, inuidia tamen & odio aduersus ipsum cæcati, conantur quoquo modo possunt, maiestatem Messiæ ab ipso auferre, & eum opprimere. Hoc autem non est simpliciter peccare, sed bellum aduersus deum suscipere. Quod q̃p fœliciter promoueat, exemplum horum pontificum docet. Conati sunt a Iesu auferre maiestatem Messiæ, sed eo ipso Iesus maiestate sua illustratus est, ipsi autem amiserunt nõ solum suam in terris maiestatem, sed etiam suam in cœlis salutem. Quæ res non tantum auditu est percipienda, & mente cogitanda, sed in usum transferenda, uidelicet, ut hoc exemplo admoneamur, ne alterius commoda, quæ uidemus ei diuinitus cõtingere, conemur odio, inuidia, & malis artibus impedire, sed potius ex caritate eum iuuare. Sic em̃ fiet, ut fructus eorũ cõmodorũ non solũ ad illũ alterũ, sed etiã ad nos ipsos diuina clementia perueniat. Tertium peccatum est, q̃p sentiant nullam fore prosperam fortunam in Israel, si doctrina Iesu, quem negare non potuerũt esse uerum Messiam, promoueat. Venient, inquiunt, Romani, & tollent tum locum tum gentem nostram. Magna hæc est diuinarum promissionum

obliuio

obliuio & impietas. Extant enim perſpicuę promiſſiones de Meſſia, ꝙ afferat benedictionem, hoc eſt, rerum proſperitatem, ꝙ dominatu rus ſit á mari uſq; ad mare, ꝙ reges ſint eum adoraturi, ꝙ gentes ſint ei ſeruituræ. Ac manifeſtum eſt, ꝙ quicquid hactenus fœlicitatis in terra contigit Iudęis, hoc contigerit eis propter Meſſiam. Dedit enim deus poſteris Abrahę terram & regnum Canaan, dedit eis uictoriam aduerſus hoſtes, ut eſſet certa gens, in qua conſeruarentur promiſſiones de Meſſia, ex qua Meſſias naſceretur, & in qua Meſſias Euangelion ſuum prędicaret, nec abſtuliſſet ab eis deus hęc benefitia, ſed potius cumulaſſet, ſi non tam crudeliter & impie abieciſſent Meſſiam. Nunc autem pontifices contemptis his omnibus promiſſionibus & benefitijs dei de Meſſia, uociferantur ſibi à Romanis extremam imminere internitionem, nec ullam eſſe reliquam fœlicitatem, ſi doctrina Ieſu, qui erat Meſſias, obtineat. Quid eſt impietas & ingratitudo, ſi hęc non eſt? Non exiſtimes autem, pontifices tantum hac in parte peccaſſe. Vulgare hoc eſt peccatum, ꝙ homines metuant, ne ſi agnoſcant Euangelion Chriſti, Romani ueniant, & tollant locum ac gentem, interim autem pollicentur ſibi ſecuritatem, ſi contemnant Chriſtum. Alij metuunt, ne ſi in negotiatione ſua uera dicant, & iuſta agant, Satan conijciat ipſos in paupertatem, interim uero ſperant magnas diuitias, ſi dederint operam impoſturis. Alij metuunt, ne ſi impijs mandatis principum ſuorum non obediant, neceſſe habeant omnes ſuas fortunas una cum uita amittere, ſed interim promittunt ſibi omnem in impietate fœlicitatem. Itaq; uulgare eſt, ꝙ homines metuant extrema mala in uocatione dei, non metuant autem ea in uocatione Satanę. Quis eſt hic peruerſus metus? quæ prępoſtera ſecuritas? Fieri enim non poteſt, ut ibi ſit infœlicitas, ubi eſt fauor & protectio dei. Nec fieri poteſt, ut ibi ſit fœlicitas, ubi dominatur Satan, & deus iraſcitur. Deus autem fauet pietati & iuſtitię, ac tuetur eos, qui ſectantur uocationem dei. Impietati uero & iniuſtitię iraſcitur, ac punit eas ſeueriſſime. Quare etſi impietas aliquandiu uidetur fœlix, & pietas infœlix, tamen nihil certius eſt, ꝙ quod bene erit, quemadmodum Salomon ait: timentibus deum, his qui uerentur faciem eius. Audiuimus ſenatores huius Synedrij, audiamus nunc Preſidem eius. Vnus autem ex ipſis Caiaphas nomine, cum eſſet Pontifex anni illius, dixit eis: Vos neſcitis quicquam, nec perpenditis, ꝙ expedit nobis, ut unus homo moriatur pro populo, ac non tota gens pereat. Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet Pontifex anni illius, uaticinatus eſt, ꝙ Ieſus moriturus eſſet pro gente, & non tm̃ pro gente, ſed ut filios dei, qui erant diſperſi, congregaret in unũ. Initio pauca q̃dam de Caiapha dicenda ſunt, deinde ꝓcurremus ſententiã eius. Euan

Eccleſiaſ. 8.

geliſta alibi dicit Caiapham fuiſſe generum Annę, & hoc anno ſummum in Iudaiſmo pontificem. Nam quemadmodum Ioſephus ſcribit, Valerius Gratus, Romanus in Iudæa p̃ſes, abiecit ab officio pontificatus Symonem, & inſtituit pro eo Ioſephum Caiapham. Iam em̃ Iudęorum res ambitione principum in eam fortunam deuenerat, ut ſummi pontifices ſingulis pene annis pro libidine Romanorum p̃ſidum mutarentur. Magnum id argumẽtum erat, finem Aaronici pontificatus inſtare, & mutationem Iudaicarum rerum imminere, adeoq; uerum pontificem, non ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedec inſtitutum, prędſto adeſſe. Cum igitur Ioſephus Caiaphas hoc anno, quo Ieſus Chriſtus crucem ſubiturus erat, ſummũ pontificatũ adminiſtraret, & in Concilio p̃ſideret, primũ rep̃hendit pro ſua autoritate aliorũ inſcitiã et incogitantiã, deinde exponit ſuam ſentẽtiã, Vtilius, ingens, eſt, ut unus hõ occidat, q̃ ut tota gens pereat. Ioannes dicit hanc ſententiã eſſe prophetiã: Cum eſſet, inquiens, pontifex anni illius, prophetauit. Ergo ne, quicquid dixerint pontifices, eſt prophetia, & uerbum dei? Et quemadmodum luriſconſulti de principe dicunt, Quod principi placuit, legis uigorem habet, ita ne de pontifice dicendum erit, Quod pontifici placuit, prophetiæ & uerbi dei uigorem habet? Minime omnium. Alia enim res eſt politicus princeps, alia Eccleſiaſticus pontifex. Principes politici ſua habẽt iura ſtatuendi de rebus ciuilibus, quæ tamen in quouis regno certis modis ſunt aſtricta. In adminiſtratione autem rerum ſacrarum, & diuini cultus, perſpicue dicitur, Quod prędcipio tibi, hoc tantum facias Domino. Nec addas quicq̃ nec minuas. Nec obſcurum eſt, q̃ multi fuerint in Iudaiſmo impĳ pontifices & ſacerdotes, qui á ſpiritu ſancto tam alieni fuerunt, ut impietatem ſuam publice declarauerint, de qua re extant manifeſta teſtimonia in Hieremia, & in alĳs prophetis. Quare cum Ioannes dicit: Caiapham prophetaſſe, q̃ eſſet pontifex anni illius, non ſignificat ſpiritum prophetię pontificatui ita alligatum eſſe, ut quicquid pontifex dicat, ſit diuinum oraculum. Sed ſignificat deum fauere miniſterio á ſe inſtituto. Etſi enim Caiaphas fuit uir impius, tamen pontificatus, quo functus eſt, erat officium diuinitus inſtitutum. Quare deus ponit in ore eius uerba prophetica, ut declararet pontificatum per ſe eſſe legitimum & diuinum miniſterium. In gubernatione reip. ciuilis ſępe ſolent eſſe crudeles tyranni, & tamen quia magiſtratus eſt ordinatio dei, ſalus reip. multo melius per hos conſeruatur, c̃ꝑ per clementiſſimos ſeditioſos. Deus enim, etſi damnat crudelitatem tyranni, tamen honorat legitimum eius officium, & confert per ipſum beneficia reipub. ut homines diſcant diuinas ordinationes non eſſe temere turbandas. Ad eundem modum, Aaroni-

cus

cus pontificatus in Iudaismo fuit ministerium diuinitus institutum. Caiaphas igitur etsi uir alioqui impius, tamen quia fungebatur hoc ministerio, protulit diuino beneficio uerba prophetica de uero pontifice Iesu Christo, ut quemadmodum hoc Caiaphę oraculo tota uetera sacrificiorum ratio in unum Christi sacrificium translata, & in eo consummata est, ita & tota pontificia dignitas transferretur in unū & solum Iesum Christum, seruatorem nostrum. Sed exemplo Caiaphæ non possunt se tueri Romani pontifices. Magnum enim est discrimen inter pontificatum Romanum, quem papatum uocant, & Aaronicum. Hic est institutus à deo, ille est cōfictus ab hominibus. Hic fuit institutus ad exemplar Christi, ille administratur aduersus Christum. Hic regibus fuit suo modo subiectus, ille effert se non solum supra reges in terris, sed etiã supra angelos in cœlis. Solet em̃ his mandare, ut animas transferant ex igni purgatorio in cœlum. Hic non habuit potestatem mutandorum sacrorum, quę uerbo dei instituta erãt, ille arrogat sibi potestatem mutandarum legum humanarum & diuinarum. Quare Romani pontifices non possunt sibi autoritate pontificatus sui aliquem spiritum prophetiæ, exemplo Caiaphæ polliceri. Sed sumemus nunc in manus uerba Caiaphę. Expedit, inquit, nobis, ut unus homo moriatur pro populo, ac non tota gens pereat. Hęc uerba sunt quidem prophetica, sed aliter intelligit ea Caiaphas, aliter spiritus sanctus. Itaq; habes duplicem sententiam. Vna est Caiaphę, qui sentit, ꝙ utilius sit unum hominem, quamuis innocentem occidere, ꝙ totam gentem periculo obijcere, adeoq; uult facienda esse mala, ut eueniant bona. Hæc est prudentia in hoc seculo usitatissima. Ioram filius Iosaphat, rex Iudę, metuit, ne si fratres eius superstites essent, nulla foret regni tranquillitas. Quare iudicauit utilius esse, quatuor aut quinq; uiros, quamuis innocentes, & fratres suos, interficere, ꝙ tot millia uirorum, mulierum & infantium periculis belli exponere. Magistratus metuit, ne si aduersus hominem diuitem ac potentem pro uidua, quæ iustam habet causam, iudicet, seditio in urbe per factiosos diuitis cognatos & affines concitetur. Existimat igitur utilius esse rei pub. ut una uidua paciatur iniuriam, q̃ ut tota urbs in magnum discrimen adducatur. Paterfamilias metuit, ne si iuste negocietur, familia eius necesse habeat esurire & algere. Itaq; sentit magis expedire, ut aliquid ex opibus unius aut alterius alieni hominis per impostura detrahat, ꝙ ut tota sua familia famem paciatur. Hæc uidetur quidem magna esse prudentia, sed impijssima & pernitiosissima. Peccato enim non propulsatur periculum, sed potius conflatur, & augetur. Quomodo enim posset peccatum esse fœlix, cum deus, à quo solo est omnis fœlicitas, peccatum summo odio prosequatur? Considera mihi e-

Aheronici & Romani pontificatus collatio.

2. Paralip. 22

mentum huius Concilij, de quo in præsentia loquimur. Pontifices uo lunt propulsare cęde innocentis uiri periculum deuastationis a' sua re gione, sed hoc ipso adducunt se & suam regionem in extremum peri culum. Caue igitur ne facias mala, ut eueniant bona, sed potius facias bona, ut euites mala. Altera horum uerborũ sententia est spiritus san cti, quam & Ioannes recitat. Significant enim, ꝙ Iesus moriturus es set pro gente, uidelicet Iudaica, & non solum pro hac gente, sed ut fi lios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum ex omnibus genti bus. Hic ergo primum obserua usum & fructum passionis ac mortis domini nostri Iesu Christi. Mors enim eius, non est talis mors, qualis est aliorũ Sanctorum. Etsi eñ horum multi occisi sunt ab impijs cru deliter, & contra omnia humana & diuina iura, tamen mors eorum, non fuit expiatio peccatorum coram Deo. Sola autem mors Christi habet hanc dignitatem & maiestatem, ꝙ expiauerit coram Deo pctã hominũ, & placauerit iram Dei. Deinde beneficium mortis Christi non pertinet tantum ad Iudęos, sed ad omnes populos & nationes in uniuerso orbe terrarum. Non pro gente tantum (inquit) hoc est, non pro Iudęis tantum, sed pro omnibus, qui sunt inter alias gentes, & cre dunt Euangelio eius. Prętera, uocat hoc loco filios Dei, eos, qui cre dunt in Christum. Vt congregaret (inquit) filios Dei. Si autem cre dentes in Christum sunt filij Dei, manifestũ est, ꝙ sint hęredes Dei, & cohæredes Christi. Quid igitur credenti in Christum deesse po test? Esurit nunc, alget, sitit, dolet, & moritur. Sed habet hæreditatem cœlestem, quam, si in Christo cõstiterit, nec fames, nec frigus, nec do lor, nec mors ipsa, auferre possunt. Postremo, quod ait. Vt filios dei, qui dispersi erant, cõgregaret in unum, significat, ꝙ una sit ecclesia fi liorum Dei in uniuerso mundo, quæ ecclesia non tunc dicitur in u num congregari, cum homines coguntur unũ Romanum Pontificem pro capite ecclesię agnoscere, sed congregatur in unum, cum in uni uerso mundo prędicatã idem Euangelion Apostolicum de Iesu Chri sto, & cum ex Euangelio unus solus Iesus Christus pro uero nostro seruatore agnoscitur. Ecclesia enim generalis, quam uocant Catholi cam, non est illa, quę sine omni recto iudicio amplectitur ueteres ac nouas impietates Pontificum, sacrificulorum & Monachorum, sed quæ ex uera fide amplectitur piam doctrinam Euangelij de Iesu Chri sto, traditam ab Apostolis. Quare, etsi his temporibus multi pro scripti sunt per Pontifices à Romana ecclesia, tamen si credunt Euan gelio Christi, & sectantur uocationem eius, non sunt proscripti à ue ra Catholica ecclesia, in qua tantisper manent, ac beneficijs eius fru untur, dum non abijciunt Iesum Christum, unicum nostrum seruato rem. Sed audiamus nunc huius Concilij definitionem, seu ut nunc lo quuntur a

Ecclesia ca tholica quæ sit.

quuntur, Receſſum. Ab illo ergo die conſultabant inuicem, ut interficerent eum. Definiunt Ieſum Chriſtum eſſe occidendum, quoquo modo id fieri poteſt. Hoc autem decretum non eſt oſcitanter conſiderandum. Etſi em̄ hactenus multi Iudæi contẽpſerunt Ieſum, nec uoluerunt eum pro Meſsia ſeu Chriſto agnoſcere, tamen peccatum priuatorum hominum non ſolet imputari communitati gentis. Nunc autem abiiciunt & damnant Ieſum Chriſtum hi, qui habebant publicã gubernationem totius Iudaicę gentis. Quare ut hi incipiunt ab hoc Concilio cogitare de opprimendo & interficiendo Ieſu Chriſto, ita uiciſsim Deus cogitat ab hoc tempore hanc Iudaicam gentem abiicere, & in ipſis implere, quod iam ante à Prophetis dictum eſt. Moſes dixit, Deum, qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es domini creatoris tui. Vidit DOMINVS & ad iracundiam prouocatus eſt, quia prouocauerunt eum filij ſui & filiæ. Et dixit. Abſcondam faciem meam ab eis, & conſiderabo nouiſsima eorum. Generatio enim peruerſa eſt, & infideles filij. Ipſi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, & irritauerũt in uanitatibus ſuis. Et ego prouocabo eos, in eo, qui non eſt populus, & in gente ſtulta prouocabo eos. Et Dauid. Effunde ſuper eos iram tuam, & furor irę tuę comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit, qui inhabitet. Quid multa? Teſtatur tota ueteris Teſtamenti ſcriptura, ꝙ Deus abiecturus ſit electum ſuum populum, propterea ꝙ ipſi abiecturi ſint electum filium ſuum Ieſum Chriſtum. Quæ res cum manifeſte ſit in Iudęis impleta, agite, amiciſsimi, fruamur aliena inſania, obediamus diuinę uocationi, agnoſcamus Euangelion Chriſti, ut iuſtificati ex fide, ueram ſalutem conſequamur per Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA VI.

VIDIMVS in eo miraculo, quo Lazarus à mortę excitatus eſt, diuinam potentiam & maieſtatem DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, uideamus nũc in ea fuga, qua Ieſus ſe ad ciuitatem deſerti recepit, humanã ipſius impotentiã & humilitatẽ. Poſtquam em̄ Pontifices non ſolum cogitarunt, ſed etiam decreuerunt Ieſum interficiendum, & mandarũt, ut quiſquis cognouiſſet, ubi eſſet, indicaret, quo comprehenderetur, Non iam propalam, (inquit Euangeliſta) ambulabat inter Iudęos, ſed abiit illinc in regionem iuxta deſertum in ciuitatẽ, quę dicitur Ephraim, & ibi uerſabatur cum diſcipulis ſuis. Admirabitur ergo quiſpiam, quid Chriſto ac

ciderit, ꝙ cum antea publice prędicauerit ſe eſſe uitam & reſurrectionem, & cõprobauerit illud excitatione Lazari à morte, nunc autẽ ita metuat inſidias Pontificum & phariſęorum, ut etiam fugiat, & ſeſe in ciuitatem deſerti abdat, Num qui fuerat paulo ante uictor mortis in Lazaro, non potuit eſſe uictor inſidiarum, in Pontificibus? Potuit ſane, ſed qui ſuſceperat propter nos humanam ſubſtantiam, ſuſcepit etiam propter nos humanas imbecillitates. Cum Chriſtus, inquit Paulus, eſſet in forma Dei, non rapinã arbitratus eſt, ut eſſet ęqualis deo, Sed inaniuit ſemetipſum, forma ſerui ſumpta, in figura hominũ conſtitutus, & figura repertus ut homo. Quę aũt eſt forma ſerui? quæ eſt figura hominum? Seruus metuens uerbera dñi ſui, fugit & abſcondit ſe in occultum locum. Homo inermis metuens inſidias aduerſariorũ, ſolet ſeſe è manibus, & ex oculis eorũ alió conferre, ut ſaluti ſuę conſulat. Quare, cum Chriſtus acceperit formam hominis, adeoꝙ ſerui hominis, fugit & ipſe ſuos aduerſarios, cum tamen potuerit uno nutu oẽs perdere. Fugit aũt, non ut peccet, non ut uoluntati Dei, qua ad ſubeundã crucem & mortem uocatus erat, obſiſteret. Paulo poſt enim, cum tempus eſſet, non ſolum reuertitur, uerumetiam tradit ſe aduerſarijs captiuum, percutiendum & occidendũ. Sed fugit p̃cipue propter duas cauſſas. Altera eſt, ut ſua experientia edoctus, meticuloſis ſuccurreret. Non habemus, inquit Apoſtolus, Pontificem, qui non poſſit affici ſenſu infirmitatum noſtrarũ, ſed tentatum per omnia, iuxta ſimilitudinem abſqꝙ pc̃tõ. Altera eſt, ut in ſua perſona oſtenderet, quale ſit regnum ſuum, in membris ſuis, dum adhuc in hoc ſeculo uitam agunt. Multa em̃ prędara ſcripta ſunt de ijs, qui Chriſtum agnoſcunt, & eum obedienꝫ ſuſcipiunt. Eſaias ait: Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt ueſtigia pedum tuorum oẽs qui detrahebãt tibi. Et Hieremias: In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter. Has & alias id genus promiſsiões poſſent hi, qui credũt in Chriſtum ſic intelligere, perinde ac ſi Chriſtus deberet in ipſis, in hoc corporali ſeculo tam potens eſſe, tamꝙ fortis, ut eſſent externa maieſtate cunctis hoſtibus ſuis formidabiles, nec ipſi fugerent unquam ſuos aduerſarios, ſed potius aduerſarij fugerẽt ipſos. Chriſtus aũt dãnat hunc ſenſum ſua fuga, & cũ neqꝙ diſcipulus ſit ſupra p̃ceptorẽ, neqꝙ ſeruus ſupra dñm, ſignificat, ꝙ quẽadmodũ in ſua perſona tã imbecillis eſt, ut nunc qdem fugiat, poſtea aũt capiat, crucifigatur, & interficiatur, ita uelit & in membris ſuis tam imbecillis eſſe, ut aduerſarios ſuos metuãt, & fugiant, ac ſi non ſemper ab ipſis occidanꝫ, tñ neceſſe habeant uel tandẽ mortis tyrannidem ſubire. Quare nõ admiremur in aduerſis, ꝙ non ſentiamus externũ auxiliũ Dei, ꝙ Deus nõ perdat aduerſarios noſtros fulmine, ꝙ Chriſtus nõ eripias

Chriſti fuga.

eripiat nos admirabiliter è manu aduersariorum, sed cogitemus, ꝙ quēadmodum Christus fuit in hoc seculo imbecillis in sua persona, ita etiā uelit adhuc in membris suis imbecillis esse. Sed quid? Num hæc imbecillitas Christi est ꝓpetua? Nihil minus, Quem eñ uidemus nūc insidias aduersariorꝫ fugere, & postea capi ac mori, eum uidebimus paulo post, clarissimā uictoriā à morte reportare, in cœlestē sublimitatem extolli, & ad dextram Dei sedere, ac oīa tam in cœlo ꝙ in terra sibi subiicere. Sicut aūt non fuit perpetuo in sua persona imbecillis, ita nō est ꝓpetuo in mēbris suis imbecillis. Sed seruabit ea ut potent, sic & opportune. Si cōmortui sumus, inqt Paulus, & cōuiuemus, si sufferimus, & cōregnabimus. Et iterꝫ: Nostrꝫ politeuma est in cœlis, unde & seruatorē expectamus dñm Iesum Christū, qui transfigurabit corpus nostrꝫ humile, ut conforme reddat corpi suo glorioso, secundum efficaciā, qua potest sibi subiicere oīa Quare in imbecillitate nostra nō sunt defigendi oculi in externa rerꝫ spectacula, quæ cum uideant horribilia, sollicitare nos solent ad abiiciendam omnem spem salutis, sed defigendi sunt in maiestatē Christi, quam recepit se cum omnibus iis, qui in ipsum credunt, communicaturum. Instabat autem Pascha Iudæorum, & ascenderunt multi Hierosolymam è regione ante pascha, ut purificarent se. Hoc est illud pascha, quo Christus postea mortem subiit. Non est autem opportunum nec necessarium, ut hoc loco totam Iudaici paschæ rationem explicemus, quo Israelitæ uescebantur agno paschali. Dicamus tamen quędam de purificatione, cuius hic fit mentio. Nam in esu agni paschalis, nullus datus est locus immundis et impuris. Habebant aūt immūdi, qui uel nō erant circumcisi, uel tetigerant morticina, uel laborabāt impuro morbo aut fluxu, denicꝫ cōtrahebat immundicies in lege Mosaïca multis aliis rebus, quas non est opus hoc loco cōmemorare. Quod enim ad esum agni paschalis attinet, arcebant ab eo incircūcisi, quēadmodum scriptum est in Exodo cap. duodecimo: Si quis (inquit) circūcisus nō fuerit, nō uescetur ex eo. De aliis aūt immundis scriptum est in Numeris, cap, nono, Tanta eñ seueritate obseruatum est, ut nō nisi mundi uescerentur agno paschali, ut lex maluerit celebrationē festi paschę reiicere in secundū mensem, ꝙ ferre, ut immūdis daretur locus in esu agni paschalis. Et cum Ezechię tempibus contingeret, ut ne in secundo quidē mense oēs mundi essent, necesse habuit Ezechias immūdos publica oratiōe expiare ac sanctificare. Orauit, inqt scriptura, pro eis Ezechias dicēs. DOMINVS bonus ꝓpiciabitur cunctis, qui in toto corde reqrunt Dñm deū patrꝫ suorꝫ, & non imputabit eis, ꝙ minus sanctificati sunt. Porro sanctificatio et purificatio in lege fiebat uariis cerimoniis. Incircūcisus necesse habebat circūcidi. Leprosus, mūdaba

Christi imbecillitas.

Agni paschalis esus.

2. Paralip.

tur ſacrificijs & aſperſiõe ſanguinis. Alij mundabantur aquâ expiatiõis, de qua eſt in Numeris cap decimo nono. Quod cũ ita ſe haberet in lege Moſaïca, non eſt nunc obſcurũ, qd ſibi uelit, ꝙ Euangeliſta hoc loco dicit, multos ludęos aſcẽdiſſe ante feſtũ paſchę ad Hieſm, ut ſe purificarẽt, uidelicet hoc egerunt, ut ab immunditia ſuis ritibus ſanctificati, redderent̃ mundi & idonei ad ueſcendum agno paſchali. Sed quẽadmodũ eſus agni paſchalis fuit cerimonia per ſe nec iuſtificãs nec ſanctificans ueſcentẽ, ita nec externus ille & Moſaïcus ritus purificationis emundabat hoïem corã deo. Primum em̃ hæc cerimonia erat tm̃ ciuilis q̃dam mundicies, ꝓpter quã dabat̃ ei, qui ante immundus iudicatus fuerat, locus in publica eccleſię cõgregatione. Deinde adũbrabat uerã emundationẽ, quę fit per fidẽ ꝓpter ſolũ Ieſum Chriſtum. Veſci em̃ agno paſchali, eſt frui bñficijs Chriſti, qui eſt uerus agnus paſchalis. Bñficia aũt Chriſti ſunt, remiſsio pc̃tõrũ, iuſtitia, liberatio, ſalus, ꝓpetua uita & felicitas, q̃bus certe nemo frui poteſt, nſi fuerit antea purificatus & ſanctificatus. Sanctificamur autem tribus

Sanctificatio quomodo fiat

p̃cipue reb. Vna eſt, agnitio ſordium, hoc eſt, pc̃tõrũ noſtrorũ. Ergo, qui aut putãt ſe meritis ſuę iuſtitię ſanctos, aut impudent̃ peccãt, nec uolunt ꝓpter pc̃tã reꝑhendi, ſed defendunt ea, hi non ſunt idonei ad eſum ueri agni paſchalis, & nõ fruunt̃ bñficijs Chriſti. Altera eſt fides in Ieſum Chriſtum, ꝙ ꝓpter hunc ſolum reputemur corã deo iuſti, & mundi à ſordibus pc̃tõrũ. Ergo, qui contẽnunt Ieſum Chriſtũ, nec obediunt Euãgelio eius, hi non ſunt p̃parati ad ueſcendum agno paſchali, hoc eſt, ad fruendum bñficijs Chriſti. Tertia eſt, honeſtas uitę ex ſpiritu Chriſti. Hæc honeſtas etſi per ſe non ſanctificat hoïem corã deo, tm̃ ubi eſt uera fides in Chriſtum, ibi neceſſario ſequitur honeſtas uitę, quę etiã deo grata eſt propter Chriſtũ. Ergo, qui gloriant̃ nomine Chriſti, & tm̃ pergunt conſceleratã uitam agere, hi non ſunt idonei, ut edant agnum paſchalẽ, & fruant̃ bñficijs Chriſti. Non eſt aũt uno tm̃ tempe agnoſcendum pc̃tm̃, credendum in Chriſtum, & uiuendũ honeſte, ac pie. Sed hoc eſt officium noſtrũ, ꝙ toto uitę noſtrę tempe agendum erit. Quare tota mẽte in hoc ſtudium incumbendum eſt, ut qcqd id eſt officij, diligentiſsime faciamus, q̃ deẽ nobis locus in eſu cœleſtis agni. Sed reuertamur ad ludęos. Quęrebant ergo

,, Ieſum, & colloquebant̃ inter ſe, in templo ſtantes. Quid uideẽ uobis,

,, ꝙ non uenerit ad diem feſtum? Vt ſunt uaria hoïm ingenia, ita uaria ſunt ſtudia eorũ, qui quęrunt Ieſum. Alij quęrunt eum, nouitatis ſtudio, ut uideãt illum, quẽ audiuerunt mortuos excitare, Alij, ut prodãt eum pontificibus et phariſęis. Alij, ut hac occaſione exprobrent populo ſuã credulitatẽ, qui ſentiebant Ieſum eſſe uerum Chriſtum. Pontifices

fices em̃ non ſolum decreuerãt ſe interfecturos Ieſum, ſed etiã ędiderant mandatũ, q̃ iubebãt indicari, ubi Ieſus eſſet, ut cõprehenderetur. Cum aũt Ieſus non ueniret ad Hieruſalem eo tpe, quo alij, ante diem feſtum paſchę, arripiunt occaſionẽ calumniãdi eum, & ſignificandi populo, ꝙ non poſsit eſſe uerus Meſsias. Stant em̃ in templo, quaſi iã uiciſſent, & dicunt: Quid uidetur uobis, ꝙ non uenerit ad diem feſtum? Hoc autẽ uolunt dicere. Quid? Vos qui è uulgo eſtis, creditis hunc Ieſum eſſe Meſsiam, Sed ecce uobis eum. Metuit, fugit, latet, nõ audet prodire in lucẽ. Si eſſet uerus Meſsias, qs poſſet ei obſiſtere? qs poſſet in eum manus inijcere? Dictum enim eſt de Meſsia. Dñabitur in medio inimicorꝝ ſuorꝝ. Dñabitur à mari uſq; ad mare. Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terrã lingẽt. Confundantur & deficiãt detrahẽtes aię meę, operiant̃ cõfuſione & pudore, qui quę runt mala mihi. Hęc & mlta id genus alia de Meſsia ſcripta ſunt. Nũc autẽ hic Ieſus metuit minas inimicorꝝ ſuorꝝ, & q̃rit ſibi ſalutẽ fuga, ut manifeſte appareat, ꝙ ſuccumbat hoſtibus ſuis. Quare fieri non põt, ut ſit uerus Meſsias. Habes ſententiã calũniatorꝝ. Sed cur Ieſus Chriſtus ſeceſſerit antea ac fugerit, ſuas habet, eaſq; iuſtas & diuinas cauſſas, quarꝝ nõnullas ſupra expoſuimus, hoc autẽ loco cõſiderandũ nobis eſt, q̃ inique iudicet hic mundus de factis Ieſu Chriſti. Non poteſt in eo ullam imbecillitatẽ ferre, nęc poteſt quicq; candidè interp̃tari. In alijs fuga periculorꝝ iudicat̃ eſſe prudentia laude digna. Hic, inquiunt, uir eſt prudentiſsimus, ꝙ in tempore proripuerit ſe è medio. Hic eſt fortunatus, ꝙ opportune euaſerit manus inimicorꝝ ſuorũ. In Ieſu aũt dãnat̃ fuga periculorꝝ, & iudicatur eſſe argumentũ, q̃ probetur, eum non eſſe uerꝝ Meſsiã. Quid hoc iudicio magis peruerſum? Nam ſcriptura, quę cõtionat̃ de maieſtate Meſsię, ea cõtionatur etiã de humilitate & imbecillitate eius. Quę res manifeſtior eſt, q̃ ut debeat hoc loco mltis explicari. Quod aũt Ieſu Chriſto accidit, idẽ etiã mẽbris eius in hoc mũdo accidere ſolet. Non poteſt em̃ mũdus in his qui credũt in Chrm̃, & uerã pietatẽ profitent̃, ferre aliquã imbecillitatẽ aut leue aliq̃d erratũ. Si q̃d ab his recte aut mediocriť fit, obnoxium eſt calumnię, & rapiť in peſsimã partẽ. Si q̃d errat̃, hic oẽs exclamare ſolent, Hoccine eſt Chriſtianum? hoccine eſt Euãgelicum? Itaq; cum mundus nõ ſolum ferat in ſuis grauiſsima q̃q; ſcelera, ſed etiã defendat, aut ſi id non poteſt, excuſet ac extenuet ea, nõ poteſt tñ ferre in profeſſoribus uerę pietatis, uel cõmune erratum, uel etiã non inique factum. Non eſt aũt res mirãda, Hic em̃ mundus eſt regnum Satanę, q̃ppe ꝙ Satan ſit huius mundi princeps. Vbi aũt Satã dñatur, ibi neceſſe habẽt pij mltas & graues ferre afflictiões. Et ſciũt pij, ſe peregrinos in terris agere. Inter extraneos aũt facile inuenias inimicos, q nõ

data tm̃, ſed etiam arrepta occaſione in te inuehantur. Quare, cũ hęc ſit in hoc mundo piorũ conditio, debent ſummã dare operã, non ut in diſcriminatim omnibus hominibus etiam impijs placeant, ſed ut recte faciãt, ac dño deo ſuo placeant, deinde ſi errauerint alicubi, quis enim eſt, qui non peccet? conferant omne ſtudium ſuum ad reſipiſcendum, ut ſiue Satan, ſiue organa eius, impij homines in ipſos uel calũnijs, uel alijs iniurijs graſſantur, diuinitus cõſeruentur. Sed audiamus nũc, quod Euangeliſta in fine huius capitis addit. Dederant aũt Pontifices & phariſęi præceptum, ut ſi quis cognouiſſet, ubi eſſet, indicaret, ut comprehenderẽt eum. Quid ergo hoc præcepto effectum eſt? num comprehenderunt eũ ante ſuum tps? Nihil minus. Etſi enim leſus ſeceſsit in ciuitatem deſerti, tamen uerſabatur in ea nec ocioſus, nec obſcurus. Concionabatur, Ædebat miracula, quemadmodum alij Euangeliſtę teſtantur. Poſt, redit ad Bethaniã. Ingreditur urbem Hieroſolymam aſello. Eijcit uendentes & ementes è templo. Contionatur in templo. Ac poſtq̃ exijſſet urbem, iterum reuertitur in eam, & edit tandem in ea agnum paſchalem publice & libere, nec quiſquam eſt, qui manus in eum injiciat, & comprehendat ipſum, donec tempus illud aduenit, quod à Deo conſtitutum erat. Vides igitur mandatum Pontificum fuiſſe uaniſsimum. Hoc autem duplici nomine obſeruandum eſt. Primum, ut ſimus forti & firmo animo in minis aduerſariorum. Si quis enim Chriſti membrum eſt, tantę curę eſt Deo, ut aduerſarij ne pilum quidem capitis eius mouere poſsint, niſi acceperint poteſtatem à DOMINO. Non datur autem eis poteſtas à domino, in pios, niſi ſi cogitet magna pijs beneficia conferre. Quare minę aduerſariorum non ſunt metuendę, ſed potius metuendum & cauendũ eſt, ut aduerſus DOMINVM non peccemus, ſed in uocatione eius pergamus & perduremus. Deinde prodeſt hoc diligenter cognoſcere, ut compeſcamus cupiditatem inferendi mala hominibus. Ponamus enim huc in medio hominem, qui cogitat malis afficere proximum ſuum. Queſo igit̃ te, conſidera cum animo tuo, quàm uanum, quàmque tibi ipſi perniciosum laborem ſuſcipias. Aut enim Deus nondum ſtatuit mala ſeu aduerſa proximo tuo immittere. Quis igitur tu es, qui poſſes obſiſtente Deo pximum affligere? aut Deus ſtatuit aduerſa proximo tuo immittere. Accident ergo ei aduerſa etiã ſine tua coopatione. Quod ſi autem tu pręterea manũ tuam admoues, & proximo contra legẽ Dei malefacis, nihil certius eſt, q̃p q̃ malũ tandẽ in te recidat. Voluit deus unigenitũ filiũ ſuum cruci & morti obijcere. Prębuerũt aũt ſe organa ad hanc rẽ pficiendã Pontifices ac phariſęi, idq̃p ex impietate & inuidia erga filium Dei. Quid ergo factum eſt? Crucifixus quidem eſt & mortuus filius Dei, ſed hic euaſit crucẽ & mortem magna maieſtate, illi aũt coniecti ſunt in perpetuam mortẽ & in-

fernum. Voluit Deus affligere Dauidem. Cui rei perficiendæ p̃buit sese organū Absalom filius eius, qui & patrem è regno expulit. Quid ergo factum est? Abijt quidem Dauid in exilium, sed paulo post reuersus est in regnū magna gloria. Absalom aūt pependit. De impijs malefactoribus dicit Psalmus: Ecce pct̃ores intenderūt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde: Sequitur autē. DOMINVS pluet super pct̃ores laqueos. Ignis & sulphur & spūs procellarū pars calicis eorum. Et iterum de malefactore dicitur. Ecce parturit iniustitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem. Lacum aperuit et effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Conuertetur dolor in caput eius, & in uerticem ipsius iniquitas eius descendet. Quare abstineamus manus ab inferendo malo proximis nostris, studeamus aūt eis bñfacere, ut nobis uicissim benefiat per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

CAPVT XII.

HOMILIA VII.

SÆPE & multū contionatus est Christus discipulis suis, q̃ esset in Hierusalem, urbe, prophetarū cæde illustri, crucem & mortem subiturus. Venit em̃ in hunc mundū, non ut ageret externum Monarchã in terra, nec ut iucundam uitã duceret in carne, sed ut suscepta humana imbecillitate, afficeret̃ morte, quo expiaret pct̃a nostra, & reconciliaret nos cū deo patre suo. Postq̃ igit̃ hi festi dies paschæ, q̃bus diuinitus constitutū erat, ut Chrūs filius dei interficeret̃, appropinquaret̃, suscipit sua sponte profectiõem ad urbem Hierosolymã, ut uoluntati & uocationi dei patris obsequeret̃. Ac secessit quidē antea nõ nunq̃, et fugit aduersarios suos, nūc aūt incipit sese ultrò eis offerre, ut palã significet, se non fugisse antea impio metu mortis, sed pia prudentia declinasse pericula. Iesus ergo ante sex dies paschæ (hoc est sex diebus ante pascha) uenit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quē suscitauit à mortuis. Hæc est illa profectio uersus urbē Hierosolymã, in quà profectione Iesus manifeste cõtionatus est, discipulis suis, quæ sibi Hierosolymis essent euentura. Ecce (inquit) ascendimus Hierosolymã, & filius hois tradetur principibus sacerdotū et scribis, & cõdemnabūt eum ad mortē, & tradent illum gentibus, & illudēt illi, & flagellabunt eū, & inspuent in illum, & occident eū, & tertia die resurget. Etsi aūt discipuli hæc nõ intelligebãt, tñ quia sciebãt p̃cepto rē suū in magna esse inuidia apud Põtifices, ac iã uulgatū esse à Pontificib. edictū, ut cõphenderet̃, sequebant̃ eū pauefacti, ut Marcus ait,

& magno timore perculsi. Primum igit, uides in discipulis exemplũ humanę imbecillitatis & incredulitatis. Discipuli enim agnoscebant hunc Iesum, pro uero Messia, habebant promissiones eius, Vestri etiam pili capitis omnes numerati sunt, Et. Qui in me credit, nõ perit, sed habet ęternam uitã, sciebant miracula eius, fuerant antea sępe, in periculis maris, & in fame mirabiliter seruati, attamen sunt tam imbecilli animo, ut sequantur quidem Iesum uersus urbem Hierosolymã, sed magna trepidatione. Quid est, ꝙ non sint fortiores? In promptu caussa est, quia non ponunt sibi ob oculos contiones Christi, non certitudinẽ promissionum eius, non miracula eius, non ueritatẽ Prophe ticorum dictorꝝ de Christo, sed defigunt & intendunt animos tantũ in minas & edicta Pontificum, & in pericula, quę Hierosolymis uidebantur propter Christum ipsis euentura. At em̃ si quis forti animo, ut debemus, uocationem Dei sectari uoluerit, non est ei respitiendũ in humanas minas, & externa pericula, sed in diuinum uerbum, quo ambulanti in uocatione Dei omne cœleste auxilium promissum est. Inuoca me, inquit, in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Quod si quis aũt uoluerit metuere pericula, metuat magis grauiora ꝙ leuiora. Ne metuatis, inquit, uobis ab his, qui occidunt corpus, animam aũt non possunt occidere, sed metuite magis illum, qui potest & animã & corpus ꝑdere in gehenna. Deinde habes in Christo exemplum diuinę clementię. Discipuli merebantur propter hunc importunum metum non reprehendi tantum, sed etiam abiici, Christus aũt tolerat imbecillitatem eorꝝ clementissime, ut ꝓspicue doceat, se nõ uenisse in hũc mundũ ꝓpter sanos, sed ꝓpter infirmos, ideoꝙ non debemus in infirmitatibus nostris aim despondere, sed quãto maior est infirmitas, tanto certior nobis salus per Christũ speranda est.

Fecerunt aũt ei cœnã ibi, & Martha ministrabat, Lazarus uero unus erat de numero discumbentiũ cum eo. Iterꝝ commendat pietas & hospitalitas duarꝝ sororum, Marię ac Marthę & fratris earꝝ Lazari, erga Iesum Christum. Nec recensent noĩa eorum ociose. Marthę tribuitur ministeriũ mensę, pro ueteri eius sollicitudine. Lazarus cõmemorat inter discumbentes, ut rursus admoneamur de ueritate miraculi in ipso ꝑditi. Lazarus em̃ nõ euanuit ex oculis hoĩm post excitationẽ eius, sed uixit supstes ecclesię, exercuit uera opa uitę, edit et bibit cũ alijs hoĩbus, ut manifeste cognosceret, ꝙ nõ fuerit spectrꝝ, sed uere a morte excitatus. Reliquũ igit est, ꝙ cũ miraculũ in Lazaro ꝑditũ, sit certũ ac uerꝝ miraculũ, doctrina etiã Iesu Christi, qui hoc miraculũ ꝑdidit, sit certa ac uera. Maria autem soror Marthæ & Lazari ꝑcipuas habet partes in cœna, ꝗppe ꝙ propter factũ eius hęc cœna ab Euangelista commemoretur. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistice preciosę

præcioſę & unxit pedes Ieſu, & exterſit capillis ſuis, domus autem im
pleta eſt ex odore unguenti. Non diſputabimus nunc, Vtrum hæc
unctio alia fuerit, quàm ea, quę à Matthæo & Marco deſcribitur in
domo Simonis leproſi facta. Rem ipſam conſiderabimus. Gentiliti-
us mos erat, honeſtis hoſpitibus pedes lauare. Ex quo illud Pauli eſt, *Pedes lauare.*
quod de uidua ſcribit. Si fuit hoſpitalis, ſi pedes ſanctorum lauit. Sic
& Chriſtus, cum ſignificare uellet, ſe diſcipulos excepiſſe quaſi hoſpi
cio, & cupere ipſis miniſtrare, lauit pedes eorum. Itaq; Maria ſoror
Lazari, poſtquam excepiſſet Ieſum Chriſtum hoſpitem longe omni-
um honeſtiſsimum, non uſa eſt uulgari aqua ad lauandos pedes eius,
ſed ut teſtaretur ſummũ & ardentiſsimum amorem ſuum erga Ieſum,
pro aqua utitur unguento optimæ nardi, quod habebat inter præci-
pua κειμήλια ſua repoſitum. Valebat enim, ut poſtea ſequitur, trecen-
tis ferè denarijs, hoc eſt, ſi ad noſtrum nomiſma conferas, triginta ſep
tem aureis Rhenanis. Huic tam prętioſo unguento non pepercit Ma-
ria, ſed effudit ipſum uelut aquam in pedes Ieſu, ad quos extergen-
dos pro linteamine uſa eſt ſuis ipſius capillis, ut hoc ſpectaculo decla
raret quanta fide & beneuolentia Ieſum amplecteretur. Oritur ergo
diſputatio de hoc opere Mariæ, Vtrum ſit opus bonum, an malum.
Sunt autem hic diuerſæ ſententiæ. Nam Iudas & nonnulli alij pror-
ſus damnant hoc opus. Sic enim ſequitur. Dicit ergo unus ex diſcipu- ‹‹
lis eius, Iudas Simonis Iſchariotes, qui erat eum proditurus. Quare ‹‹
hoc unguentum non uenijt trecentis denarijs, & datum eſt egenis? Iu- ‹‹
das ſentit improbe factum, q̃p mulier tam præcioſum unguentum in ‹‹
pedes Ieſu effuderit. Et addit cauſſam. Deus præcepit, ut iuuemus ‹‹
pauperes. Potuiſſet autem hoc unguentum uenundari magno, & da-
ri pauperibus. Quod certe multo utilius, & Deo gratius fuiſſet, q̃ q̃p
tã temere eſt in pedes & terrã effuſum. Quid uideť poſſe religioſius
dici? Et quis negat pauperibus eſſe benefaciendum? Sed Iudas omni
ſcelere coopertus eſt. Primum enim impie abutitur nomine pauperũ,
imo prętepto Dei de pauperibus, ad tegendam & uelandam cupidita ‹‹
tem ſuam. Sequitur enim. Dixit autem hoc, non q̃p pauperes illi curæ ‹‹
eſſent, ſed quia fur erat, ac marſupium habebat, eaq; quæ mitteban- ‹‹
tur portabat. Exemplum Iudæ ſequuntur hi magiſtratus ac officiales,
qui nomẽ reipub. prętexũt ſuę uel inuidię, uel auaricię, uel tyrannidi.
Sequunť & hoc exemplũ Pontifices Euangelij pſecutores, qui prętex
unt nomẽ Chriſti, ſuę ambitiõi & impietati, ac dicunt ſe quęrere tm̃
gloriã Chriſti, cũ interim in hoc ſolum ſtudiũ incumbant, ut ſuã dig-
nitatem impoſturis partam tueantur. Hi autem, uno facto uaria &
horrenda peccata deſignant. Peccant em̃ uel ambitione, uel inuidia,
uel furto, uel tyrannide. Et peccant blaſphemia nominis aut uer-

bi dei, ꝙ abutantur nomine aut uerbo dei ad operculum peccati sui. Deinde Iudas prodidit sordidum suum ingeniũ, ꝙ existimat hoc demum esse honestum, quod est q̃stuosum. Potuit, inquit, hoc unguentum uenundari trecentis denarijs. Ergo sentit pecuniam parare, præcipuam esse honestatem & utilitatem. Iudam imitantur hi, qui inter opifices aut negociatores non curant, ꝙ̃ piam negotiatiõem, sed ꝙ̃ quę stuosam sectentur. Imitantur & hi Iudam, qui inter studiosos bonarũ artium, deserunt studium sacrarum literarum, & sectantur alia studia hac tantum caussa, ꝙ uideant sacras literas esurire & algere, alia autẽ studia facere magna compendia. Hi sunt uere sterquilinia, qui ne cum honestis quidem Ethnicis conferendi sunt. Honestas enim nõ est metienda pecunia, sed ut Ethnici loquuntur, uirtute, ut nos autem loquimur, uoluntate dei, lege & uerbo dei. Præterea Iudas committit furtum. Fur, inquit, erat, ac marsupium habebat, eaq̃ quę mittebantur, portabat. Qui autem furatur publicam pecuniam, curę suę demandatam, non committit simplex furtum, sed peculatum, ac sacrilegium. Adhęc Iudas est ingratus (quid autem uitio ingratitudinis aut maius aut turpius?) in dominum ac pręceptorem suum. Accepit enim multa & magna benefitia à Iesu Christo. Non commemorabo iam illa beneficia, quę sunt Iudę cum alijs hominibus cõmunia, uidelicet, ꝙ per Christum sit homo creatus, & hactenus in uita cõseruatus, sed de his dicam, quę Christus in ministerio Euangelij in Iudam contulit. Elegit eum in Apostolum suum, Dedit ei donum ędendorum miraculorum. Commendauit ei tanꝙ̃ diligentiori curam fisci. Egestas eius, beneficio Christi hactenus sustentata est. Quę enim conferebantur in fiscum, quo Christus & apostoli usi sunt, ea non propter Iudã, sed propter Christum conferebantur. Et tamen, cũ tot benefitijs fuerit à Christo affectus, tantę est ingratitudinis, ut non possit æquo animo ferre iacturam aliquot aureorum numorum, qui in Christum impẽdebantur. Non dissimilis ingratitudo est liberorum in parentes. Etsi enim parentes educarunt liberos magno labore & sumptu, ac etiam eloquerunt honeste, liberi tamen solent aliquoties tam ingrati esse, ut in parentes ęgritudine & senectute grauatos, ne paucorum quidem argenteorum sumptum faciant. Eadem fere ingratitudo est populi erga suum magistratum. Nam quicquid populus facultatum possidet, hoc possidet beneficio quidem dei, officio autem magistratus, qui tuetur publicam tranquillitatem. Sed uide populi ingratitudinem, Si quid conferendum est ad publicam necessitatem, ibi non audias nisi murmura, conuitia & maledicta. Quid dicam de ingratitudine Ecclesiæ erga suos ministros? Mediocres sunt opes ecclesiasticę, quę adhuc reliquę sunt. Ex his, si ministris, quorum officio cœlestia nobis bona diuinitus

uinitus conferuntur, aliquid ad ſuſtentãdam ipſorum honeſtatem nu merandum eſt, cõtinuo uociferari ſolẽt, Quis auarior eſt ſacrificulis? quis cupiditatem eorum explere poteſt? Sed interim, q̃ ſic miniſtros eccleſię accuſant auaritię, in hoc prȩcipue ſtudium incumbere uiden tur, ut ipſi eccleſiaſticis opibus fruantur. Exiſtimas ne Dominum De um noſtrum tantam ingratitudinem impune laturum? Non feret, nõ feret, inquam. Domus mea, dicit Dominus Zebaoth, deſerta eſt, & uos unuſquiſq; feſtinatis in ſuam domum, propter hoc ſuper uos pro hibiti ſunt cœli ne darent rorem, & terra prohibita eſt, ne daret ger men ſuum, & uocaui ſiccitatem ſuper terram, ſuper montes, & ſuper triticum, & ſuper uinum & ſuper oleum, et quȩcunq; profert humus, & ſuper homines & ſuper iumenta, & ſuper omnem laborem manu um. De peccatis quidem & ſceleribus ludę hactenus. Sed priuſquã à ſententia ludæ ad exponendam ſententiam Chriſti ueniamus, nõ eſt prȩtereundum, q̃d in ea unctione, quam alij Euangeliſtę deſcribunt, ſignificetur non ludam tantum, uerumetiam alios diſcipulos indigna tos fuiſſe, & de effuſione tam precioſi unguenti uociferatos: Ad quid perditio hȩc? Veriſimile igitur eſt, quod unus Iudas initio de effuſio ne unguenti, hoc quod diximus clamauerit, alij autem nõnulli clamo re eius excitati ſunt, ut & ipſi indignarentur. Hoc illud eſt, quod Sa lomon dixit, Vnus peccator, perdit multa bona, ſicut muſcę mortuæ perdunt ſuauitatem unguenti. Alij enim diſcipuli per ſe quidem be ne conſuluiſſent effuſionem unguenti, Sed quia habent in contuber nio ſuo Iudam clamatorem & calumniatorem, fiũt & ipſi clamatores & calumniatores, ſecundum id q̃d uulgo dici ſolet: Si iuxta claudum habitaueris, fies & ipſe claudus. Fugiamus igitur contubernia malo rum, ne ſimiles ipſorum contagione efficiamur. Quod cum ita ſe ha beat, audiamus nunc ſententiam Chriſti de opere Mariæ. Dixit ergo ‘‘ Ieſus: Sine illam: In diem ſepulturę meę ſeruauit iſtud. Pauperes enim ‘‘ ſemper habetis uobiſcum, me uero non ſemper habetis. Longe alia ‘‘ eſt ſentẽtia Ieſu Chriſti, cũ ludę Iſcharíotis, de opere Marię. Hic enim uocat opus perditum, Ieſus autem, Bonum, inquit, opus operata eſt erga me. Et addit cauſſam: In diem, inquiens, ſepulturę meę ſeruauit iſtud, hoc eſt, ualde opportune effudit in me hoc unguentum. Ego e nim paulo poſt moriar & ſepeliar. Solenne autem eſt, ut mortui con dantur aromatibus. Sic enim poſtea ſcribit Ioannes de Ioſeph & Ni codemo, Acceperunt, inquiens, corpus Ieſu, & obuinxerunt illud lin teis cũ aromatibus, ſicut mos eſt Iudęis ſepelire. Quod ergo alij mor tuis impendunt, hoc Maria mihi adhuc uiuo impendit, ut ſignificet me non diu uicturum in hac terra, ſed breui moriturum, & ſepelien dum. Quantum obſecro ſumptus inſumptum eſt, iam inde à tempori

bus patriarcharum, in ſacrifitia boum, ouium, caprarum, agnorum, & aliarum rerum? Hęc fuerunt ſuauiſſimus odor coram deo, non propter boues ipſos aut capras, ſed propter mortem meam, quam adumbrabant. Si autem ſacrifitia, quę tanto ſumptu cõſtiterunt, fuerunt bona opera, proptetea q̃ ſignificarent meam mortem, cur non & hęc unctio Marię inter bona opera numeraretur, cum ſignificet me ſepeliendum? Quid ergo dicemus? Si omnia ea ſunt uere bona opera, quę adumbrant paſſionem, mortem & ſepulturam Chriſti, magnam habebunt laudem hypocritę in Chriſtianiſmo, q̃ inſtituerint tot cærimonias, quibus totam hiſtoriam paſſionis Chriſti ſpectatoribus ob oculos poſuerunt? Sculpſerunt imagines, propoſuerunt picturas, inſtituerunt ueſtes Miſſaticas, ordinarunt pulſus companarum, fecerunt etiam publicos ludos, quos uocarunt, paſchales, et multa alia, quibus uoluerunt paſſionem mortem & ſepulturam Chriſti adumbrare. Dicemus ne iſta omnia eſſe bona opera, & deo grata? Sed longe alia eſt ratio horum operum, q̃ unctionis Marię. Primum enim ante mortem Chriſti adhuc erat tempus umbrarum, & typorum. Nunc aũt, poſtq̃ Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, ac diuulgauit Euangelion ſuum in totum orbem terræ, non eſt amplius tempus umbrarum, ſed clariſſimę & manifeſtiſſimę ueritatis. Nox abĳt, dies autẽ appropinquauit; Quare, ſi quis ea, q̃ in Euangelio Chriſti reuelata ſunt, nouis & à ſe ipſo excogitatis typis ac figuris intelligenda proponat, is magis obſcurat ea, q̃ illuſtrat, ac Soli clariſſime lucenti nubes ſuas & nebulas opponit. Deinde Maria fecit opus ſuum ex ſumma fide & caritate, quam habuit erga Ieſum. Credidit enim eum eſſe Chriſtum ſeruatorem ſuum, & q̃ propter ipſum ſolum conſequatur ueram ſalutem, ideoq̃ complexa eſt ipſum, ut honeſtiſſimo, ita etiam ardentiſſimo amore. Quem ut palam declararet, non pepercit precioſiſſimo ſuo unguento. Hypocritę autem non faciunt ſua opera ex uera fide in Chriſtum, ſed potius contra fidem in Chriſtum. Faciunt enim ea, non q̃ credant ſolam Chriſti mortem eſſe expiationem peccatorum, & meritum uitę ęternę, ſed q̃ ſentiant, hęc ſua opera, quę ipſi faciunt, eſſe tanti meriti coram deo, ut expient peccata, & impetrent æternam uitam. Hoc autem eſt contra fidem in Chriſtum. Quare opera hypocritarę haudquaq̃ conferenda ſunt cum opere Marię. Nam hęc demum ſunt deo grata opera, quę ex uera fide & caritate non ſimulata proficiſcuntur. Cęterum, poſtquàm Chriſtus oſtendit opus Mariæ eſſe bonum, & ſibi gratum, refutat etiam rationem ludæ. Dixerat hic: Potuit dari pauperibus. Chriſtus uiciſſim reſpondet: Pauperes ſemper habetis uobiſcum, & quandocunq̃ uolueritis, poteſtis illis benefacere, me uero non ſemper habetis. Quid? An Chriſtus, nõ eſt caput ſuę eccleſię, & ſem-

et ſemper cum eccleſia uſq; ad conſummationē ſeculi? Cur ergo dicit, Me non ſemper habetis? Non ſubducit ſe his uerbis à ſua eccleſia, ſed uaticinatur de morte ſua, et ſignificat ſe in eam gloriam ingreſſurum, in qua nullis corporalibus officijs, ſicut in hac corporali uita, indigeat. Proponit antē prēcipue tria his uerbis obſeruanda. Vnum eſt, q̄ cum approbat factum mulieris, & dicit, Me non ſemper habetis, ſignificet, hoc officium nec importune, nec iniuſte in ipſum collatum eſſe. Quis enim eſt, qui hæc uerba dicit? ME, inquit, non ſemper habetis. Quem autem me eſſe didiciſtis? quem me eſſe creditis? Docui me eſſe uerum Chriſtum, & confirmaui hoc miraculis. Ac uos nunc ita creditis. Quid autem eſt de Chriſto ſcriptum? Et quę officia Chriſto debent? Reges Tharſis, inquit Pſalmus, & inſulę munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducēt. Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes ſeruient ei. Ac mox: Et uiuet & dabitur ei de auro Arabię. Et Eſaias: Omnes de Saba uenient, aurum & thus deferentes, & laudem DOMINO adnunciantes. Si reges honorabunt Chriſtum auro, ut declarent ſuam erga illum beneuolentiam & obedientiam, cur reprehenditur mulier, q̄ honoret Chriſtum unguento? Pſalmus dicit de Chriſto: Poſtula à me & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ. Et iterum: Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues uniuerſas, inſuper & pecora campi. Si Deus ſubiecit ſub pedibus Chriſti ſui oēs creaturas cœleſtes & terreſtres, quomodo peccaſſet mulier, q̄ ſubiecerit ſub pedibus eius unguentū, quantūuis precioſum? Quare qui dānat opus mulieris, is aut non credit me eſſe uerum Chriſtum, aut ſi credit, longe oīm eſt ingratiſsimus & impudētiſsimus. Alterum eſt, q̄ Chriſtus doceat his uerbis, dare eleemoſynam mendicis, quos Iudas nomine pauperū intelligit, non eſſe tantum bonum opus, ſed multa etiam alia eſſe bona opera. Pauperes, inquit, ſemper habetis, me autem non ſemper habetis, hoc eſt, Volo quidem & ipſe, ut pauperibus benefaciatis. Non eſt autem exiſtimandum, q̄ is tantum faciat bonum opus, qui mendico largitur unum aut alterū obolum. Sed ſunt infinita alia tum fidei, tum caritatis opera, quę pro uere bonis operibus habenda ſunt. Abraham inuitauit in domum ſuam tres peregrinos uiros, & inſtituit eis conuiuium minime ſordidum. Quid? num occines ei, hunc ſumptū impendendū fuiſſe pauperibus? At hęc Abrahę hoſpitalitas fuit Deo gratiſsima. Parauit poſtea Abraham amicis grande cōuiuium in die ablactatiōis filij ſui. Quanto putas ſumptu hoc conuiuiū conſtitiſſe? Cur non expendit in pauperes? at habuit etiam pauperum rationem, & fuit hoc conuiuium, opus caritatis ac ciuilitatis. Non probantur conuiuia prēter modum ſumptuoſa, ſed commendatur caritas & ho-

nestas. Diliges, inquit lex, proximū tuū sicut teipsum. Quare non id tm̄ iudicandum est bonum, cum unus & alter numus numeratur mē dico, sed bonum est, quocunq; secundum sententiam uerbi Dei decla raueris ueram tuam fidem erga Deum, & synceram caritatem erga proximum. Postremo docet & hoc Christus, q; uerę pietatis sit, non tam absentium pauperum, q; presentium amicorum rationem habe re. Vide enim mihi pręposteram pietatem ludę. Etsi enim pauperes non erant ei curę, tamen fingamus nunc eum hoc egisse, ut pauperes iuuentur, quid est, q; maiori ei curę sint pauperes absentes, & adhuc ignoti, q; presens optimus & notissimus amicus ac preceptor? Idem faciunt hi diuites, qui malunt instituere publicas eleemosynas, qui bus iuuentur pauperes post quinquaginta aut centum annos futuri, q; iuuare presentes suos cognatos aut amicos, qui nunc hoc tempore de gunt uitam in egestate. Sunt alij, qui prętextu iuuandę ecclesiæ institu unt publica stipendia, quibus alantur adolescentes, ut in futurę ad ec clesiam aut rempub. accedant, interim autem sinunt presentes pasto res & ministros ecclesiarum esurire & algere. Magna quidem ratio habenda est piorum studiorum. Curandum etiam est, si fieri potest, ut & pauperes post futuri habeant sua alimenta, sed prę his negligere presentes, hoc demum dignum est reprehensione. Nam quemad modum Christus ad Iudam dicit, Pauperes semper habebis, me autē non semper habebis, ita ad hos prępostere sollicitos dici potest, Pau peres & studiosi semper erunt, cognati autem tui & amici, ac presen tes ministri ecclesię non semper tecum erunt. Quare danda est opera, ut nostrum in presentia officium faciamus, quod etsi complectitur et iam curam posteritatis, tamen maxime omnium exigit, ut id non prę termittamus, quod primum, ac summe est necessarium. Imitemur ex emplum Marię: Domus, inquit Euangelista, impleta est ex odore un guenti. Vnguentum est bona fama. Salomon ait: Melius est nomen bonum, q; unguenta preciosa. Viuamus pie & honeste, ut simus bo nus odor Christi, quo odore domus ecclesię ita impleatur, ut etiam hi, qui foris sunt ad ecclesiam inuitentur. Pergamus obedire uocatio ni Christi. Non deterreamur à nostro officio calumnijs sycophanta rum. Calumniatus est Mariam Iudas, Sed Christus defendit eam gra uissime. Defendemur & nos corā uniuersa creatura in cœlo & in ter ra, si modo normam uerbi Dei pie & constanter sectemur per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA VIII.

VOD Christus ad Iudam dixit. Pauperes semper habebis, me autem non semper habebis, sic dictum uidetur, perinde ac si magis cõmendaretur superuacaneus sumptus, & necessaria eleemosyna. Sed Christus refutat his uerbis prępostera curam Iudę, & docet, magnam quidem rationem habendam esse pauperum, interim autem non prętermittenda esse alia officia, quibus declares ueram fidem tuam erga Christum seruatorẽ, & synceram caritatẽ ac gratitudinem erga summos amicos. Nam cum Christus aliâs iubet adolescentem facultates suas uendere & dare pauperibus, ut habeat thesaurum in cœlo, ac laudat pietatem Zachęi, qui recipiebat se dimidium bonorum suorum pauperibus daturum, perspicue significat, & pauperes debeant nobis magnę esse curę. Dicamus igit̃ nunc quędã de eleemosyna, qua pauperes iuuantur, ut admoneamur de officio nostro, & excitemur ad præstandam obedientiã diuinę uocationi. Non instituam autem nunc contionem, in qua doceam, & danda sit pauperibus eleemosyna. Quid enim ex scriptura sacra, quid ex pietate Christiana notius est, & pauperes esse nostra eleemosyna alendos? Esaias dicit: Frange esurienti panem tuum, egenos uagosq; introduc in domum tuam, cum uideris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Christus ait: Tu cum prębes eleemosynam, nesciat siniſtra tua, quid faciat dextra tua, ut sit tua eleemosyna in occulto, & pater tuus, qui uidet in occulto, reddet tibi in propatulo. Cum ait: Patrem redditurum eleemosynam in propatulo, manifeste significat, eleemosynã deo plurimũ placere, ideoq; liberaliter esse dandã. Ioannes scribit: Qui habuerit substantiã mundi, & uiderit fratrem suum egentem, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? Quid plura? Huc uocat nos lex ipsa naturę: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quare cum notissimum ac certissimũ sit, pauperes esse eleemosyna iuuandos, non erimus hac in parte longiores, sed dicemus de publica colligendę eleemosynę ordinatione. Institutum enim est, ut hi, qui curandis pauperibus tam peregrinis, & incolis prępecti sunt, petant publice in cętu ecclesię prę foribus tẽpli eleemosynam, qua, nomine ecclesię iuuent eos, quos uere pauperes & indigentes, ac eleemosyna non indignos cognouerint, qua etiã cauetur, ne passim mendici templum & plateas petendis eleemosynis compleant. De hac institutione & ordinatione dicendum est, ut non existimemus eam esse aucupium pecunię humana uel auaritia uel superstitione excogitatum, sed ut cognoscamus eam in Christiana politeia esse necessariam, & piorum hominum officium esse, tam opem & opes suas ad conseruandam eam conferre. Ac primum, cum Moses

Eleemosynã esse præstandam.

multa utiliter in Repub. Israëlitica instituëret, tulit etiam hanc legem in Deuteronomio cap. xv. Omnino indigens & mendicus non erit inter uos. Qua lege cauet, ne pauperes & mendici passim ad petendā eleemosynā uagentur. Quid ergo? Non feremus, ut ostiatim petant eleemosynam, feremus aūt, ut fame & inedia pereāt? Infirmiores ēm, aut imperitiores sunt, q̄ ut queāt labore & industria sua uictū sibi parare. Necabimus igit eos fame? Absit tanta crudelitas. Non enim hoc uult spiritus sanctus in Mose, sed iubet hac lege eam suscipere curam, qua pauperes tam liberaliter alant, ut non necesse habeant eleemosynam ostiatim petere. Vnde & instituit suas ordinationes, quibus pauperes ad hunc modum iuuari queant, Dicit ēm in Deutero. cap. xiiii. Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quę nascuntur tibi eo tempore, & repones intra ianuas tuas, uenietq̄ Leuites, qui nō habet aliam partem nec possessionem tecum, & peregrinus ac pupillus & uidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent & saturabuntur: Sed & aliud addit, cap. xxiiii. Quando messueris segetem in agro tuo & oblitus manipulum reliqueris, non reuerteris ut tollas eum, sed aduenam, pupillum & uiduam auferre patieris. Hę certe fuerunt utiles ordinationes, quibus alimenta pauperum ita parari potuerunt, ut nō necesse habuerint passim in templo & plateis mendicare. Sed hęc inquis, sunt Mosaïca & Iudaïca, nec pertinent ad Christianos, qui non agnoscunt Mosaïcam politeian. Recte dicis, si quidem senseris de decimis tertij anni, & de relinquendis manipulis in agro. Hæc enim sunt Mosaica. Si autem sentias de iuuandis pauperibus quoquo modo honeste fieri potest, ne cogantur prę fame publice in plateis expositi esse, profecto non est tantum legis Mosi, sed est legis naturę, quæ exigendo caritatē proximi, exigit etiam ut in quauis honesta politeia pauperes honeste alantur. Deinde scribunt Euangelistę, q̄ Christus uiderit eos, qui mittebāt munera sua in Gazophylatium, nec eiecerit ipsos è templo, sicut uendentes & ementes, sed potius approbauerit pietatem eorē. Vocat ēm ea munera DEI. Ac prefert quidem duo minuta uiduę, donis diuitū, non damnat aūt hoc genus collationis. Etsi enim apparet, q̄ in hoc Gazophylacium ea tantum collata sint, quæ insumebantur ad conseruandum ędificium templi, ad panes propositionis, ad iuge sacrificium, & ad alia sacrorum impendia, quemadmodum scriptum est in Nehemia cap. x. tamen non est dubium, quin si Christus hoc genus collationis approbauerit, non improbet ea instituta, quibus publice cōfertur eleemosyna ad iuuandos pauperes. Sed audi, quid de his institutis Paulus scribat: De collatione, inquit, in sanctos. (sic enim uocat Christianos pauperes, qui erant in Iudęa) quemadmodum ordinaui ecclesijs Galatię, ita & uos facite. In una sab- 1. Corin. 16.

batorum,

batorum, unusquisq; uestrum apud se ponat, recondens, quicquid cō modum fuerit, ne cum uenero, tunc collationes fiant. Et iterum: Ne- 2. Corint. 9.
cessariū arbitratus sum adhortari fratres, ut prius accederent ad uos, & prepararent iam ante promissam bonam collationem uestram, ut ea sit in promptu sic tanq; bona collatio, & nō tanq; fraudatio. Vides Paulum non simpliciter monere, ut pij adiuuent suis opibus pauperes, sed etiam ut certas habeant ordinationes, quibus ea quę pauperibus danda aut mittenda sunt, in commune conferant. Quare non est nouum exemplū, quod eleemosyna pauperibus publice colligatur, sed ut est inter pios in honesta politeia res necessaria, ita est non tam à Mose, q̄ à Christo ipso & Apostolis eius approbata. Sunt autem multæ huius instituti utilitates, tam publicę, q̄ priuatę, tam corporales q̄ spirituales & cœlestes, quæ merito quosuis excitare debent, ut ad hoc cōseruandū opes suas liberaliter conferāt. Nam si in politeia, hi pauperes, qui & egestate & grauibus morbis, ac horrendis ulceribus miseri sunt, ad hoc necessitatis adiguntur, ut necesse habeant publice in hominum conspectu prostare, & eleemosynam petere, manifestum argumentum est, q̄ ciues non habeant eam pauperum curam, quam caritas proximi exigit. Et est genus crudelitatis, hominem ulceribus fœdum ita negligere, ut cogatur ea ulcera omniū oculis obtrudere, quo sustentet inopiam suam. Deus autem immisericordiam & crudelitatem nō fert inultam. Lex Mosi iubet eum, qui suspensus est in patibulo, eadē die deponi & sepeliri. Et iterꝝ iubet sceleratū uapulare, sed ita ut numerus plagarꝝ non excedat quadragenariū. Et addit caussam: Ne frater tuus fœde laceratus obeat ante oculos tuos. Moses iudicat esse inhumanum, si homo sceleratus pendeat aut iaceat publice in omnium conspectu fœde laceratus, quanto inhumanius est, si nostra incuria aut contemptu fiat, ut homo innocens, necesse habeat ad quęrendum necessarium uictum fœditatem corporis sui publice ostentare, & eam omnium oculis obtrudere. Punit autem Deus tantam inhumanitatem tam priuatim, q̄ publice. Nam mulieres pręgnantes, cum obijciuntur ipsis tam horribilia spectacula, pariunt aliquoties infantes ijsdem morbis & fœditatibus obnoxios. Itaq; fiunt & infantes miseri, propter maiorum suorum inhumanitatem. Nec cō tentus est deus paucorum tantum, & priuatorum pœna, immittit & publice grauissimos quosq; morbos, imo & gentiū deuastationes. Si non audieris, inqt, uerbum domini dei tui, pcutiet te dominus ulcere pessimo, in genibus, in suris, sanariq; non possis à planta pedis usq; ad uerticem tuum. In uerbo autem Dei, etiam hoc continetur, ut eam habeamus pauperꝝ curam, ne sint inter nos mendici. Zodomitæ perierunt igni è cœlis misso, Inter alia autem scelera, etiam hoc recen

ſetur, ꝙ non porrexerint egeno & pauperi manum. Quare, qui confert eleemoſynam ſuam in eccleſiaſticū gazophylacium, ut ex eo pauperum inopia ita ſuſtentet, ne neceſſe habeāt ad quęrendum uictum ulcera & miſeriam ſuam publice oſtentare, is confert hoc opere operā ſuam ad conſeruandam tam ſuam, q̄ ciuium ſuorum ſanitatem & incolumitatem, Quod officium honeſto ciue digniſsimum eſt. Non addam nunc & illud incommodum, ꝙ cum peregrini & ignoti mendici libere per ſingulas domos circumeant, ut petant eleemoſynam, ſolent ſe alĩ cum turba mendicorum coniungere, qui partim ſunt eleemoſyna indigni, partim cogitant prętextu mendicitatis, non uni tantum urbi ſed toti regioni exitium inferre. Hoc quicquid eſt incommodi, diminuere ac deuitare iuuant, qui conferunt eleemoſynam ſuā, ut peregrinis pauperibus ſua pars per prętectos publicę eleemoſynę exhibeatur. Sed maiora ſunt, quę nos in hac re ad beneficentiam, & liberalitatē excitare debent. Nam DOMINVS Deus noſter promiſit prolixam benedictionem frumenti, uini, & omnium fructuum terrę, ſi nos fiſcum pauperum prolixe implere ſtudeamus. Cum enim dixiſſet ſcriptura: Non ſit inter uos indigens & mendicus, addit: Vt benedicat tibi DOMINVS Deus tuus in terra, quam daturus eſt tibi. Et poſtea cum dixiſſet, de relinquendis manipulis & racemis, addit: Vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. Quid igitur aliud reliquum eſt, q̄ ꝙ is, qui confert ex fide eleemoſynā ſuam in fiſcum pauperꝝ, impetret benedictionē terrę, & fructuum eius? Qui aūt uel auaricia uel alio impio affectu nihil confert, adiutor eſt publicę maledictionis ac ſterilitatis terrę. Nec potes meliorē aut magis piam rationē inire, qua etiā tuas priuatas opes augeas, q̄ ſi fueris in pauperes liberalis: Qui dat, inquit Salomon, pauperi, non indigebit: Qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit iniuriam. Et iterum: Alĩ diuidunt propria, & ditiores fiunt: Alĩ rapiunt non ſua, & ſemp ſunt in egeſtate. Anima quę benedicit, impinguabitur, & qui inebriat, ipſe quoq; inebriabit. Huc facit & illud, quod Paulus ait: Qui ſementē facit parce, is parce meſſurus eſt: Et qui ſementē facit libenter ac benigne largiendo, copioſe meſſurus eſt. Alĩ alias ſectantur ratiões, quibus cõgregent diuitias. Hęc aūt pĩſsima & certiſsima oĩm eſt, ut pauperibus quoquo modo potes, benefacias. Ac unus quidem & alter tantum prętectus eleemoſynę petit à te egrediente templo eleemoſynā, memineris aūt huius unius uoce, uniuerſā paupum & miſerrimorꝝ hoĩm turbā, imo Chriſtū ipſum dñm ac ſeruatorem noſtrꝝ eleemoſynā à te petere. Quid ergo fiet, ſi hanc uocē contempſeris? Qui obturat, inquit Salomon, aurem ſuam ad clamorē pauperis, clamabit & ipſe, nec exaudietur. Si autem aures DOMINI fuerint occluſę,

Prouer. 28.

Prouer. 11.

eluſę, quam, obſecro, habebis uel terreſtrium uel cœleſtium bonorū benedictionem? Itaq; fieri non poteſt, quin cui ſumptui in pauperes parcas, eum neceſſe habeas inſumere ubi minime uelis, & maxime doleas. Sed tranſeamus à corporalibus commodis ad ſpiritualia, & cœleſtia, quę his, quibus pauperes curę ſunt contingunt. In Daniele dicitur: Peccata tua redime iuſtitia, & iniquitates tuas miſericordijs ſeu eleemoſynis pauperum. Et erit reparatio ſalutis tuę. Ergò ne dicemus opus eleemoſynę expiare peccata coram Deo? Sic hypocritę de eleemoſyna ſentiunt, ideoq; exponere ſolent eleemoſynam pauperibus plena manu. Ac commendanda quidem eſt liberalitas in pauperes, ſed hęc eſt magna impietas, q; tribuant operi eleemoſynę, quod ſoli Chriſto ſeruatori noſtro tribuendum eſt. Eleemoſyna enim non expiat peccatum. Arbitramur, inquit, hominem iuſtificari fide abſq; operibus legis. Et: Gratia ſeruati eſtis per fidem, idq; non ex uobis, Dei donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Cur igitur iubet Daniel regem peccata ſua redimere eleemoſynis pauperum? Daniel non docet peccata expiari coram Deo meritis eleemoſynę, ſed concionatur de fructibus fidei, per quam ſolam, propter Chriſtum conſequimur remiſsionem peccatorum. Manifeſtum enim eſt, quòd nulla eleemoſyna ſit accepta coram Deo abſq; fide. Quod non eſt ex fide, inquit Apoſtolus, peccatum eſt. Vbi autem eſt fides, & ex fide datur eleemoſyna, ibi cum ſit remiſsio peccatorum per fidem, cuius fructus eſt eleemoſyna, dici etiam de ipſa eleemoſyna poteſt, quòd redimat peccata, non propter operis meritū, ſed propter Chriſtum per fidem, ex qua eleemoſyna exponitur. Quare cum Daniel hortatur regem, ut redimat peccata ſua per iuſtitiam, & iniquitates ſuas per eleemoſynas pauperum, non excludit fidem, ſed ſubintelligit eam, & commemorat regi ſuum officium, quod ex fide facere debeat, ut recuperet ſalutē. Officium enim regis eſt, poſtq; redijt cum Deo in gratiam, & accepit ab eo remiſsionem peccatorum (id quod fit per ſolam fidem) ut adminiſtret regnum ſuum iuſte, benefaciat pauperibus miſericorditer, defendat & tueat miſeros. Sic enim fiet, ut redimat peccata ſua, hoc eſt, ut remiſsionē peccatorum, quam per fidem accepit, conſeruet. Itaq; eleemoſyna ſeu beneficia, quę pauperibus ac miſeris hominibus conferuntur, non expiant quidem per ſe, ſuis meritis, peccata hominum, ſed cum ſunt fructus fidei, teſtantur hominem accepiſſe à Deo remiſſionē peccatorū, & palam declarant hominem in remiſsione peccatorum per Chriſtum conſeruari. Quid ergo? num quia eleemoſyna non expiat peccata, ſed tantū conſeruat ſuo quodam modo in homine peccatorum expiationem, ignauior eris & parcior ad exponendā eleemoſynam? profecto hæc cauſſa non minus nos q; illa mouere debet.

Quod nō tollit Chriſtus, tollit fiſcus.

Wz mā nit gibt dē Chriſt das frißt die gmei

An nescis non minorem esse uirtutem partas opes tueri & conseruare, ꝙ opes acquirere? Maximę opes sunt remissio peccatorum, & iusticia coram Deo. Hę opes acquirunt̃ per fidem propter solum Christum. Conseruantur autem per gratitudinem, per obedientiam, per fructus fidei, per opera caritatis, inter quę eleemosyna suum, eumq; haudquaq; postremum locum obtinet. Qui enim crudelis est in pauperes, nec adiuuat eos opibus suis, cum possit, is repellit à se Christū, quem ante per fidem acceperat. Repulso autem Christo, repellitur etiam remissio peccatorum, & iustitia. Sed qui cum fidem habeat in Christum, liberalis est in pauperes ex fide propter Christum, is conseruat & retinet secum Christum. Vbi autem manet Christus, ibi manet etiam remissio peccatorum & iustitia. Quare si nobis salus nostra curę est, non debemus minori diligentia & liberalitate pauperibus benefacere, ꝙ si propter hęc beneficia, remissionem peccatorum consequeremur. Quid, quod eleemosyna, si ex fide & caritate pręstetur, paret nobis amicos, qui suscipiant nos in regnum cœleste? facite, inquit Christus, uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in ęterna tabernacula. Sed quomodo hoc, inquis, fieri potest? uidelicet ꝙ partim Christus, qui nos recipit in cœlum, iudicet sibi factum, q̃d homini misero factum est, partim hi, quibus benefecimus, testentur in iudicio dei de nostra fide per quã propter Christum consequimur ęterna tabernacula. Suscipiendum igitur est studium eleemosynę, ut quo pluribus benefacimus, eo plures habeamus amicos, qui nos testimonio suo iuuent ad accipiendam cœlestem hęreditatem. Sunt quidem homines ingrati, qui solent aut obliuisci benefactorum, aut pro benefactis rependere malefacta. Deus autem nec est obliuiosus, nec malefactor, sed q̃d de Hierusalem in Psalmo dicit, hoc de singulis pijs, qui sunt ciues cœlestis Hierusalem, intelligendum est. Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliuioni detur dextera mea. Adhereat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non fecero Hierusalem summam lęticiam meam. Sed de prędanda pauperibus eleemosyna hactenus satis dixisse uidemur. Reliquum est, ut non solum benefici & liberales simus in pauperes, sed etiam ut recte de hoc officij genere sentiamus. Non enim existimandum est, quòd qui unum & alterum uel argenteum uel aureum numum in gazophylacium pauperum repoluit, uniuersum officium Christiani hominis absoluerit, ac omnes eleemosynæ partes impleuerit. Vnum quidem genus eleemosynæ præstitit, sed reliqua adhuc sunt multa & magna eleemosynę officia, q̃ alter alteri debemus. Nam ἐλεημοσύνη, si interpreteris, significat, misericordiam aut beneficium. Quid ergo? Num beneficia, quæ proximus proximo debet, unius tantum

sunt

sunt generis? Diliges proximum tuum, inquit lex, sicut teipsum. Hic comprehenduntur omnia opera dilectionis, quæ uere nomine eleemosynę ueniunt. Nomine autem proximi continetur nō tantum amicus, sed etiam inimicus. Fauere igitur non solum amico, uerumetiam inimico, eleemosyna est. Orare pro amicis & inimicis, pro benefactoribus & persecutoribus, eleemosyna est. Bene loqui de amicis & maledicis, eleemosyna est. Iniuriam non ulcisci, sed deo uindictam tradere, & malefactori benefacere, eleemosyna est. Exponere se ad uocationem dei extremis periculis, ut proximum serues, eleemosyna est. Hoc est præceptum meum, inquit Christus, ut diligatis uos inuicē, sicut ego dilexi uos. Christus autem sic dilexit nos, ut posuerit pro nobis animam suam. Quo eleemosynę seu benefitij genere, quid potest dici maius aut illustrius? Exemplum autem Christi proponitur nobis imitandum. Per hoc, inquit Ioannes, cognouimus caritatem, quoniam ille animam suam pro nobis posuit. Et nos debemus pro fratribus animas ponere. Non hoc uoluit Christus & Ioannes, ut si fur quispiam fuerit captus, & abducatur ad crucem, Christianus obtrudat sese lictori, & petat ut ipse pro fure in crucem suspendatur, & fur liber dimittatur. Hęc est illegitima temeritas, quam diuina lex, cum ait, deum non esse tentandum, uetat, tantum abest, ut ad eam nos uocet. Sed tunc anima pro fratribus ponenda est, cum officium exigit, ut ad obediēdum diuinę uocationi extrema quæuis pericula propter fratres subeamus. Sic Moses posuit animam suam pro Israelitis, cum reuersus est in Ægyptum, ut liberaret Israelitas tyrannide Pharaōis. Hoc enim erat officium Mosi, ad quod diuinitus uocatus erat. Sic Dauid posuit animā suam pro Israelitis, cum suscepit monomachiam cum Goliathe. Huc enim Dauid uocabat diuinitus. Sic Hieremias posuit animam suam pro populo suo, cum publice adnunciauit deuastationem urbis Hierusalem, & hortatus est ciues ad pœnitentiam, quia hoc erat officium Hieremię. Sic Apostoli posuerunt animas suas pro Ecclesia, cum summo uitę suę discrimine prędicauerunt inter Iudęos & gentes Euangelion de Christo. Vocati enim erant diuinitus, ut prędicarent Euangelion in toto orbe terrarum. Quid plura? Vocatio dei sectanda est, in qua, si quis obijcitur periculis, & manet in obedientia, uere dicitur animam suā pro fratribus ponere. Hęc est prędipua eleemosyna, quam nobis inuicem debemus. Non puto superuacaneum esse, ut hoc loco commemorem, quid hac in re Ecclesiastici scriptores adnotauerint de Ioanne Episcopo Alexādrino, qui & dictus fuit Eleemosynarius, propterea ꝙ magna semper cura pauperibus benefecerit. Is enim cum expendisset hoī in extremam paupertatem conlecto aliq̄t libras auri, (non enim numerabat miseris obolos, sed aureos & libras auri) &

audiret eum non ſolum maximas ipſi gratias agere, ac ſuam gratitudi nem prolixe polliceri, uerumetiam hoc beneficium in immenſum tol lere, reſpondiſſe fertur: Nõdum ſanguinem pro te frater effudi, ſicut mandauit mihi Dominus meus Ieſus Chriſtus. Hic epiſcopus recte in tellexit, quale genus eleemoſynæ nobis inuicem debeamus. Quis au tem pro altero effunderet ſanguinem ſuum, qui uix unum aut alterũ obolum pro miſeris pauperibus æquo animo effundit? Qui habue rit, inquit Ioannes, ſubſtãtiam huius mundi, & uiderit fratrem ſuum egentem, & clauſerit uiſcera ſua ab eo, quomodo caritas dei manet in eo? Quare filioli mei (libet enim & hic uerbis Ioannis uti) ne diliga mus nos inuicem uerbo tantum & lingua, ſed opere & ueritate, ut ma neamus in dilectione Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt unà cum pa tre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA IX.

IN ſuperiori contione digreſſi ſumus ad dandam eleemoſynam pauperibus. Quod cum, quantum in præſentia ſatis uidetur, compleuerimus, reuertemur nunc ad expo nenda ea, quæ poſt unctionem in Betha nia geſta deſcribuntur. Cognouit ergo, in quit Ioannes, turba multa ex Iudæis, quòd Ieſus illic (uidelicet, in Bethania) eſſet, & uenerunt non propter Ieſum tãtum, ſed ut Lazarum quoq; uiderent, quem reſuſcitauerat à mortuis. Non dubi to quidem, quin multi profecti ſint ad Bethaniam, non ex curioſita te, ſed ex uera pietate, ut doctrinam Euangelij Ieſu cognoſcerent. Eu angeliſta autem perſtringit quoſdam, qui ſuſceperunt profectionem ad Bethaniam curioſo magis, q̃ uere pio affectu. Venerunt, inquiẽs, non tantum propter Ieſum, ſed ut Lazarum quoq; uiderent. Vulga ris enim hominum incredulitas & curioſitas eſt, quod nõ adhibeant fidem propheticis ſcriptis, & contionibus, quæ ſunt cœleſtibus ac di uinis teſtimonijs firmatę, ſed cupiant audire quoſdam, qui ex mortu is reſurgant, & adnuncient nobis, quis ſit rerum ſtatus in altero ſecu lo. Notum eſt, quid diues ex inferno ad Abraamum clamet, Si quis ex mortuis ierit ad eos, reſipiſcent. De hac re, quędam nobis dicenda ſunt. Deus enim non ita conſtituit rationem ſalutis noſtræ, ut mortui eſſent concionatores uiuentium, ſed propoſuit nobis patriarchas & prophetas, deinde etiam Apoſtolos, quibus reuelauit ea, quæ ad con ſequendam uerã in altero ſeculo ſalutẽ neceſſaria ſunt, ut docerent ea,

&

& traderent posteris suis. Autoritatem autem horum tantis tamq; cœlestibus ac diuinis testimonijs confirmauit, ut si angelus de cœlo aliud prædicaret, pro anathemate habendus esset. Habent (inquit Abraam) Mosen ac prophetas, audiant illos. Quod si hos non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Et Esaias: Nunquid nõ populus à deo suo requirit uisionem? Pro uiuis ne interrogabit mortuos? Quin potius legem, & testimonium. Quare non est curiosè affectandum, ut mortui contionentur nobis, quid rerum in altero seculo geratur, sed pie & constanter credendum est propheticis & Apostolicis contionibus, in quibus continetur uere salutaris doctrina de tota nostra salute. Quid enim de his contionibus sentis? An putas eas in hac terra, & in hoc seculo natas esse? Nihil certe minus, sed allatæ sunt ad nos ex altero seculo, & è cœlo. Deus enim ipse, & angeli eius colloquuti sunt cum patriarchis & prophetis, & iusserunt ea quæ loquebantur, tradere posteris suis. Scio, inquit deus de Abraamo, q̃ præceptu-
rus sit filijs suis, & domui suæ post se, ut custodiant uiam Domini, & Deut. 5.
faciant iuditium & iustitiam. Dicunt & Israelitæ ad Mosen, Tu accede & audi cuncta, quæ dixerit tibi Dominus deus noster, loquerisq; ad nos, & nos audientes faciemus ea. An non deus & angeli eius sunt incolæ alterius mundi? Quare si uoluerimus audire contiones ex altero mundo, audiendæ nobis erunt cõtiones patriarcharum & prophetarum. Deinde prophetæ, ut Elias & Elizæus, excitarunt nonnullos à morte, qui certe ex altero seculo in hoc externum redierunt. Quid ergo hi sunt contionati? Nõ attulerunt nouam aliquam doctrinam, sed approbarũt & sectati sunt doctrinam prophetarum, qui ipsos à mortuis excitauerant. Reliquum igitur est, quod hoc suo testimonio confirmauerint propheticam doctrinam, uere tradere ea, quæ in altero seculo gerantur, quantum quidem nobis cognitu utile est, & recte exponere ea, quæ nobis ad consequendam in altero seculo salutem necessaria sunt. Quid dicemus de ijs, quæ in Christo & per Christum gesta sunt? Nam cum Christus baptisaretur, uenit spiritus sanctus in specie colũbæ, & audita est uox patris dicentis: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est. An non hæc sunt ex altero seculo ad nos delata? Quid quòd in transfiguratione Christi, uidentur & audiuntur apud Christum, Moses & Elias, qui iamdudum fuerant alterius mundi ciues? Deinde Christus excitauit nonnullos à mortuis, ac præcipue Lazarum, qui nobis dedit de hoc argumento occasionem dicendi. Etsi autem non extant contiones Lazari, tamen cum post excitationem adhæserit Christo magna fide, & agnouerit Euangelion eius, profecto publicum dicit testimonium, se in altero seculo, in quo usq; in quartum fuit diem, reipsa comperisse, hunc Iesum esse uerum

Messiam,& doctrinam eius esse uere cœlestem ac salutarẽ. Sed quid? an non Iesus ipse resurrexit à mortuis,& redijt ex altero mũdo, in hũc externum mundum ad suos discipulos? Manifestum autem est,quod post resurrectionem suam contionatus sit, nimirum id, quod ante sæpe adhuc in hoc seculo uiuens,dixerat. Nihil igitur certius est,q̃ Euangelion, quod Christus tam ante q̃ post resurrectionem suam prædicauit,esse eam doctrinam,quæ in altero seculo agnoscitur & approbatur,& in hoc seculo ueram uiam ad salutem nobis demonstrat. Præterea,testatur apostolica scriptura multos cum Christo resurrexisse,et apparuisse ciuibus Hierosolymitanis. Existimas autem eos mutos apparuisse, & non potius Testimonium dixisse, in altero seculo hoc unũ agi & tractari,ut Iesus ille, q̃ passus est,& resurrexituere ut filius Dei & Messias,adoretur & colatur? Quid, q̃ & Angelus, qui est alterius mundi incola, iubet in actis Apostolicis Cornelĩ uocere ad se Petrum,& audire ex ipso,quid facere debeat. Quo mandato aperte testificatur,Euangelion de Iesu Christo, quod Petrus & alĳ Apostoli prędicauerunt,esse eam doctrinam, quæ recte exponat, quis sit rerum status in altero seculo,in quod nobis per mortem est ingrediendum. Addam huc & Paulum,qui raptus est,ex hoc mundo in Paradisum & in tertium cœlum,reuersus autẽ in hũc mundum,non p̃dicauit aliud Euangelion,q̃ quod antea Apostoli p̃dicauerant. Et gloriatur se Euangelion suum non accepisse,nec didicisse ab homine sed per reuelationẽ Iesu Christi. Ex qua re manifestum est, q̃ status rerũ in altero seculo ita plane se habeat, quẽadmodum nobis exposuit Euangelion Pauli. Quid ergo post tot testimonia ex altero seculo allata,desideras adhuc audire aliquem ex mortuis redeuntem? Is enim, si uera diceret,certe non posset alia dicere,q̃ quę antea Prophetę & Apostoli dixerunt. Si autem alia diceret,pro anathemate habendus esset. Abĳciamus igitur curiositatem carnis, & sequamur hoc spiritus Euangelion,de quo dictum est,q̃ qui crediderit & baptisatus fuerit, salutem consequatur. Deinde cum Euangelista dicit quosdam ad Bethaniam profectos magis desiderio uidendi Lazari q̃ Christi, notat p̃posterum cultũ Sanctorum,ut enim hi Iudęi magis admirantur Lazarum exuscitatum, q̃ Iesum exuscitatorem, ita Hypocritę plus sibi clementiæ et auxilĳ de sanctis,quos inuocant, q̃ de Christo ipso pollicentur,quemadmodum etiam Ethnici magis uenerabantur, Solem et Lunam creaturas, q̃ Deum creatorem. Hæc est magna impietas. Etsi enim Lazarus non est contẽnẽdus,nec debemus esse contumelio si in Sanctos, qui sunt in cœlo,et Sol ac Luna, et reliquæ creaturæ suum habent usum,tamen hæc non sũt nobis proposita, ut contempto et abiecto deo,ac Christo filio eius,creaturas colamus, sed ut ex ijs,

quæ

quæ uidentur, excitemur in cognitionem Dei, qui non uidetur, & ut in ſanctis hominibus diſcamus, quanta beneficia Dei per Chriſtum contingãt credentibus in ipſum. Conſecutus ſum, inquit Paulus, miſericordiam, ut in me primo oſtenderet Ieſus Chriſtus omnem clemẽtiam, ad exprimendum exemplar his, qui crediturí eſſent in ipſo in uitam æternam. Quare, ut illi curioſitate peccant, qui ad Bethaniam magis uidendi Lazari, q̃ cognoſcendi Chriſti gratia proficiſcuntur, ita hi recte faciunt, qui propter Lazarum agnoſcunt Chriſtum, & credunt in eum. De his enim ita ſequitur: Conſultabant autem principes ſacerdotum, ut & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Ieſum. Hic eſt uerus uſus ſeu miracu lorum Chriſti, ſeu eorum ſanctorum, in quibus miracula ſunt ędita, uidelicet, non ut in ipſis miraculis aut ſanctis hæreamus, ſed ut per ea excitati, aſſurgamus ad ueram cognitionem Chriſti. Sunt enim teſtimonia, quibus comprobatur, Ieſum Chriſtum in hoc a Deo patre nobis datum eſſe, ut in ipſo conſequamur ueram iuſtitiam & ſalutẽ per fidem. Sed hic iterum uide mihi uiros ſanguinũ. Pontifices non ſunt contenti occiſione Chriſti, ſtatuunt etiam Lazarum occidere. Quid autem mali meritus eſt Lazarus? Multi, inquit, propter illum abibãt ex Iudæis, & credebant in Ieſum. Quare ut pontifices tollant è medio regnum Chriſti, uiſum eſt ipſis etiam Lazarum tollere. Hęc non eſt noua ſed uetus ſapientia impiorum, q̃ ſperent ſe regnum Chriſti crudelitate ſublaturos. Hoc fuit conſilium Cain, Iſmaëlis, Eſau, Pharaonis, Saulis, & oĩm eorum, qui unq̃ cum Chriſto & eccleſia eius bellum gerendum ſuſceperũt. Primum aũt, dictũ eſt iam olim, q̃ ſemen mulieris, qui eſt Chriſtus, contritura ſit caput ſerpẽtis. Quare, etſi ſerpens mordet calcaneum Chriſti, dentibus mancipiorum ſuorum, tamen nihil certius eſt, q̃ q̃ caput, hoc eſt, omnis potẽtia eius per Chriſtum opprimatur. Deinde, impij putant quidem ſummam eſſe ſapientiam, tollere è medio crudelitate, etiã innocentes, ut publicę tranquillitati conſulatur, ſicut & Caiaphas ſupra dixit: Vtilius eſſe, ut unus homo occidatur, q̃ ut tota gens pereat, hęc autem ſumma eſt ſtultitia, & impietas. Initium ſapientię, inquit Pſalmus, timor Dei. Timere autem Deum, eſt uerbum Dei reuereri, & uoluntati eius obſequi. In uerbo enim Dei ſola uera eſt ſapientia. Super omnes docentes me, inquit Pſalmus, intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt: Super ſenes intellexi, quia mandata tua quęſiui, Et iterum: Lex DOMINI immaculata conuertens animos, teſtimonium DOMINI fidele, ſapientiam prębens paruulis. Ex his manifeſtum eſt, q̃ in uerbo Dei ſit uera ſapientia. Quod igitur agendum ſuſcipitur contra uerbum Dei, falſa ſit ſapientia, imo maxima ſit ſtultitia, neceſſe eſt. Innocen-

tem autem occidere, an non est cõtra uerbum Dei? Dicit enim decalogus, (qui est breuissima præceptorum diuinæ sapientiæ epitome,) Non occidas. Quare, non est sapientia, sed summa stultitia, q̃ Pontifices cogitant non Christum tantum, sed etiam Lazarum occidere? An non hæc est sapientia, consilia sua ita instituere, ut res fœliciter procedant, & assequantur prosperum finem. Stultitia uero est, tam inconsiderate agere, ut te & tua omnia in extremam calamitatem conijcias? Fœliciter autem procedit, quicquid ex uerbo domini, in quo uera est fœlicitas, instituitur, & infœliciter exit, quicquid uetante dei uerbo agendum suscipitur. Etsi enim ea quæ rectè, iuxta Dei uerbum fiunt, solent initio infœlicia uideri, & ea quę praue geruntur, fœlicia, tamẽ illorum exitus semper est fœliciſsimus, horum autẽ infœliciſsimus. Considera mihi exemplum horum pontificũ. Existimabant se rębus suis sapientiſsime consulere, si Iesum & Lazarum occiderent, ac uidebantur initia satis prospera esse, cum postea cõprehendissent Iesum, & ad crucem adegissent. Sed quia hoc erat consilium aduersus uerbũ Dei, in quo solo est omnis sapientia & fœlicitas, coniecerunt se et omnia sua in perpetuam internitionem. Quare, si in suscipiendis consiłjs rerum agendarum uolueris sapienter facere, & fœliciter pergere, pone tibi ob oculos uerbum Dei, sequere uocationem uerbi Dei, obtempera uoluntati uerbi Dei, quod cum initio condiderit cœlum & terram & omnia, quę in eis sunt, ac conseruet ea semper usq; ad definitam suam periodum, conseruabit etiam te ipsi obedientem, in omnibus aduersis, ac in morte quoq; ipsa, per Iesum Christum uerum seruatorem nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA X.

SANNA, benedictus, qui uenit in nomine DOMINI, rex Israelis. Licet enim mihi hanc contionẽ, qua ingressum Domini nostri Iesu Christi in urbem Hierusalem in die palmarum, explicare instituí, ijsdem uerbis incipere, quibus eum Israeliticus populus magna alacritate excepit, quanq; uulgato iam Euangelio Christi in totum orbem terræ multo maior ratio est, quæ nos ad tam faustam acclamationem excitare debet, q̃ quę quondam Israeliticam turbam excitauit. Hęc enim nondum re ipsa compererat Christum ingressum per resurrectionẽ in regnum suum, & pollicebatur sibi

sibi externa tantum & corporalia bona in Christo. Nos autem cognoscimus Christum iam regnare, & sedere ad dextram dei patris sui, ac afferre & donare nobis cœlestia & perpetua bona. Quare tanto alacrius excipiendus est, quanto magis cœlestia terrenis antecellunt. Cæterum, quàm diligenter uoluerit spiritus sanctus hanc historiam de ingressu Iesu Christi in Hierusalem in die palmarum, ecclesię commendare, haud obscure ex eo significatur, ꝙ non unus tantum Euangelista, sed singuli quatuor eam copiose descripserint. Nos audiemus nunc Ioannem nostrum: Postero die turba multa, quæ uenerat ad diem festum, cum audissent, quòd ueniret Iesus Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei, & clamabant Osanna, benedictus qui uenit in nomine domini rex Israël. Nactus autem Iesus asellam, sedit super eam, sicut scriptum est: Noli timere filia zion, ecce rex tuus uenit sedens super pullum asinæ. Quæ huc pertinent, de adductione asini per Apostolos, & de substratis uestimentis, ex alijs Euangelistis petẽda sunt. Nam, ut hinc expositiõis initiũ sumam: Si hunc ingressum Iesu in urbem Hierusalem, quę est metropolis regni sui, consideraueris iuxta humanam sapientiam, uidetur non solum humilis & abiectus, uerumetiam ridiculus. Diceres in urbem ingredi hominem quendam ioculatorium, tantum abest, ut uideatur ingredi Rex quispiam aut Messias. Nam reges & Monarchę solent magno & admirando apparatu in suum regnum ingredi. Habent pedites & equites, habent mulos clitellarios, fulgent ephippia & freni ęre, argento & auro, comitantur eos non priuati tantum homines, sed principes & potentes, omnia crepant bombardis, tubis & tibijs, adeoꝙ nihil deest, quod humana ratio ad amplificandã maiestatem excogitare potest. Iesus Christus autem ingreditur in Hierusalem pauperrimus. Non habet proprium equum, quo utatur, sed uehitur asino alieno, quem accõmodato accepit. Non habet ephippium, sed utitur pro ephippio discipulorum suorum uestimentis, nec holosericis, nec preciosis. Comitant eum publicani, piscatores & reliquũ uulgus, Clamant carmen quidem sacrum, sed incondite. Accurrunt & pueri. Quid multa? Spectaculum fuit in oculis sapientũ huius seculi risu magis, q̃ uisu dignum. Sed in conspectu Dei, nullius unqꝙ Regis aut Monarchę ingressus in toto orbe terrarum insignior ac illustrior fuit. Nam si consideraueris ea, quæ hunc ingressum Christi in Hierusalem præcesserunt, uidit eum spiritus sanctus multis annis priusqꝙ reipsa fieret, & cõtionatus est de eo, primum quidem per Dauidem, qui quasi in hoc populi cœtu pręsens spectator & auditor fuisset, ita describit acclamationẽ, qua Christus excipitur, O DOMINE (inquiens) saluum fac, o domine bene prosperare, benedictus

qui uenit in nomine DOMINI. Hoc ſcriptum eſt in Pſalmo iuxta uulgarem rationem centeſimo decimo ſeptimo. In quo de ingreſſu Chriſti in regnum ſuum, & de dominatione eius, cui turba Iſraëlitica in die Palmarum uno ore, & publica acclamatione proſperum ſucceſſum precata eſt, perſpicue ſcribitur. Deinde contionatus eſt de eo ſpiritus ſanctus per Eſaiam, qui cap. lxij. ita ait: Dicite filię zion, Ecce Rex tuus uenit, ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo. Hæc ſunt manifeſte dicta, de eo aduẽtu, quo Chriſtus ſeſe publice toti Iſraëlitico populo conſpiciendũ propoſuit, & beneficia ſua accipienda omnibus obtulit, id quod cum aliàs, tum etiã in die Palmarum factũ eſt. Præterea contionatus eſt nonnihil ſpiritus ſanctus de hoc ingreſſu Chriſti in Hieruſalem, per eundem prophetã Eſaiam cap. xxxxiiij. ita dicentẽ: Noli timere ſerue meus Iacob, & rectiſsime quem elegi, Effundam enim aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam. Hoc loco conſolatur Chriſtus eccleſiam ſuam, & promittit ſe aduentu ſuo allaturũ omnem benedictionem & fœlicitatem. Cum autem in die Palmarum exhibuerit ſe uidendum & ſuſcipiendũ omnibus ciuibus & aduenis in Hieruſalẽ, quę erat tũc metropolis eccleſię Dei, non eſt dubium, quin ſpiritus ſanctus in hoc Eſaię loco uiderit Chriſtum in die Palmarum aſino aduehi, & in Hieruſalem ingredi, id quod & Iohannes ſignificat, cum in citando teſtimonio Zacharię, non pręponit cohortationem illam (Exulta ſatis filia zion,) quam Zacharias pręponit. Sed eam, quam modo ex Eſaia commemorauimus: Noli timere, quemadmodum Matthæus pręponit illam alteram ex Eſaia: Dicite filię zion, ut & ipſe ſignificet, ꝙ ſpiritus ſanctus uiderit in eo Eſaię loco hunc ingreſſum Chriſti in Hieruſalem. Adhæc ſpiritus ſanctus contionatus eſt per prophetam Zachariam, non ſolum de hoc ingreſſu Chriſti in urbem Hieruſalem, uerumetiã de iumento, in quo Chriſtus ſeſſurus eſſet: Ecce inquiens, Rex tuus uenit tibi iuſtus & ſaluator ipſe, pauper, & aſcendens ſuper aſinam & pullum aſinę. Habes de hoc ingreſſu à prophetis prędictum fuiſſe, non uno & altero anno, ſed plusq̃ quadringentis imo plusq̃ mille annis, priusq̃ externo ſpectaculo a Chriſto ſuſciperetur. Putas ne eum tantę curę futurũ fuiſſe ſpiritui ſancto, niſi exiſtimatio eius fuiſſet in conſpectu dei ſanctiſsima? Deinde ſi conſideraueris comitatum Chriſti in hoc ingreſſu, non uides quidem mundanos Reges & principes, ſed quemadmodum paulo ante diximus, publicanos, piſcatores, & pueros, quęſo aũt te, circumſpice cum tua mente, qui & quanti ſint hi in conſpectu Dei, quos tu tã contẽptos & abiectos iudicas. Pueri ſunt, ſed quorũ eſt regnum cœlorum, & de quibus ſcriptum eſt: Ex ore infantium & lactentium

tium perfeciſti laudem. Publicani ſunt & piſcatores, ſed quos Deus elegit in Apoſtolos, & in principes regni cœleſtis, qui & plura & maiora ſtrategemata in terris fecerunt, q̄ omnes mundani Reges & principes. Vulgus hominum ſunt, ſed hi homines ſunt uera Dei eccleſia, propter quam deus tam diu terram conſeruat, propter quam Deus miſit unigenitum filium ſuum in carnem, & cui Deus dat cœleſte ac perpetuum regnum. Quis unquam Monarcha talem ac tantum habuit comitatum? Monarcha quiſpiã ducit ſecum equites & pedites. Sed quales? Non nego, quin in magno exercitu ſint aliquot uiri honeſti, ſed ea eſt fortuna huius ſeculi, q̄ magna equitum & peditum pars ſoleat magna eſſe colluuies impiorꝝ, blaſphemorꝝ, latronum, prędonũ, ebrioſorum, adulterorum, denicq̄ perditiſsimorum hominum, qui etſi una cõgregati, & armis conſpicui magnæ ſunt exiſtimationis in humanis oculis, coram Deo autem, quid aliud, obſecro, ſunt, q̄ fœditas & abominatio? Chriſti uero comitatus, etſi & ipſe collectus eſt ex peccatoribus, tamen hi ſunt pœnitentes & propter Chriſtum, in quem credunt, tam iuſti coram Deo reputati, ut habeantur digni cœleſti regno. Quare nullius mundani Regis ingreſſus conferendus eſt cum hoc ingreſſu Chriſti in urbem Hieruſalem. Quod ſi non tantum comitatum, ſed etiam perſonas Chriſti & aliorum Regum inter ſe conferas, immane, quantum hoc eſt diſcrimen. Alĩ enim Reges ingrediuntur tantum homines. Chriſtus autem ingreditur non homo ſolum, ſed etiam uerus æternus & omnipotens Deus. Spectaculo igitur huius ingreſſus nihil unquam in terris coram cœleſtibus ſpiritibus illuſtrius factum eſt. Inter homines ſonuit quidem uox illa Oſanna, benedictus qui uenit in nomine DOMINI, inter angelos autem, an nõ ſonuiſſe dicemus Eſaiæ illud: Sanctus, ſanctus, ſanctus DOMINVS Deus zebaoth. Plena eſt omnis terra gloria eius? Poſtremo beneficia etiam, quę Chriſtus ſuo ingreſſu attulit eccleſię ſuę, conferenda ſunt cum ĩs beneficĩs, quæ ſolent Mundani Reges ſuis populis afferre, et donare. De qua re, cum nobis dicendum ſit ponemus in medio uerba Zachariæ. Dicit enim Zacharias: Exulta uehementer filia zion, iubila filia Hieruſalem. Hæc eſt cohortatio, qua ſpiritus ſanctus per Zachariam excitat eccleſiam, ut magna fide & alacritate excipiat Chriſtum. Sed propter quam cauſam ſic excipiendus eſt? Sequitur: Ecce Rex tuus, qui eſt Chriſtus, uenit tibi iuſtus, & ſaluator, ipſe paup & ſedens in aſina & pullo aſinę, hoc eſt, Chriſtus uenit quidem in conſpectu hoĩm abiectus & miſer, quippe qui tã paup ſit, ut in ingreſſu ſuo utaĩ aſina mutuo accepta, ſed interĩ affert ſecũ tãta bñficia, quanta nullus hoĩm ſatis digne ęſtimare põt. Feuda uocãt, ea q̄ reges ac prin- *Feuda Chriſti.*

cipes in ſeruos ſuos bene de ipſis meritos conferre ſolent. Videamus igitur quale id ſit feudorum genus, quod Chriſtus in ſuos, qui ſunt credentes in ipſum, confert. Alij enim Reges, cum aduenium, conferunt in ſuos feuda quędam agrorum, ex quibus hi nec iuſtitiam nec ueram uitam metere poſſunt. Quomodo enim Reges iuſtificarēt ſuum populum, cum ipſi ſint peccatores, & aduenientes afferant ſecū multa & magna peccata? Ac poſſunt quidem legibus ſuis externam quandam iuſtitiam in populo ſuo inſtituere, ſed ut ipſi, ita & ſubditi eorum per ſe ſemper manēt coram Deo peccatores. Chriſtus autem, uenit, quemadmodum propheta ait, IVSTVS. Non ſolum enim ipſe ſua perſona iuſtus eſt, ſed etiam iuſtificat omnes in ipſum credentes, adeoq; confert in eos, tanq; feudi genus, iuſtitiam. Quotquot em̄ in Chriſtum credunt, reputantur coram Deo tam iuſti propter Chriſtum, q; ſi totam legem perfecte impleuiſſent. Quid? an ullum terreni Regis feudum tanti momenti eſſe poteſt, quod cum hoc Chriſti beneficio ęquetur? Homines quidem huius ſeculi ſpirant tantum terrena, & malunt, ut eſt in prouerbio, ſtillam fortunę, q̄ dolium iuſtitiæ, qui autem pia mente prædituſ eſt, non commutaret hoc beneficium Chriſti cum omnibus omnium regum feudis, imo regnis & Monarchijs. Deinde Reges terreni afferunt pacem ciuilem & tranquillitatē mundanam. Hęc ſunt feuda, hæc ſunt beneficia eorum. Et tamen nec ſunt perpetua, nec uera & perfecta. Quàm facile turbatur humana illa pax ſiue publice ſiue priuatim, etiamſi confirmata fuerit pactis, promiſsis, literis, ſigillis, fœderibus, iuramentis, ſacramētis, ac diris quoque execrationibus. Sed fingamus eam multis annis conſtare, quid ergo? nū hac pace fit, ut intereat hoſtis noſter Satan, & reconciliemur cū Deo? Nihil certe minus. Etſi fruimur externa pace & tranquillitate, tamē uiuit adhuc Satan, graſſatur in nos mors, & manet in nobis, quātum quidem ad hanc pacem attinet, ira Dei. Quid igitur prodeſt euanida tranquillitas, cum ſumus adhuc perpetuæ infœlicitati & damnationi obnoxij? Chriſtus autem aduenit, ut Zacharias ait, SALVATOR. Salutis nomine hoc loco continetur pacificatio cum Deo, liberatio à Satana, victoria ſuper mortem, perpetua uita, tranquillitas & fœlicitas. Hęc enim intelligit ſpiritus ſanctus, cum de Chriſto contionatur, q; ſit contriturus caput ſerpentis. Dicit & Chriſtus ipſe: Ego ſum reſurrectio & uita. Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, uiuet, & omnis qui uiuit & credit in me, non morietur inæternum. Quare cum tribuitur Chriſto epitheton Saluatoris, ſentiendum eſt, quod afferat credentibus in ipſum, tanquàm feuda, reconciliationem cum Deo, liberationē à Satana & morte, ac perpetuam uitam & fœlicitatem. Quibus feudis aut beneficijs, quid poteſt eſſe

Βέλω τυχῆς σαλαγμόν, ἢ φρενῶν πίδον.

esse maius, ac nobis utilius. Cum igitur Iesus Christus tanta bona obtulerit ecclesiae suae in ingressu suo in urbem Hierusalem, debemus hunc ingressum merito magnifacere, & anteferre eum omnium regum ac monarcharum maiestati. Debemus aũt non solum eum admirari, sed etiam ad salutem nostram uti. Satan enim aggreditur nos uarijs modis, ut trahat nos in exitium. Nunc enim obijcit nobis peccata, nunc mortem, nunc flammas inferni, quibus efficiat, ut de salute nostra desperemus, & nos ipsos condemnatiõi tradamus. Hic ergo reuocandus est in memoriã ingressus Christi in Hierusalẽ, ponendum est ob oculos mẽtis nostrę dictum Zacharię, q̃ Christus ueniat abiectus quidem in oculis hominũ, sed ueniat iustus & saluator. Agnoscẽdum est, q̃ cum credimus in Christum, facti simus per fidem feudatarij, seu ut uocant, uasalli Christi. Vasallus ius habet utendorum eorũ bonorum, quæ dominus clementer in ipsum contulit, & dominus tuetur eum, si aduersarius conatur ab ipso auferre bona. Christus autem contulit in nos, tanquam uasallos suos, iustitiam, uitam, & regnum cœleste. Hæc sunt feuda, quæ à Christo per fidem in baptismo accepimus. Quare si Satan obtrudit nobis peccata nostra, ut auferat à nobis iustitiam à Christo donatam, & terret nos horroribus mortis & inferni, ut auferat à nobis uitam & cœlum, quorum iura beneficio Christi accepimus, bene confidamus, & inuocemus auxilium domini nostri, Iesu Christi, qui cum maluerit sanguinem suum profundere, q̃ nos seruituti & captiuitati Satanę relinquere, nunq̃ committet, ut sinat nos uasallos suos ab aduersario opprimi, et bñficijs suis priuari. Sed redeamus ad Euangelistam, qui ut hoc spectaculum ingressus Christi commendaret ecclesiæ, & significaret argumentũ esse, q̃ hic Iesus sit uerus Christus, addit: Hęc autẽ non cognouerũt discipuli eius primum, sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt, q̃ hæc essent scripta de eo, & quod hæc feciſſent ei. Multa sunt certissima argumenta, quæ probant Iesum filium Mariæ, esse uerum illum Messiam seu Christum, quem prophetæ uenturum, & populum suũ à peccatis liberaturum promiserunt. Inter hæc autem, etiam illud numerandum est, quod in Iesu impleta sint ea, quæ Zacharias de Messia in asina aduehẽdo uaticinatus est. Nam q̃ discipuli, et reliqui Israelitę introduxerint Iesum in asina sedentẽ, in urbem Hierusalem, tanta pompa & tam fauſtis acclamationibus, non fuit humanum consilium, non enim cognouerunt (inquit Euangelista) discipuli eo tempore, quo hęc fecerunt, q̃ tale qd de Messia scriptum esset, sed fuit diuinus instinctus, quo excitati sunt homines, ut ignari implerent in Iesu propheticum uaticinium. Quare, quod ad homines attinebat, uidebatur, quicquid id est rei, temere fieri, sed quod ad Deum attinet,

factum est prudentissimo eius consilio, uidelicet ut prophetica ueritas in Iesu impleretur, & Iesus etiam hoc argumento uerus Messias declararetur. Huc respicit quoq; miraculum, quod ante in Lazaro gditum erat. Sequitur enim: Testificabatur igitur turba, quę erat cum
,, eo, quãdo Lazarum uocauit de monumento, & suscitauit eum à mor-
,, tuis. Propterea & obuiã uenit ei turba, q; audierãt eum gdidisse hoc signum. Vides, quo consilio Christus excitauerit Lazarum à mortuis. Ac multę quidem et graues sunt caussę, propter quas Christus hoc miraculum in Lazaro gdidit, quas & supra exposuimus, inter illas autem, etiam hęc una est, ut occasione huius miraculi homines excitarentur ad procedendum obuiam Iesu in asina sedenti, & ad excipiendum eum faustis acclamationibus, quibus publice cognosceretur, eum esse uerum Messiam. Sed hic considera mihi, pertinacem pharisæorum impietatem. Etsi enim manifestum erat miraculum, in Lazaro gditũ, & uidebant ingressum Iesu in Hierusalem, ac publicas totius populi acclamationes, prorsus conuenire cum propheticis uaticinijs, adeoq; quicquid id est negotij, diuinitus geri, tamen adhuc pergunt reclama
,, re ac fremere aduersus Christũ. Dicit enim Euangelista: Pharisæi er
,, go dixerunt inter se. Videtis, q; nihil proficitis? Ecce mundus post
,, eum abit. In alijs Euangelistis non inter se tantum de interficiendo Iesu deliberant, sed etiam grauiter in Iesum inuehuntur, q; propter tales acclamationes non reprehendat pueros & discipulos suos. Itaq; cũ alij omnes sua officia Iesu in hoc ingressu pręstarent, & hic quidem adduceret asinam, ille sterneret uestimenta super asinam, hic cederet frondes arborum, & substerneret in uia, ille etiam uestimenta substerneret, hic gestatione palmarum testaretur se Iesum agnoscere suum regem ac Messiam, ille etiam contenta uoce id publice confiteretur. Soli pharisęi nihil horum officiorum ei pręstiterunt, sed hoc unum agunt, ut interficiant eum. Quid ergo? sequemur ne potius iudicium pharisæorum, q; totius populi? Non ignoro, paucos sapientes nonnunq; melius de rebus iudicare, q̃ multos ex hoĩm uulgo, sed quod ad cognitionem Christi attinet, non est obscurũ, quid sibi uelit Christus, cum agit gratias patri suo, q; absconderit mysteria regni sui à sapientibus & prudentibus, ac reuelauit ea paruulis. Dicit & scriptura aliàs: Perdam sapientiam sapientum, & intelligentiam intelligentiũ reijciam. Et iterũ: Videtis uocationẽ uestram, q; non multi sapientes secundũ carnem, non multi potẽtes, non multi claro genere nati, uerũ quę stulta erãt secundũ mundũ delegit deus, ut pudefaceret sapiẽtes. Pręterea etsi in hoc uulgo, qui clamabãt Iesum esse Messiã, mlti erãt impij, tñ cõtinebaĩ in eo uera & electa dei ecclesia, Apostoli, & reliq; discipuli Iesu. Quare fugiẽda nobis est impietas pharisęorũ, q̃uis sapientum,

entum, sectanda autem est pietas ecclesiæ Dei, quamuis coram hominibus abiectæ, ut agnoscamus hunc Iesum, uerum Messiam, & tribuamus ei omnia officia obedientiæ. Nam quod discipuli Christo in hoc ingressu prestiterunt, hoc idem etiam nos debemus ei obedienter præstare. Non loquor iam de puerili illo spectaculo, quod in die Palmarum, ad exemplum huius ingressus Iesu in asino aduecti, usitatum fuit. In hoc spectaculo non persoluuntur uera illa officia, quæ Christo debemus, sed longe alia facienda sunt. Apostoli adduxerunt mandato Christi primum quidem manu sua asinam & pullum eius, deinde adduxerunt ad Christum, prędicatione sua, Iudęos & Gentes, qui per asinam & pullum eius adumbrantur. Adducamus & nos ad Christum, liberos & familiam nostram, qui sunt ignauissimi asini, ut Christo subiiciantur. Adducamus item nostram ipsorum carnem, quæ & ipsa est asina inertissima, ut discat onus Christi portare. Discipuli substrauerunt Iesu uestimęta sua, Substernamus ei & nos nostra uestimenta. Vtamur omnibus facultatibus nostris ad obsequiū Christi, iuuemus opibus & officijs nostris, quibus possumus, ecclesiam Christi, ut declaremus ueram nostram fidem in Christum. Discipuli gestarunt manibus suis ramos palmarum, & acclamarunt ei solenne illud Osanna. Palma est insigne uictorię in certaminibus. Victoribus enim palma dabatur. Et addunt scriptores causſam, ꝙ uictores & palma habeant inter se quandam similitudinem. Si enim imponas super lignum palmę magna pondera, nō cedit palma deorsum, nec inflecti tur, sed resurgit aduersum pondus, et sursum nititur, ita qui uicerunt, non cesserunt aduersarijs, sed contra audentiores iuerunt. Sumamus & nos in manus palmas, & offeramus eas Iesu Christo, hoc est, credamus & confiteamur Iesum Christum esse uictorē mortis et inferni, ac seruatorem nostrę in omnibus malis, sicut & in Apocalypsi, ecclesia ex omnibus gentibus collecta gestat palmas in manibus, & clamat magna uoce. Salus ei qui sedet super thronū dei nostri, & agno. Tradunt autores, Palmis nō decidere folia. Admoneamur igitur spectaculo Palmarum, ut studeamus esse tales arbores, quæ iuxta decursus aquarum plantatę, fructum suum afferant in tempore suo, & quarum folia nunquam defluant. Sic enim fiet, ut quemadmodum Psalmus ait: Omnia quæcunq; fecerimus, prosperentur in Iesu Christo seruatore nostro, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, AMEN.

Homilia

HOMILIA XI.

ECCE mundus, inquiunt Phariſæi, poſt Ieſum abit. Nomine autem mundi non cõtinentur tantum ciues, & incolæ, uerumetiam exteri & alieni, nec Iudęi tantum, ſed etiam Gręci. Quare cum Euangeliſta commemoraſſet antea, quanta obſeruantia exceperint Ieſum aſina aduectum Iudęi, deſcribit nunc quanto deſiderio cupiant ad familiaritatem Ieſu applicari Gręci. Dicit enim. Erant autem quidam Gręci ex his, qui aſcenderant, ut adorarẽt in feſto. Hi ergo acceſſerunt ad Philippum, qui erat à Bethſaïda Galilęæ, & rogabant eum dicentes: Domine, uolumus Ieſum uidere. Venit Philippus, & dicit Andreę. Andreas rurſum & Philippus dicunt Ieſu. Etſi per hos Gręcos, quorum hic fit mentio, intelligi poſſunt hi, qui uel Iudęi fuerint, in Græcia habitantes, uel proſelythi fuerint, ex Græcis ad Iudaiſmum conuerſi, tamen quia tam Euangeliſtę ꝙ Paulus aliâs per ἕλληνας, hoc eſt, Gręcos, intelligunt gentes incircumciſas, et eccleſiaſtici ſcriptores ſequuntur hanc ſentẽtiam, ſentiamus & nos, ꝙ hi Gręci fuerint Ethnici incircumciſi. Non enim obſcurum eſt, ꝙ etiã Ethnici nõnulli obtulerint ſacrifitia ſua ad templũ Hieroſolymitanũ, & coluerint deũ in Zion. Salomon in dedicatione templi ſic orat: Alienigena, qui nõ eſt de populo tuo Iſrael, cũ uenerit de terra longinqua, propter nomen tuum. Audietur enim nomẽ tuum magnum, & manus tua fortis, & brachium tuum extentum ubiꝙ. Cum uenerit ergo & orauerit in hoc loco, tu exaudies in cœlo, in firmamẽto habitaculi tui. Et teſtantur alij ſcriptores, ꝙ & exterę gentes, adduxerint ſacrifitia ſua ad templum Hieroſolymitanum, & ſacerdotes ea ſuſceperint. Hæc idcirco nobis recitantur, ut ſciamus, ꝙ etſi Iudęi multas habuerint pręrogatiuas prę incircumciſis gentibus. Quorum (inquit) eſt adoptio & gloria, & teſtamenta, & legis conſtitutio, & cultus & promiſſiones, quorum ſunt patres, & ij ex quibus eſt Chriſtus, quantum attinet ad carnem, tamen deus etiam inter gentes ſuos habuit electos, non eos, qui in impietate ſua perdurarunt, & idola colere perrexerunt, ſed qui uerum deum Zionis cognouerunt & inuocarunt. Quod ſi hoc factum eſt eo tempore, quo Chriſtus nondum erat publice reuelatus, quanto magis hoc tempore, quo Euangelion iamdudũ uulgatum eſt in toto orbe terrarum, Chriſtus ſua habet eccleſiæ ſuæ membra inter omnes gentes, adeoꝙ inter Turcas ipſos, non quod hi qui

Ioſephus de bello Iudaico libro 2. cap. 17 πλεῖστον Ἰουδαῖοι ἔμπτεῖρους τῶν πατρίων ἐθῶν εἰσίν, ἀφηρημένους, ὅτι πάντες οἱ προγονοὶ τὰς ἀπὸ τῶν ἀλλογενῶν θυσίας ἀπεδίοχον τό.

qui impium Turcismum sectantur, sint membra Ecclesię, sed ꝙ inter Turcas sint, qui cõtempta Turcica aut Mahumetica impietate, Iesum Christum seruatorem suum agnoscant. Quare sentiamus Ecclesiam Christi non terminari ijs finibus, quibus externum nomen Christianorum continetur, sed dilatari ad omnes eas populorum familias, in quibus est agnitio Iesu Christi per fidem, etiamsi habitauerint in medio non tãtum barbararum gentium, uerumetiam immanissimarum bestiarum. Sed redeamus ad nostros Grecos, de quibus Euangelista scribit. Hi cupiunt Iesum Christum uidere, uidelicet nõ tantum de facie nosse, sed etiam in familiaritatem eius uenire. Cum autem nollent Christum accedere, nisi impetrato ante aditu, rogant Philippum, ut patefaciat ipsis aditum ad Iesum. Philippus autem nõ refert hanc Grecorum petitionem ad Iesum, nisi prius communicato cõsilio cum Andrea. Hæc Euangelista diligenter commemorat, partim ut recitando circumstantias, cõfirmet ueritatem rei gestæ, partim ut significet, hoc iam egisse spiritum sanctum, ut gentes ducerentur ministerio Apostolorum ad cognitionem Christi. Quare Christus accipit ex hac re occasionem contionandi de morte & resurrectione sua, ac de uocatione gentium per Apostolos, quæ statim resurrectionem Christi insecuta est. Iesus respondit eis dicens: Venit hora, ut glorificetur filius hominis. Amen amen dico uobis, nisi granum frumenti deiectum in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si uero mortuum fuerit, multum fructum affert. Hæc est insignis contio de modo, quo Christus accepturus erat regnum suum. Nam Andreas & Philippus dicunt Christo, hoc est, magno gaudio adnuntiãt Christo, ꝙ non Iudęi tantum, sed etiam Greci, seu gentes cupiant se cum ipso coniungere. Et quia sperant regnum Christi fore carnale, & Christum collecturum exercitum militarem, cuius opera iuuetur ad accipiendum regnũ suum, existimant se afferre Christo lętissimum nuntium, quòd et gentes petant in familiaritatem eius recipi, significantes hac occasione licere ipsi etiam ex gentibus exercitum congregare. Vetus hoc est ingenium hominum, ac etiam apostolorum Christi, quod nondum illustrati uera regni Christi cognitione, quęrant in Christo tantum carnalia, & mundana, existimantes se ad consequenda spiritualia & cœlestia non indigere opera Christi, sed ea suis se uiribus parare posse. Det uitam, (inquiunt) det opes, animum mihi ęquum ipse parabo. Christus autem refutat hanc opinionẽ Apostolorum de regno suo, & ait: Venit quidem tempus, ut glorificer, ut maiestatem regni accipiam, & non Iudęos tantum, uerumetiam gentes mihi subijciam, non autem glorificabor eo modo, quo uos existimatis, sed crucifigar, & moriar, ac postea resurgam a morte, & colligam ecclesiam prędica-

cc
cc
cc
cc

tione Euangelij per uestrum ministerium ex omnibus gentibus. Sicut enim granum frumenti non fert fructum, nisi sparsum in agrum, moriatur. Postq; autem in terra mortuum fuerit, affert suo tempore copiosum fructum, ita & de me sentiendum erit. Nisi occisus fuero, peccata non expiabuntur, & Euangelion nõ reuelabitur inter gentes. Postq; autem fuero occisus, maximas afferam utilitates. Resurgam enim á mortuis, & mittam spiritum sanctum, ut Euãgelion meum uulgetur per uos in totum orbem terræ, & congregetur innumerabilis gentium multitudo ad ecclesiam meam, & ad accipiendam maiestatẽ cœlestis regni. Porro autem, etsi Christus, cum facit mentionem grani, quod seminatur, & in terra emoritur, non uidetur de rebus cœlestibus ac diuinis, sed tantum de rebus rusticis & terrenis contionari. Dicit enim ea, quę sunt uulgaria & cuiuis agricolę notissima, tamen si hoc dictum de grano diligenter perpendas, magna mysteria nobis exponit. Paulus ait: Quę sunt inuisibilia dei, cognoscuntur ex opificio mundi, & intelliguntur ex operibus. Videamus ergo, quę nobis per uisibile granum frumenti demonstrentur. Primum, Christus in hoc loco docet, quod per granum frumenti tota fere historia Euangelij adumbretur. Christus enim uenit in hunc mundũ, ut susciperet passionem ac mortem, & resurgeret iterum á mortuis, non ut hæc ociosa essent, sed ut afferrent uniuerso humano generi, tam Iudęis, q; gentibus, longe omnium maximum fructum, uidelicet remissionem peccatorum, ueram iustitiam, uictoriam mortis, & perpetuam salutẽ, Quibus nihil potest homini excellentius ac magis salutare cõtingere. De his autem omnibus admonet nos granum frumẽti, quod cum in agrę sparsum fuerit, tum demum fructum affert, cum emoritur. Quare sentiendum est, quod granum frumenti recte consideratum, exacte non tantum corpus, uerumetiam animam nostram. Deinde Paulus ad Corinthios scribens, docet nos, quod deus inscripserit in granum frumẽti imaginem generalis resurrectionis mortuorum. Stulte, inquiens, Tu quod seminas, non uiuificatur, nisi mortuum fuerit. Et hoc quod seminas, non corpus, quod nascetur, seminas, sed nudum granum, ex empli caussa, Tritici aut alicuius ex cęteris, sed deus illi dat corpus ut uoluit, & unicuiq; seminum suum corpus. Vides, unumquodq; granum docere & testari futuram mortuorum resurrectiõem. Quare sentiamus grana non tantum esse cibum corporalem, uerumetiam spũalem, & si agricolę uoluerint in spargenda semente non solum externũ corporis, sed etiã internũ mentis agrum colere, debent grana, quę in terram proiciunt, iuxta hãc Christi & Pauli doctrinam intueri, ut ex uisibilib. creaturis cognoscant inuisibilia dei, & bene de uita ac salute sua,

Grani mysteria.

1. Corint. 15.

ſua, etiam in media morte, propter Chriſtum ſperent. Conſideremus & hoc, ꝙ quam habet conditionem granum frumenti in cõſpectu hominum, eandẽ unuſqſq; noſtrum habet in cõſpectu dei. Granum frumenti, ſi repoſitum ſeruetur in horreo, nullum affert fructum, nec eſt adhuc idoneum ad cibum, niſi aut proiectum in agro moriat̃, aut mola in farinam conteratur, & igni coquatur. Eadem plane eſt etiã noſtra conditio: Si ignauiter ociamur, aut uoluptate huius mundi ſecure fruimur, nullus adhuc è nobis fructus demetitur, nec pręparati ſumus, ut fiamus cœleſtis cibus. Sed ſi fructum ferre uoluerimus, & fieri panis cœleſtis menſę, neceſſe habemus mola aduerſitatis comminui, igni afflictionis concoqui, ac poſtremo etiã mori. Memorabile eſt, q̃d Ignatius martyr, beſtijs iam obijciendus dixit. Cũ enim ad leones damnatus eſſet, & audiret eos rugientes, ait: Frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, ut panis mundus inueniar. Quare, cum obruunt nos aduerſa, cogitemus Dñm deum noſtrũ non hoc agere, ut pereamus, ſed ut aduerſis tanꝯ mola conteramur, quo fiamus cœleſtis cibus, & ut afflictionibus exerceamur, ac moriamur, quo iterum ad uitam reſurgamus. Cęterum, poſtꝯ Chriſtus contionatus eſt de ſeipſo, quod intraturus quidem ſit in gloriam & maieſtatẽ regni ſui, ſed per crucem & mortem, contionatur etiam de Apoſtolis & diſcipulis ſuis, quod ſicut ipſe, ita hi neceſſe habeant per afflictiones ueram ſalutem conſequi. Dicit enim: Qui amat animam ſuam, perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in uitam æternam cuſtodiet eam. Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur. Et ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtrauerit, cohoneſtabit eum pater. Hęc contiõis pars, ad Apoſtolos ac diſcipulos, imo ad uniuerſã eccleſiã Chriſti pertinet. Eſt aũt hęc ſententia eius: Vos diſcipuli, ſicut exiſtimatis me regnaturꝰ mundana dñatione in hac terra, ita ſperatis uos per me conſecuturos in hoc mundo magnam potentiam, & uoluptatem. Sed non ſinam uos opinione falli: Dixi granũ frumenti non ferre fructũ, niſi mortuum. Itaꝯ granum neceſſe habet uitã ſuã, ut ita dicam, amittere, quo uitam conſeruet. Hoc exẽplum & in me, & in uos diſcipulos meos conuenit. Ego enim, ut uniuerſo mundo ueram uitã parem, mori debeo, & per mortem in regnum meum ingredi, Sic & ueſtri offiꝯ erit, uitam morti exponere, ut mortem effugiatis, & uitam cõſeruetis. Non conſeruabitis uitã, ſi amore uitę abnegaueritis meum nomẽ, ac meum Euangelion. Sed cuſtodietis & conſeruabitis eã in ęternã uitam, ſi eã confeſſione noĩs mei ita periculo mortis expoſueritis, perinde ac ſi ipſam odio haberetis. Nam ſi uultis me ſequi ad gloriã, ad uitam, ad ueram fœlicitatẽ, neceſſe habebitis me etiam ſequi ad ignominiam, ad mortẽ, et infœlicitatẽ. Nõ enim eſt miniſter maior dño ſuo.

Si ego dominus uester ingredior per mortẽ in uitam, debetis & uos̃ ministri mei per mortem in uitam iugredi. Nec est metuendum, ne in morte pereatis. Nam si mihi confessione uestra ministraueritis, et mortem potius subire, q̃ meum nomen abnegare uolueritis, consequemini apud Deum patrem meum, multo maiorẽ honorem, quàm quem optare aut sperare potestis. Habes sententiam uerborum Christi. Sed singula in his singulari obseruatione digna sunt. Nihil hic est oscitanter prætereundum: Qui amat, inquit, animam suam, perdet eam. Hęc est generalis sententia, sæpe à Christo usurpata, quemadmodum & alĩ Euangelistæ scribunt. Quid igitur dicemus? an non hæc inter se pugnant, amare seu tueri uitam, & perdere uitam? Quomodo ergo diciturís, perdere uitam, qui tuetur et seruat eam? Si hęc recte intelligas, non pugnant inter se. Amare enim seu seruare uitam in hoc loco, non est tueri uitã suã ex officio, & legitime, sed est tanto uitę desiderio teneri, ut studeas eam retinere contra officium, illegitime & impie. Declarabimus id exemplis, Rex quispiam iubet seruum suum fortiter cum hoste pugnare. Hoc est officiũ serui. Quare si seruus nõ aggreditur hostem, nec educit gladium suum aduersus hostem, ut nõ subeat periculum mortis, is certe studet contra officium suum conseruare uitam. Pastor quispiam uidet irruentẽ lupum in gregem suum: Officium autem & uocatio pastoris est, gregem defendere, & lupum à grege arcere. Sed pastor mauult studio conseruandę uitę suę gregẽ deserere, q̃ periculo uitę eum defendere. Amat igitur & conseruat uitam suam contra officium. Sic & discipulus quispiam Christi est, & obĵcitur persecutionibus propter Euangelion Christi. Officium autem & uocatio discipuli Christi est nomen Christi confiteri, & gloriam eius illustrare. Sed is mauult amore uitę abnegare Christum, q̃ periculo uitę, confiteri eum. Quare dicitur uitam suam amare & conseruare contra officium. Quid ergo fiet? Num qui sic amat & conseruat uitam, uere eam conseruat? Nihil minus, sed potius perdit eam: Seruus qui contra officium parcit hosti, ne exponat uitam suo periculo, aut ab hoste trucidatur propter ignauiam, aut à domino capite plectitur, propter officĵ desertionem. Itaq̃ perdit uitam, quam amabat, & conseruabat. Pastor deserens gregem, & fugiens lupum, amore uitæ, abĵcitur & fame necatur. Itaq̃ quã retinebat uitam, perdit. Nam quemadmodum negociator non seruat pecuniam nec auget eam, si amore conseruandæ pecunię, non exponit eam pro mercibus, quas maiori postea precio uendat, ita non seruat uitam suam, qui eam non exponit, ubi exponenda est. Discipulus Christi abnegans Christum metu amittendę uitę, uere uitam amittit. Quid enim uitę reliquum est, amisso Christo? Amittitur autem Christus abnegatione. Quisquis, inquit,

inquit, negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum corã patre meo, qui est in cœlis. Quare necesse habes propter Christum periculo exponere, & amittere uitam terrestrem, ut conserues uitam cœlestem. Cõtra aũt: Qui odit animam suam in hoc mundo, in uitã ęternam custodiet eam. Hoc apud alios Euangelistas sic dicitur, Quisqs perdiderit animam suam causa mea & Euãgelij, hic seruabit eam. Videntur & hęc pugnantia esse, sed recte conueniunt, si recte intelligantur. Odisse enim animam suam, & perdere, hoc loco, non est seipsum interficere. Sic enim nemo debet uitam odisse, sed est malle mortẽ ab alijs illatam subire, & uitam deserere, q̃ officium suum p̃termittere, aduersus Dñm deum peccare, & Christum filium eius abnegare. Sic odio habuit animam suam Ioannes Baptista, sic Apostoli, sic martyres, Sic odio habent animam suam oẽs uere pij. Tantum enim abest, ut aduersus deum peccent, & Christum abnegent, ut malint sexcenties uitam suã perdere. Sed quid? num perdũt uitam? Minime oĩm, sed inueniunt eam, & custodiunt ipsam in ęternam uitã. Quod de uita dicitur, hoc idem intelligendum est, de oĩbus rebus, quibus diuinitus donati sumus, uidelicet, de regno, de sanitate corporis, de uxore, de liberis, de amicis, de facultatibus. Hęc enim, quisquis odio habuerit & perdiderit propter Christum, seruabit. Quicquid enim ex diuina uocatione & obedientia fidei derelinqtur, hoc deponit in manum dei. Deus aũt tam liberalis rerũ custos est, ut depositа non solum tueatur, sed etiam augeat. Oĩs, inquit, qui reliq̃rit domos, aut fratres aut sorores, aut patrem aut matrẽ, aut uxorem aut filios aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitę ęternę sortiet hęreditatẽ. Confirmemus igitur hoc dicto fidem nostram, ut obediamus uocationi dei, & sufferamus libenter ablationẽ rerũ terrenarũ propter Christũ, ut recipiamus cœlestia. Quod aũt additur: Si quis mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum, illic & minister meus erit, uidetur quidem dici de imitatione uirtutum Christi, proprie aũt dicitur de subeunda cruce, exemplo Christi. Christus afflictus est, inquit Petrus, pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut inseq̃remini uestigia ipsius. Etenim Christus suscepit passionem, nõ ut nos nihil aduersi pateremur, sed ut accepta per fidẽ remissione peccatorũ, q̃ ipse passione sua expiauit, aduersis exerceremur, & malis affligeremur. In mundo, inqt, afflictionem habebitis. Et: Non rogo, ut tollas eos de mundo, hoc est, nõ rogo, ut non affligant in mundo. Quid ergo? Num hoc tm̃ Christus post se reliquit, ut ministri ac discipuli eius in hoc mundo affligant? Reliquit quidem hoc post se, non aũt eo consilio, ut in afflictionibus pereant, sed ut per afflictiones uerã & perpetuã salutẽ consequantur. Dicit quidẽ: In mundo afflictionẽ habebitis, sed addit: Bono animo

sitis, Ego uici mundum. Dicit itē: Non rogo ut tollas eos de mundo, sed addit: Rogo ut serues eos à malo. Siquidem, inquit Paulus, simul cum eo patimur, ut & unà cum illo glorificemur. Et iterū: Si commorti tui sumus, & conuiuemus, si sufferimus, & conregnabimus. Hoc ēm est, qđ & Christus ait: Si quis mihi ministrauerit, cohonestabit eum pater. Nemo existimet, se frustra suscipere contumeliam & ignominiam meo noīe. Nam si quis sectatur meam uocationē, & affligit meo nomine aduersis, pater meus cœlestis abunde compensabit. Pro paupertate enim reddet diuitias, pro contumelia honorem, pro ignominia gloriam, pro morte uitam, denicp pro doloribus inferni, cœleste gaudiū. Beati, inquit, estis, cum probra iecerint in uos hoīes, & insectati fuerint, & dixerint oē malum uerbum aduersus uos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces uestra multa est in cœlis. Ministrauit Christo Petrus, ministrauit ei Paulus, ministrarūt ei prophetę & apostoli, & passi sunt in hoc ministerio magnas & uarias afflictiōes. Sed pater cœlestis ita cohonestauit eos, ut nunc in Christo fœliciſſime uiuant, & sint perpetuo cum ipso regnaturi. Non solum aūt hi ministrauerunt Christo publica Euangelij eius prędicatione, uerumetiam ministrant ei, quotqt credunt in ipsum, & sectant obedienter in priuato uitę suę genere uocationē eius, & quantum in ipsis est, illustrant gloriā nominis eius mansuetudine, tēperantia, sobrietate, pudicitia, castitate, pacientia, tolerantia, & id genus alijs uirtutibus. Expergiscamur igit, & ministremus Christo, quocq modo possumus & debemus, ut cohonestet nos pater Domini nostri Iesu Christi per spiritum sanctum suum, & faciat nos cohęredes Christi filij sui, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XII.

GRAtus & iucundus fuit Iesu Christo nuntius, cp Gręci ambiuerint ipsius familiaritatem, Sed iniucunda est mortis mox secuturæ meditatio. Postcp enim Christus contionatē occasione aduentus Grecorum, de passione & morte sua, quēadmodum ante expositum est, tanto mortis horrore perfunditur, ut tota mente contremiscat, nec id silentio dissimulet. Dicit enim: Nunc anima mea turbata est. Hoc certe eandem habet sententiā, cum eo, qđ postea in monte Oliueti ad discipulos ait: Tristis est anima mea usqp ad mortē. Primum igitur oīm, considerandum nobis est, quāto dolore, quanto horrore cōstiterit Iesum Christum filium dei expiatio peccatorę nostrorę. Non ēm passus est tm afflictiones corporis, cum uel flagellaret, uel affigeret cruci, sed etiā passus est afflictiones animi, & horrores mortis, qui mlto graviores sunt morte ipsa, idcp non semel, sed iterę ac sępius, ut & sanguineum sudorē effunderet. Tantæ molis

grat-

erat, peccata nostra expiare. Quare nihil satis seuerit dici potest in hominum ingratitudinem, qui cum ex doctrina Euangelij perspicue cognoscant, quantos labores Christus pro peccatis nostris subierit, ipsi tñ tam temere peccata designanda suscipiunt, ut uideãtur mortẽ Christi pro ludibrio habere. Putas'ne impune ferent tãtam impietatẽ? Sed amabo te, quid est, ꝙ Christus filius dei meditatione mortis sic trepidet, cum tam multi etiam inter Ethnicos fuerint, qui mortem generoso animo aggressi sint, nec ullam trepidationis significationem dederint? Sed huius rei caussa non est obscura. Nam Christus non meditatur mortẽ Ethnice aut philosophice. Habuerunt enim philosophi gentium suas quasdam cogitationes de morte, uidelicet q̃d mors non sit supplicij caussa constitura, sed necessitas naturę, ac laborꝝ et miseriarꝝ finis. Hę cogitationes uidentur posse mortem leuiorem reddere, ac etiam appetendã, sed in ueris terroribus mortis non possunt constare. *Mortis meditatio Philosophica.*

Deinde Christus non meditatur mortem more p̃donum. Hi enim, cũ admonentur, ut à p̃da abstineant, ne capiantur, & capite plectant̃, solent quasi contemnendo & ridendo mortẽ dicere: Quid? Hęc oĩa compensari possunt capitio pleno carnibus, aut capitij fulcro. Quibus uerbis significant, se cõtemnere mortem, ac parꝝ curare, etiamsi capite luant rapinas suas. Hęc fortiter quidem dici uidentur, sed alia sunt iudicia tribunalis dei, alia temeritatis humanę. Quare Christus, q̃ in suscipienda morte adductus est ad tribunal dei, non meditatur mortem pro temeritate p̃donum, sed pro rei ipsius ueritate, & pro ea natura, quam mors à pctõ accepit. Mors enim natura sua est stipendium peccati. Peccatum aũt tam uenenatum ac pestiferꝝ est, ut cum afferat perpetuam damnationem, efficiat ut & mors sit extrema & ęterna interitio. De Basilisco serpente tradunt autores, q̃d necet frutices, & exurat herbas, non contactas modo, uerꝝ etiam afflatas, ac tam uenenatus esse serpens dicitur, ut hominem, si aspiciat tm̃, interimat. Imago hæc est uirium peccati. Nam peccatum infixit morti tã pestiferos oculos, & inspirauit in eam tam uenenatum spiritum, ut quemcunq̃ mors aspiciat, eum perpetua internitiõe perdat, & quẽcunq̃ afflet, eum ęternis cruciatibus enecet. Hic est uere aspectus & afflatus Basilisci. Nec potest homini maior & grauior afflictio accidere. Reliquæ oẽs afflictiões, si cum hac conferant̃, ludus sunt, & iocus. Hic horror superat oĩa genera afflictionũ. Quare, cũ Christus meditaret̃ mortẽ non pro more philosophorꝝ, nec pro more predonũ, sed pro ea natura, quam mors ex pctõ accepit, hoc est, nõ pro fine, sed p̃ initio ęternarꝝ miseriarꝝ, haudquaq̃ mirꝝ nobis uideri debet, q̃d cõspectu mortis tota mente cõtremuerit. Sed quõ, inqes, potuit Iesus Christus filius dei mortẽ sic aspicere, cũ ipse nullũ unq̃ pctũ fecerit, imo cum ipse uera sit ui *Mortis natura.*

ta & resurrectio? Recte dicis, Christum nullū feciſſe peccatū, & Chri
ſtum eſſe ueram uitam, ac resurrectionem, ſed interim conſiderādum
eſt, propter quam cauſſam ſit in hanc terram miſſus, et quod officium
faciendum ſuſceperit. Miſſus enim eſt in hunc mundum, ut peccatum
mundi expiaret. Peccatum aūt expiatur legitimis ſuis ſupplicijs. Por
ro, ſupplicia peccati ſunt oīa genera corporalium & ſpiritualium affli
ctionum, uidelicet, ut peccator affligatur corpore & animo, et pereat
ęternis cruciatib. mortis ac inferni. Quare etſi Chriſtus filius dei nul
lum peccatum fecit, tamen quia ſuſcepit peccatum expiandum, debuit
ſuſcipere ſupplitium peccati, ut aſpiceret mortem, non qualis contem
ptoribus & ſecuris uidetur, ſed qualis eſt natura ſua propt̄ peccatum.
Audiamus ergo nunc, quid Chriſtus in tam horribili mortis obiectu
fecerit. Nam ſi de alīs hoībus dicēdum eſt, nullum inuenies, qui ſuis
uiribus relictus, poſſit tam terribilem mortis conſpectum tranquillo
aīo ferre, & uerā ſalutis ſuę rationē quęrere. Iob morti obiectus male
dicebat diei ſuę. Ahitophel & Iudas Iſchariotes terroribus mortis cō
prehenſi, proripiunt ſe ad laqueos. Quibus rebus intantum non con
ſulebant ſaluti ſuę, ut in maiorem & grauiorem interitum ſeſe conīce
rent. Ieſus Chriſtus aūt recta incedit. In tantis enim terroribus nō con
fugit ad execrationes, ſed ad dep̄cationes, non ad maledicta, ſed bene
dicta, nō ad laqueum, ſed ad orationē. Deus enim, cum obtrudit hoī
bus grauitatē mortis, non uult ut ipſum fugiant, ſed ut ad ipſum con
fugiant. Inuoca me, inquit, in die tribulationis, eruā te & honorifica
bis me. Quę aūt eſt maior tribulatio, q̄ dolorib. mortis & inferni ob
ījci? Hoc recte quidem dicitur, Sed quid mihi prodeſt exēplum Chri
ſti, cui licuit ad deum ſuum oratione confugere, quia non peccauit. Eę
go uero qs ſum, qui audeā p̄cibus ad deum accedere? Deus Chriſtum
filium ſuum ex oī parte innocentē reſpexit. Me aūt, qui ſum peccator,
non reſpicit clementer, ſed potius repellit à ſe indignāter. Audio qui
dē ex pſalmo, Inuoca me in die tribulationis, eruā te & honorificabis
me. Sed in eodē pſalmo ſequit̄: Peccatori aūt dixit. Quare tu enarras
iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Quo igit̄
me, qui peccator ſum, uertam? Rectum & iuſtum eſt, q̄ fatearis te pec
catorem, & indignum, qui ad deum p̄cibus accedas, non aūt recte fit,
q̄ hac cauſſa magis ad execrationem, q̄ ad oratiōem, et plus ad laque
um q̄ ad deum confugias. Chriſtus eī propt̄ hanc cauſſam uenit in
hunc mundum, & ſuſcepit pc̄tā expianda, ut te pc̄tōrem cum deo re
conciliaret, & tibi aditum ad deum patefaceret. Non opus, inquit, ha
bent ī qui ualidi ſunt, medico, ſed qui male habent. Acmox: Non ue
ni ad uocādos iuſtos, ſed peccatores ad pœnitētiā. Et Paulus: Certus,
inquit, ſermo, & dignus, quē modis omnibus amplectamur, q̄ Chri
ſtus Ie

Pſalmus 49.

ſtus Ieſus uenit in mundum, ut PECCATORES ſaluos faceret. Qua re, cum inuenias te in catalogo peccatorū, inuenis etiam te in eorum catalogo, quibus ſalus propter Chriſtum eſt propoſita, & quibus Deus propter Chriſtum ita fauet, ut uelit ipſos nomẽ eius propter Chriſtum inuocantes, in omnibus periculis ſeruare. Sed erigamus aures, & attendamus animum, ut cognoſcamus, quid Chriſtus orauerit. Pater, inquit, ſeruato me ex hora hac. Hoc prorſus idem eſt, cum eo, q̃d poſtea in horto orauit: Pater mi, ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Precatur enim Chriſtus, ut Deus pater ſeruet ac eripiat ipſum, ne hoc tempore crucem & mortem ſubeat. Quid ergo de hac precatione ſentiemus? an non uoluntas Dei erat, ut Chriſtus ſuſciperet crucem? an non Chriſtus in hoc miſſus erat, ut pro peccatis hominū mortem ſubiret? Cur ergo nunc deprecatur mortem? cur obſiſtit oratione ſua uoluntati Dei? Non eſt obſcurum, q̃ Chriſtus filius Dei, ſuſcipiendo hominem, ſuſceperit etiam, abſq; tamen peccato, humanam naturam. Ingenium autem humanæ naturę eſt, q̃ fugiat aduerſa, & deprecetur mortem. Nec hoc eſt per ſe peccatū, ſed eſt potius generalis uocatio Dei, ut oremus, quo ab aduerſis liberemur: Ecce oculi DOMINI, inquit pſalmus, ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius, ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Iuſsit & Chriſtus ipſe nos orare: Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo. Quæ autem grauior eſt tentatio, & quod malū maius uidetur hominibus, quam tyrannis mortis? Quare, ſi de generali uocatione Dei ſermo eſt, orare ut mortem effugias, non eſt peccatum, ſed obedientia diuinæ uocationis. Si autem de ſpeciali aut perſonali uocatione Dei loqui uoluerimus, magnum peccatum eſt, nolle mortem iuxta hanc Dei uocationem ſuſcipere, & malle excutere mortem, q̃ certę uoluntati Dei obſequi. Chriſtus igitur initio deprecatur mortem, iuxta ingenium humanę naturę, quam ſuſceperat, & iuxta generalem Dei uocationem, qua iubemur in horroribus mortis, deprecari mortem. Sed quia debebat ex perſonali uocatione patris ſui mortem hoc tempore ſubire, idcirco ſtatim deprecationẽ ſuam, quaſi corrigit, & ſubĵcit ſeſe uoluntati Dei. Sed propterea, inquiens, Veni in hanc horam. Pater illuſtra nomen tuum, hoc eſt, Deprecatus ſum nũc mortem, & rogaui Deum patrem, ut me ſeruet, ne hoc tempore crucifigar, & occidar, ſed quia mea perſonalis eſt uocatio, ut ſuſcipiam crucem, & ueni in hunc mundum, ac in hanc horam, ut ſubeam mortem ad expianda peccata hominum, idcirco non obſiſtam uoluntati Dei patris, nec prætermittam meum officium. Voluntas Dei eſt, ut hoc tempore crucifigar. Meum officium eſt, ut hoc tempore mortem pro peccatis hominum ſuſcipiam. Non igitur h[illegible]m, ut non crucifigar, & non moriar, ſed ut nomen patris mei illi[illegible]ur, &

gloria eius promoueat. De mea seu uita seu morte fiat, quod Deo patri uisum fuerit, tantummodo, ut uoluntati Dei patris satisfiat, & nomen eius glorificet. Vnde & postea in horto, cum orasset: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, statim addit: Veruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu uis. Et mox: Pater mi, si non potest hoc poculum transire à me, nisi bibam illud, fiat uoluntas TVA. Hæc est insignis et memorabilis precatio, qua nobis exẽplo Christi, utendũ est, in omnibus aduersis huius seculi. Non est quidem, ut hanc appendicem, (Sicut tu uis) adiũciamus his precationibus, quibus petimus bona spiritualia per Christum nobis impetrata, et de quibus certas habemus promissiones. Sed necesse habemus eam adiũcere his precationibus, quibus petimus bona corporalia, de quibus non habemus certam & personalem promissionem, circumstantiis suis definitã. Sunt enim duplicia bona. Alia sunt spiritualia, quę pertinent ad regnum Christi, & quæ Christus nobis, iuxta Euangelion suum impetrauit. Hęc aũt sunt, Remissio peccatorũ, Adoptio in filios Dei, Conseruatio in morte, & uita ęterna. De his bonis certa & manifesta est uoluntas Dei, q̃ Deus uelit remittere peccatum, & donare uitam æternam omnibus iis, qui credunt in Christum. Quare cum precamur remissionem peccatorũ, propter Christum, non erit dubitandum de uoluntate Dei, nec addendum, (Non sicut ego uolo, sed sicut tu uis) manifesta enim est uoluntas Dei ex Euangelio Christi, ideoq̃ firma fiducia orandum est. Alia sunt bona corporalia, quæ pertinent ad regna huius mundi, & ad necessitatem ac utilitatem corporis. Hæc autem sunt, Diuitię, Sanitas corporis, Liberatio ex prędenti periculo mortis, ut diutius in hac terra uitam agas, & multa id genus alia. De his bonis etsi extant generales promissiones Dei, q̃ Deus uelit pijs inuocantibus ipsum in ueritate benefacere, tñ non est nobis manifestũ, nũ ea sint nobis iuxta nostram sententiam utilia coram Deo, & num illustrent nomen Dei, si in nos conferantur, nec definitæ sunt circumstantię, uidelicet num Deus uelit ea in nos conferre, hoc tempore, hoc modo, & hac mensura, qua nos ea petimus. In horum bonorum petitione præcipuũ locũ habet, quod Paulus ad Romanos scribens, ait: Hoc ipsum, q̃d oraturi sumus, ut oportet, non nouimus, uerũ ipse spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quare, cũ hęc bona petimus, subiũciẽda est nostra uolũtas diuinæ uoluntati, & addendũ erit precationi, quod Christus addidit. Veruntamẽ non sicut ego uolo, sed sicut tu uis, Et: Pater illustra nomẽ tuũ. Exemplis id declarabimus. Premit quispiã grauissimo onere pauptatis. Orat igit, Pater, seruato me ex hac hora, pater trãseat à me calix iste pauptatis & da mihi uel saltẽ mediocres diuitias, q̃bus egestatẽ meã sustentẽ. Sed quid si diuitię

Bona spiritualia et corporalia.

diuitiæ allaturæ tibi sint exitium, & paupertas adiumento tibi sit coram Deo in bonum? Ideoq; in hac precatione addendum erit, Pater illustra nomen tuum, Non sicut ego uolo, sed sicut tu uis. Si gloria nominis tui & mea salus promouerit paupertate, malo pauper esse q; diues. Quare quicquid mihi acciderit, hoc tantum efficias pater, ut gloria nominis tui illustretur. Alius affligitur graui morbo. Precatur igitur Deum, ut auferat morbum, & largiatur clementer sanitatem. Pater, inquiens, seruato me ex hac hora, & transeat à me calix iste infirmitatis. Atq; id quidem adhuc pie precatur, sed quia ignorat quæ sit utilitas infirmitatis ipsius coram Deo, addere debet: Pater illustra nomen tuum. Non sicut ego uolo, sed sicut tu uis. Quicquid fiat de mea uel sanitate uel infirmitate, hoc tantum efficias pater, ut nomen tuum glorificetur. Alius comprehenditur manifesto periculo mortis. Orat igitur deum, ut seruet ipsum ex hac hora, & ut calix iste mortis, à se transeat. Atq; hactenus quidem recte orat, sed quid si uita corporalis esset ei exitio, & mors lucrum? Addendum igitur erit: Non sicut ego uolo, sed sicut tu uis. Pater illustra nomen tuum. Siue ego uiuam, siue moriar, hoc tantum peto, ut gloria nominis tui promoueat. Hanc certe reuerentiam & obedientiã debemus DOMINO Deo nostro. Conditi enim sumus à Deo, non ut nobis semper bene sit corporaliter in hac externa uita, sed ut gloria Dei per nos illustretur. Illustratur autem, cum uel in præceptis Dei ambulamus, ut uideant, inquit, nostra bona opera, & glorificent patrem, qui est in cœlis, uel cum aduersa nobis imposita obedienter & patienter toleramus, ut Deus habeat occasionem nos iuuandi, & mirabiliter liberandi. Obsequamur ergo uoluntati Dei, & tradamus nos manui eius, ut fama nominis eius per nos celebretur. Porro, cum Iesus orasset: Pater illustra nomen tuum, Venit uox de cœlo, (dicens) Et illustraui, & rursus illustrabo. Apostolica scriptura testatur Deum patrẽ ter de cœlo cum Iesu Christo filio manifeste collocutum esse. Scimus quidem Christum esse uerum ab æterno filiũ Dei, unius essentiæ et maiestatis cũ deo patre suo, ideoque æternum & ineffabile esse inter ipsos colloquium, nos autem loquimur nunc de manifesto colloquio, quod Deus pater manifeste, de cœlo, audientibus hominibus in hac terra habuit. Hoc ter factum esse scribũt Euangelistæ. Semel cum Iesus in Iordane à Ioanne baptisare tur. Et iterum, cum in monte Thabor coram tribus discipulis transfiguraretur. Ac tertio in hoc loco, cum precaretẽ, ut pater illustret nomẽ suum per ipsum. Respondet ergo pater: Et illustraui & iterum illustrabo. Obseruabile responsum, quo Deus pater significat se hunc Iesum Christum, agnoscere pro uero unigenito & æterno suo filio, quẽ uelit à nobis audiri, quẽ semp exaudiat, & propter quem sit omnibus

audientibus ipsum, & credentibus in eum propitius. Quare cum deus commendauerit nobis Christum filium suum cœlesti uoce, Euangelion eius magna fide & obseruantia audiendum erit. Quod uero ait, Illustraui & iterum illustrabo, cognoscendum est, quomodo deus pater illustrauerit nomen suum per Iesum Christum filium eius: Primum igitur deus illustrauit nomen suum, per Christum ex eo, ꝙ misit ipsum in hunc mundum, ut fieret homo. Ab initio enim orbis terrę promisit deus, se missurum filium suum, in terram, ut conterat caput Satanę, & afferat benedictionem omnibus gentibus. Quare, cū in mittendo filio seruauit promissionem suam, reportauit nomē, laudem, & gloriam clementissimi & ueracissimi dei, quippe ꝙ tam clemēs sit erga homines, ut maluerit filium suum omnibus humanis imbecillitatibus obnoxiū cernere, & ad hominum internitionem conniuere, & tam seruans sit promissi sui, ut maluerit uidere filium suum uarijs calamitatibus affligi, & uerbum suum recantare. Vnde & Zacharias pater Ioannis Baptistę, exurgit in laudem nominis Dei, quod misisset filium suum, cuius Ioannes præcursor erat, Benedictus, inquiens, Dominus deus Israel. Ob quam causam? Sequitur, Quia uisitauit & fecit redemptionem populo suo. Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui. Similiter etiam Maria uirgo, cum iam Christum cōcepisset: Magnificat, inquit, anima mea Dominum, & exultat spiritus meus in deo seruatore meo. Propter quam causam? Additur: quia respexit ad humilitatem ancillę suę. Et mox: Suscepit Israel puerum suū, recordatus misericordię suę, Sicut locutus est ad patres nostros, Abramo & semini eius in secula. Vides igitur aperte nomen dei illustratum esse ex eo, quod Christus filius dei assumpserit hominem, iuxta promissiones, quę ad patriarchas dictæ fuerunt. Deinde illustratum est nomen dei, per Euangelion, quod Christus prædicauit, & per miracula, quę Christus ędidit. In Euangelio enim prædicatur clementia & misericordia dei, quod gratis remittat peccata, propter Christum filium, quod adoptet homines in filios suos, & faciat eos hæredes cœlestis regni, nullo meritorum respectu, sed tantū propter Iesum Christum per fidem. Hæc est maxima laus clementię & misericordiæ dei. In miraculis autem, quę Christus ędidit, manifestatur tam potentia ꝙ uolūtas dei, uidelicet quod deus & uelit & possit miseros & afflictos homines iuuare atq; seruare. Scribit enim Euangelista Lucas, quod Iesus Christus excitauerit à mortuis adolescentem mulieris uiduæ. Luce. 7. Et postꝙ Lucas commemorasset hoc miraculum, addidit, Accepit omnes timor, & glorificabant DEVM, dicentes: Propheta magnus surrexit inter nos, & DEVS uisitauit plebem suam. Apud Matthæum, postquam Iesus sanasset Paralyticum, admiratę sunt turbæ, & glo- Matthei. 9. rificauerunt

rificauerunt DEVM, qui dediſſet talem poteſtatem hominibus. Et alia mulier, quę habuerat ſpiritum infirmitatis annis decem et octo, Luc. 13. poſtq; manu Ieſu Chriſti tangitur, confeſtim erigit ſeſe, & glorificat DEVM. Habes igitur nomen Dei per Euangelion & miracula Chriſti maxime illuſtratum eſſe. Poſtremo illuſtratum eſt nomen Dei per paſsionem, mortem, reſurrectionem, & aſcenſum Chriſti in cœlum, Perq; miſsionem ſpiritus ſancti, & diuulgationem Euangelij in totũ orbem terræ, ac conſeruationem eccleſię Chriſti in omnibus perſecutionibus huius mundi. Nam in paſsione & morte Chriſti manifeſtatur partim ſeueritas irę DEI aduerſus peccata humani generis. Tanta enim eſt ira eius, ut ne filio quidem, qui peccata hominum expianda ſuſceperat, parcere uoluerit, partim immenſa eius miſericordia & clementia erga homines. Tanta enim eſt clementia eius, ut maluerit filium uidere crudeliter interfici, q; hominum ſaluti deeſſe. In reſurrectione autem Chriſti, & in conſeruatione eccleſię eius reuelatur potẽtia et maieſtas Dei, uidelicet, q; quemadmodum eſt Deus clementiſsimus, ita etiam ſit omnipotens rerum gubernator, qui non tantum reduxerit filium ſuum Ieſum Chriſtum è morte ad uitam, & collocauerit eum in throno cœleſtis regni, uerumetiã poſsit ac uelit omnes in Chriſtum filium ſuum credentes, in morte ſeruare, & hęreditatem filij ſui cum ipſis communicare. Hoc eſt nomen Dei, hęc eſt gloria nominis Dei, per Ieſum Chriſtum filium eius illuſtrata. In Chriſto em̃ cognoſcitur Deus, q; etſi eſt ſeuerus ultor peccati, tamen ſit erga eos, qui credunt Euangelio Chriſti filij Dei, remiſſor indulgentiſsimus, & pater clementiſsimus, adeoq; ſeruator longe omnim potentiſsimus. Reuereamur igitur maieſtatem Dei, & agnoſcamus clementiam ac miſericordiam eius, ut obſequamur uocationi eius, & collocemus in ipſo omnem noſtram fiduciam, ad conſequendam ueram & æternam ſalutem per Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XIII.

QVM in promulgando Decalogo uox Dei ſonaret de cœlo, tantus terror inuaſit auditores, ut exiſtimauerint ſibi Exodi 20. repentinam mortem oppetendam eſſe. Fieri enim non poteſt, ut humanus animus ſuis uiribus relictus, trãquille & leniter ſufferat iram Dei, quę decalogo reuelatur. Defecimus, inquit Pſalmus, in ira tua, & in furore tuo turbati ſumus. Et mox: Quis nouit poteſtatẽ irę tuę, & prę timore tuo iram tuã dinumerare? Longe autem alia eſt ratio eius uocis, quę in commendando filio Dei, & Pſalm. 89.

In testificanda maiestate Iesu Christi, de cœlo sonuit: Illustraui, inquiens, & iterę illustrabo. Hęc em̄ non est uox irę dei, sed fauoris dei, nō est uox legis, qua reuelat̄ seueritas dei, sed est uox Euāgelij, qua reuelat̄ clementia dei non solum erga filiū suū, uerę etiam erga oēs, qui filio suo credunt. Quare dubiū nō est, qn discipuli, q ut antea ita et hoc loco audiuerunt patrem cœlesti uoce commendasse filium suum, ingenti animi lętitia perfusi fuerint, & in DOMINO Deo seruatore suo exultauerint. De reliqua autem turba, quę unà cum discipulis
„ hanc uocem audiuit, Euangelista sic scribit: Turba ergo, quę stabat et
„ audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alij dicebant, Angelus ei lo
„ cutus est. Vide mihi, obsecro, uulgi ignauiam & oscitantiam. Hęc cœlestis uox, Illustraui & iterum illustrabo, perspicue & manifeste sonuit, attamen uulgus hominum ita adstabat, ut asinus ad lyram. Non intelligunt, quid sit dictum, sed alij iudicant factum esse tonitruum, alij angelum locutum. Quo iudicio produnt somnolentiam suam, q̄ etsi pręsto adsunt in hac contione Christi, tamen nulla cura cœlestium rerum afficiantur. Non dissimilis est socordia uulgi in audiendo & percipiendo Euangelio, quod hoc tempore de Iesu Christo nobis adnunciatur. Solet enim aliquoties magna esse turba auditorum. Inter hos autem paucissimi sunt, qui Euangelion Christi diligenter audiunt & custodiunt. Reliqui audiunt quidem, sed mente longe aliud agente. Cum enim eos de contione interrogaueris, ibi alij respondent se audiuisse clamorem nescio quem, quasi tonitruum, alij dicunt, Sublimiora esse, q̄ p̄ q̄ intelligere queant, itaq̄ suo se iudicio produnt, q̄ cogitationibus rerum terrenarum occupati, non curent cœlestia. Sed longe alia est uocatio, longe aliud est officium nostrum. Martha, ad quam diuerterat Christus, turbabatur multis negotijs, cum interim soror eius unum hoc agebat, ut audiret Euangelion Christi. Audit ergo Martha, sollicita es, & tumultuaris circa multa. Atqui VNVM est necessarium, nimirum VNVM illud, quod Maria sectabatur. Hoc autem est auditus uerbi Dei. Fides enim ex auditu est, auditus autem per uerbum Dei. Cum igitur necessaria nobis sit fides, ad salutem, necessarium etiam est, ut uerbum Dei, quo in nos fides, autore spiritu sanc̄to, confertur, summo studio percipiamus. Etsi autem auditores cœlestis uocis non similiter de ea iudicant, tamen Christus
„ exponit caussam propter quam hęc uox de cœlo sonuit. Respondit enim & dixit. Non propter me hęc uox uenit, sed propter uos. Non enim ignotum erat filio Dei, q̄d de ipso sentiret pater, & quid per crucem ac mortem eius futurū esset. Quare, quod ad Christum attinet, nō indigebat hoc cœlesti alloquio. Cur ergo uenit? propter VOS (inquit Christus) uenit. Nam cum Christus baptisaretur a Ioanne in Iordane,

dane, audiebatur quidem uox cœlestis, sed pauci prẽsto aderant. Deinde, cum transfiguraretur in monte, audiebatur similiter uox cœlestis, sed aderant & tunc pauci. Nunc autẽ pater publice colloquitur cum filio de cœlo, non uno tantũ & altero auditore, sed prẽsentibus multis hominum millibus, qui ut ante dictum est, ad diem festum paschę conuenerant, & Christo in asina aduecto obuiam processerant. Videamus igitur, quam cœlestis hęc uox utilitatem afferat. Primum, postq̃ Christus antea clare inuocauit Deum patrem, & Deus respondet ei de cœlo, perspicue probatur, q̃ Deus uere agnoscat hũc Iesum, filium suum, sicut & aliâs dixerat: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est, hunc audite. Deinde, cum ait: Illustraui & iterum illustrabo, palam fatetur tam doctrinam, q̃ miracula Iesu Christi, uere esse cœlestia & diuina. Per hęc enim nomẽ Dei illustratum est, quemadmodum supra ostendimus. Huc accedit, q̃ pater hac uoce doceat, se exaudire pias preces, etiamsi diuersum accidere uideatur. Christus enim rogauit patrem, ut illustret nomen suum. Pater autem respondet, se id facturum. Et tamen statim sequit̃ captiuitas, crux & mors Christi. Quid? Siccine pater illustrat nomen suum, cum obijcit filium probrosissimæ morti? Non uidetur quidem esse gloria nominis Dei, sed expecta mihi paulisper exitum rei, & intende oculos mentis tuæ per diem parasceues, ad diem usq̃ paschę, ad diem ascensus, & ad diem pentecostes, quid uidebis, nisi clarissimam Dei maiestatem, & summam eius gloriam? Ita q̃ crux & mors Christi, quę uidebantur esse interitus, reipsa probãtur esse organa, quibus Deus illustrauit nomen suum, Quod autem factum est in Iesu Christo, naturali filio Dei, hoc idem fit in omnibus adoptiuis Dei filijs, qui sunt credentes in Iesum Christum. Hi enim, cum inuocãt DOMINVM Deum suum, per Iesum Christum filium Dei, statim quidem exaudiuntur. Quęcunq̃ em̃, inquit, petieritis patrem in noĩe meo, dabit uobis, sed diuersa & aliena a precibus accidere solent. Paupertas enim augetur, morbus ingrauescit, mors horribilior incurrit, ignis inferni ardentius in conscientia inflammat̃. Hæccine est exauditio Dei? Aliud quidem externo sensui apparet, sed spiritui manifestum est, hęc esse organa, quibus Deus illustret nomen suum. Quare non defatigemur, nec torpescamus in precatione, ut finẽ fidei nostrę cõsequamur. Pergit autem Christus exponere fructum & utilitatem mortis suę, ne cum uiderint ipsum capi & cruci affigi, offendantur. Non propter me, inquit, hęc uox uenit, sed propter uos, uidelicet ut cognoscatis, quod mors mea, quæ mox secutura est, non sit interitus, sed illustratio nominis Dei. Dixit deus, se & ante illustrasse per me nomen suum, & iterum illustraturum. Quare cum uideritis me obijci omni

generi contumelię, adeoq; horribili morti, non existimetis me peritu
rum, sed potius magnũ fructũ, & utilitatẽ mea morte allaturę. Ecquę
est illa mortis tuę utilitas? Sequitur: Nunc iudiciũ est mundi huius.
,, Nũc princeps mundi huius eiȷciet foras. Et ego si exaltatus fuero à ter
,, ra, oẽs trahã ad meipsum. Hęc est insignis & memorabilis contio, ac
una è pcipuis contionibus, quas Christus in terra habuit. Docet em̃
quantũ sit beneficiũ mortis suę. Nam, cp de morte sua contionet, Euã
,, gelista ipse exponit. Hoc aũt, (inquiens) dicebat, significãs, qua mor
,, te (uidelicet morte crucis) esset moriturus. Sed & turba ipsa audito
rum intelligit eum loqui de sua morte, quemadmodũ mox sequitur.
Quod ergo Christus dicit, hanc habet sententiam. Nunc tempus est,
quo mundus iudicabitur, seu reformabitur, & omnia recte componẽ
tur ac cõstituentur. Nunc tempus est, quo crudelissimus tyrannus, in
exilium eiȷciatur, & deportetur. Hic enim mundus opprimit à seuis
simo principe ac tyranno, qui miseros homines crudeliter tractat, cu
ius libidine fit, ut omnia in rebus humanis sint prępostera, peruersa,
& conturbata. Tempus igitur est, ut hic tyrannus proscribatur & in
exilium deportetur, quo miseri homines à tyrannide liberentur, &
meo imperio, q̃d futurę est moderatissimum, subȷciant. Cum em̃ ex
altatus fuero, attraham ad me omnes hoies à tyranno oppressos, ut
in meo regno iucundam, tranquillam & fœlicem uitam ducant. Hæc
ferè est sententia uerborum Christi. Non dubito autẽ, quin ludęi ac
etiã discipuli, ut erant adhuc carnales, intellexerint hęc uerba Christi
de externa huius mundi reformatione, & eiectione Tiberȷ Cęsaris,
& aliorum Regum ac principum, qui tunc rerum inter gentes potie
bantur, ut Messias, cum ludæis suis in tota terra dominaret. De Mes
Psalm. 71. sia enim dicit psalmus: Orietur in diebus eius iustitia & abundantia
pacis, donec auferatur luna: Et dominabitur à mari usq; ad mare, & à
flumine usq; ad terminos orbis terrarum. Et mox: Liberabit paupere
à potente, (hoc est, tyranno) pauperem cui non erat adiutor: Parcet
pauperi & inopi, & animas pauperum saluos faciet. Et in Esaia dicit
Messias. Ponam uisitationem tuam pacem, & præpositos iustitiam.
Non audietur ultra iniquitas in terra tua, uastitas & contritio in ter
minis, & occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio. Dicit &
Daniel regnum Messię aboliturum omnia alia regna huius terræ.
Comminuet, inquiens, & consumet uniuersa regna hæc, & ipsum sta
bit ingternum. Quare cum auditores contionis Iesu senserint eum es
se Christum seu Messiam, ac intellexerint hęc & id genus alia prophe
tarum uaticinia de corporali regno Messiæ, dubium non est, quin ex
istimauerint Christum hoc loco contionari, se externos huius mundi
principes oppressurum, & in exilium eiecturum, ut ludęi tyrannide

liberat

liberati, tranquillam & fœlicem in hac terra uitam agere queant. Sed quemadmodum prophetę, etsi, cum de regno Messię uaticinantur, utuntur pro temporis sui ratione, uerbis externam & corporalem fœlicitatem significantibus, tamen per ea non intelligunt corporale sed spirituale regnum, ita Christus non docet in hac contione, se in hoc primo suo aduentu mutaturum exaltatione sua externum huius mundi statum, sed suscipit se reformaturum hunc mundum spiritualiter, & oppressurum tyrannum spiritualem. Per mundum enim intelligit homines tyrannidi Satanę propter peccatum obnoxios. Per principē autem mundi intelligit Satanā, qui ut hoc loco uocatur princeps huius mūdi, ita & apud Paulum uocatur princeps, cui potestas est aëris, & deus huius seculi. Initio enim cum hic mundus conditus sit à deo per filium suum, debetur etiam filio principatus mūdi. Deinde, cum homo sit conditus à deo ad similitudinem & imaginem filij sui, constitutus est & ipse princeps huius mundi, ut etiam hac parte responderet imagini suę: Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ut p̄sit piscibus maris & uolatilibus cœli & bestijs, uniuersęq; terrę. Postq̄ autē homo peccauit, & factus est propter peccatum, imago Satanę, qui ab initio peccat, non solum amisit principatum, uerumetiam subiectus est potestati Satanę. Et quia Satan accepit, propter peccatum, dominationem in hominē, factus est etiam dominus & princeps huius mundi. Est autem Satan mendax & homicida, ac hostis omnium diuinorum bonorum, quippe q̄ odio filij dei, qui est omnis fœlicitatis thesaurus, susceperit cū ipso irreconciliabile bellum. Quare postq̄ consecutus est dominationē huius mundi, & principis eius, hominis, in hoc solum studium incumbit, ut omnia diuinitus ordinata, inuertat, & perturbet. Itaq; homo impellitur à Satana ad peccatum, cum sit conditus ad p̄standam iustitiā, affligitur morbis, exilijs, paupertate, & multis alijs calamitatibus, cum deberet iuxta conditionem suam constanti sanitate ac fœlicitate frui, traditur morti, cū deberet perpetuam agere uitam, obijcitur flammis inferni, cum deberet frui cœlesti gaudio. Vides magnam rerum inuersionem, ac deformationem, quam tyrannus Satan in orbem terrarum inuexit. Quid enim potest magis p̄posterum, confusum, & perturbatū esse, q̄ q̄ homo qui conditus est iustus, pius, immortalis, fœlix, dominus ac princeps huius mūdi, factus sit iniustus, impius, mortalis, infœlix, seruus ac mancipium crudelissimi tyranni Satanę? Sed bene habet. De reformatione huius rei, & salute hominis nondum prorsus conclamatum est. Nunc, inquit Christus, est iuditium huius mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras, hoc est, nunc aduenit tempus, quo ego reformabo mūdum, & restituam ei suam salutem. Nunc aduenit tēpus,

2. Cor. 4. Ephe. 2.

quo Tyrannus Satan proturbabitur è mundo, & priuabitur ſua poteſtate. Poſtq̃ enim exaltatus fuero in crucem, & moriar, attrahã ad me oẽs, hoc eſt, non ſolum Iudęos, uerumetiã Gentes, ut quotquot ex ijs in me credunt, conſequantur iuſtitiam, uitam, et cœleſte regnũ. Nam, ut pauca q̃dam dicamus de fructu & utilitate exaltationis, ſeu mortis Chriſti, Primum, mors Chriſti expiauit peccatũ. Quare qui in Chriſtum credit, ſiue ſit circumciſus ſiue incircumciſus, habet remiſsionẽ peccati, & reputatur coram deo iuſtus. Deinde mors Chriſti expugnauit ipſam mortẽ, & quę ſunt mortis adminiſtrę, afflictiones. Quare, qui in Chriſtum credit, non poteſt in afflictionibus & morte perire. Adhęc mors Chriſti expugnauit infernum, et recuperauit cœlum. Non derelinques, inquit Chriſtus in Pſalmo, animã meam in inferno, nec dabis ut ſanctus tuus uideat corruptionẽ. Et iterum: Ero mors tua, o mors, morſus tuus inferne. Quid plura? Chriſtus morte ſua eiecit Satanam è tyrannide ſua unà cum peccato, morte, & inferno. De Chriſto enim iam inde ab initio orbis terræ dictum erat: Semen mulieris conteret caput ſerpentis, quod eſt tyrannis Satanæ. Et quod promiſſum erat, hoc Chriſtus iam impleri docet, cum ait: Nunc eſt iudicium huius mundi, nunc princeps huius mundi ejcietur foras. Docet
Colo. 2 & Paulus hoc morte Chriſti impletum eſſe. Suſtulit, inquiens, è medio Chirographum, affixum cruci, expoliatoſq̃ principatus ac poteſtates oſtentauit palam, triumphans de illis per ſemetipſum. Et Ioan-
1. Ioan. 3 nes. Ad hoc apparuit filius Dei, ut diſſoluat opera Diaboli. Et ad Hebręos: Poſteaq̃ pueri commertium habent cum carne & ſanguine, & ipſe ſimiliter particeps factus eſt eorundem, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc eſt, Diabolum, & liberos redderet eos, quicunq̃ metu mortis per omnem uitam obnoxij erant ſeruituti. Quare nihil manifeſtius, nihilq̃ certius eſt, q̃ q̃ Chriſtus morte ſua iudicauerit ſeu reformauerit mundum, & eiecerit tyrannũ mundi in exilium. Quid ergo dicemus? An tunc primum uictus & eiectus eſt Satan, cum Chriſtus crucifixus & mortuus eſt ſub Pontio Pilato? quomodo igitur ſeruati ſunt Patriarchæ & Prophetę ac alij pij, qui fuerunt ante aduentum Chriſti in carnem? De hac re ita ſentiendum eſt, q̃ uictoria quidem ipſa tunc primũ parta eſt, cum Chriſtus mortem ſubijt, fructus autem eius uictoriæ non ſolum peruenit ad eos homines, qui poſt aduentum Chriſti uitam agunt, & credunt in Chriſtum, ſed etiam peruenit ad omnes eos, qui ante Chriſtum, crediderunt in Chriſtum promiſſum, iam inde ab initio conditi orbis. Nam quemadmodum ſi lumen accenderis, ſpargit lucem ſuam non ad unam tantum partem, ſed ad omnes eius loci partes, ita Chriſtus ſub Pontio Pilato in cruce exaltatus, & mortuus, ſparſit fructum

mortis

mortis suæ non ad unam tantum ætatem hominum, sed ad uniuersas huius mundi ætates, siue ante siue post incarnationem suam, ideoq; agnus dicit ab origine mundi occisus. Nam ob hanc causam Christus statim post lapsum Adę promissus est, ut tã ipse Adam, q̃ posteri eius, quotquot crederent in Christum, fruerent beneficijs Christi. Abraham, inquit Christus, pater uester, exultauit, ut uideret diẽ meum. Vidit & gauisus est. Et Paulus: Bibebant, inquit, de spirituali q̃ illos comitabatur Petra. Petra autem erat Christus. Ac Petrus: Neq; patres nostri, neq; nos potuimus portare iugum legis, sed per gratiam DOMINI Iesu Christi credimus nos saluos futuros, QVEMADMODVM ET ILLI. Quare etsi patriarchę & alij prij ante aduẽtum Christi non quenerunt coporali sua ętate in hoc mũdo usq; ad eternũ tempus mortis Christi, peruenerũt tamẽ fide sua usq; ad beneficia, quæ Christus morte sua omnibus credentibus in ipsum impetrauit. Sed quomodo, inqes, eiectus est Satã, & Christus oĩa reformauit ac in legitimũ suum ordinem restituit, cũ non minus hoc tẽpore, q̃ ante aduentũ Christi, Satan in homines grassetur, & hoĩes peccẽt, affligantur & moriant? Hic ergo obserua mihi, q̃ Satan proscriptus quidem sit, & eiectus in exilium, non aũt occisus aut interfectus. Adhuc eñ obambulat tanq̃ leo rugiens, & quęrit quem deuoret. Ablata est ei per mortem Christi tyrannis, sed non est ei ablatus affectus tyrannidis. Adhuc eñ affectat tyrannidem in hominẽ, adhuc omnem mouet, ut dici solet, lapidẽ, quo hoĩem morte Christi liberatũ, iterũ in uincula et captiuitatẽ suã retrahat. Quare summa danda est opera, ut qui semel è uinculis eius per fidem in Christũ euaserit, nõ amplius sese tradat ei captiuũ. Tradimus aũt nos captiuos Satanę, si uersemur iuxta carnem, si obediamus cupiditati peccati, si accõmodemus membra nostra, arma iniustitię pcti. Q̃nãtũ igit abhorremus a Satana, et uinculis eius, tantũ abhorrere debemus a pcto, & cupiditatibus eius. Deinde Christus ita reformauit oĩa in hoc mundo, non q̃ susceperit se mutaturę externum huius seculi statũ. Donec eñ hoc seculũ steterit, hoĩes habebunt pctm̃ in carne, affligent, & moriẽtur, sed ita reformauit, ut uulgauerit Euangeliõ suũ in uniuersum orbem terrarę, ut quicũq; crediderit p Euangeliõ in ipsum & nõ uersatus fuerit secudũ carnem, reputet corã deo iustus, etiãsi habet adhuc pctm̃ in carne, & nõ pereat, etiãsi affligat & moriat. Nulla, inqt Paulus, est cõdẽnatio his q̃ insiti sunt Christo Iesu, qui nõ iuxta carnẽ uersant, sed iuxta spm̃. Et Chrũs: Ego sum resurrectio & uita. Qui credit in me etiãsi mortuus fuerit, uiuet. Quare etsi Satã grassat adhuc in hoĩes omnibus generibus calamitatũ, adeoq; morte ipsa, nõ tñ potest perdere eos, qui sunt in Christo Iesu per fidẽ. Nec grassabit ꝑpetuo. Nã hoc q̃dẽ tꝑe adhuc

uagatur, & uagabitur usq; ad nouissimum diem, si quo modo efficere queat, ut iterum recuperet amissam suam dominationem in eos, qui credunt in Christum. In nouissimo autẽ die ita capietur et uincietur, ut in perpetuum non possit amplius pijs uel externa uel interna afflictione molestus esse. Nouissimus (inquit Paulus) hostis aboletur mors. Et aliàs: Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia & pseudoprophetę cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum. Quod igitur Christus dicit, Nunc est iudicium huius mundi, nunc princeps huius mundi ejcietur foras, sentiamus esse contionem de uictoria, quam Christus morte sua ex Satana reportauit, ut nos à tyrannide Satanę liberemur. Et quia Paulus dicit: Verbum Dei esse gladium spiritus, utamur hoc uerbo Christi aduersus omnes Satanę incursiones, quo possimus Satanæ resistere, & uictoriam per Christum obtinere. Si enim Satan sollicitat te ad obediendum cupiditati peccati, memento quod Christus dixit, Satanam foras eiectum esse. Cur ergo tu iterum eum reciperes? cur tu eum iterum in regnum eius restitueres? Si Satan obtrudit tibi coram tribunali dei peccata tua, obtrude tu uicissim ei proscriptionem & eiectionem eius in exilium. Proscriptus est, & ut isti loquuntur, deportatus. Non habet ius standi in iudicio Dei aduersus eos, qui per Christum liberati, & Christo inserti sunt. Si Satan, oborta afflictione, aut immissa morte, cogitat nostri internitionem, rideamus potius, q̃ extimescamus cõsilium & conatum eius. Eiectus enim est per Christum, & omni sua potestate ac tyrannide exspoliatus. Quare etsi adhuc fremit & sęuit, nocere tñ non potest. Sed agite, perstringamus & ea uerba, quę Christus addit: Ego, inquiens, si exaltatus fuero à terra, omnes traham ad meipsum. Quid est, si fuero exaltatus? Euangelista ipse exponit: Dicens eum significasse his uerbis, qua morte esset moriturus, uidelicet morte crucis. In cruce enim, qui suspenduntur, exaltantur à terra. Quid ergo de hac exaltatione Christi sentiendum est? Alij, si exaltantur cruce, exponuntur publicæ ignominiæ, & fugant potius à se homines, q̃ q; ad se attrahant. Quis enim uelit se coniungere cum ijs, qui sunt à Deo maledicti, quales diuina scriptura pronũciat eos, qui pendent in ligno? Christus autem exaltatus in cruce, primum, summam consecutus est gloriã. Humiliauit, inquit Paulus, semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter & Deus extulit illum in summam sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu se flectat cœlestium ac terrestrium. Deinde exaltatus in cruce traxit ad se OMNES, hoc est, non solum Iudæos, uerumetiam gentes. Nam, cum factus sit Maledictum, (Maledictus enim à deo, oĩs qui pendet in ligno)

2. Corin. 15, Apoc. 20.

Satanæ proscriptio.

Deut. 21.

in ligno) redemit omnes a maledictione legis, ut quotquot in ipsum credunt, siue Iudæi, siue Græci, siue domini, siue serui, consequantur ueram & æternam iustitiæ, uitę, ac regni cœlestis benedictionem. Sicut Moses (inquit) exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut OMNIS, (uidelicet, siue Iudęus, siue Gręcus,) qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam ęternam. Et Paulus: Vos (inquit) qui quondam eratis longinqui, facti estis propinqui per sanguinem Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit ex utrisq; unum, & interstitiũ macerię diruit. Et mox. Faciens pacem, ut reconciliaret ambos in uno corpore Deo, per crucem, perempta inimititia per eam, & ueniens euangelisauit pacem uobis, qui procul aberatis et ijs qui prope. Cum igitur Christus exaltatione sua impetrauerit, ut Deus sine omni personarũ respectu faueat ijs, qui in ipsum credunt, agamus ei gratias, & quia sumus miseri & abiecti homines, tanto illustriorem speremus salutem, quanto sumus in hac terra abiectiores. Cæterum, q̃ utitur uerbo TRAHENDI, Traham, inquiens, ad me omnes, non intelligas de externa dominatione, & uiolenta coactione, sed de iucundo illo tractu, qui fit spiritu sancto per Euangelion DOMINI nostri Iesu Christi. Postq̃ enim Christus exaltatus est in cruce & mortuus, resurrexit a mortuis, & uulgauit Euangelion suum in uniuersum mundum, inter omnes gentes. Quo factum est, ut quotq̃ crediderunt Euangelio, traherent ad Christum iucundissima & gratissima uoluntate. Quis enim peccati onus sentiens, non festinaret ad Christum, peccati onere liberantem? Quis horroribus mortis concussus, non contenderet citissimus ad Christum, mortis uictorem? Quis inferni ardoribus inflammatus non accurreret ad Christum, flammarum inferni extinctorem? Hic est tractus Euangelij, hic est tractus spiritus sancti, quem qui sequitur, suam salutem, & ęternam uitam sequitur. Sed audiamus nunc etiã uulgũ. Respondit ei turba. Nos audiuimus ex lege, q̃ Christus manet inęternum. Et quomodo tu dicis, Oportet exaltari filium hominis? Quis est iste filius hominis? Hoc plane est contemnere & pro nihilo putare insignem contionem Christi. Quod enim dicunt, habet hanc sententiam. Contionaris nobis, nescio que, de tui exaltatione. Audiuimus & antea te eadem pene contionatum esse de filio quodam hominis. Dicebas enim. Oportet filium hominis exaltari. Quis ergo est ille filius hominis? Tu non dissimulas, te esse Christum, Si Christus es, quomodo conuenit, ut exalteris, hoc est, ut moriaris? An non de Christo scriptum est: Regnaturum eum super solio Dauidis in sempiternum? Apage igitur cum illa uerborum tuorum pugnantia, qua nũc te iactas esse Christum, nunc dicis te moriturum. Sed apagete potius

Ephesios. 2.

Ioan. 12.

Esa. 9.

uos cum uestra inepta obiectione. Non enim hoc agitis, ut Christum uere cognoscatis, & ueram iustitiam ac salutem in ipso quæratis, sed ut terrenam dominationem, & carnalem fœlicitatem per eum consequamini. Nam si serio inuestigaretis, quid de Christo scriptũ esset, profecto cognosceretis, quod Christus non tãtum esset perpetuo regnaturus, sed etiam moriturus. Dauid enim & Esaias, qui plura omnibus alijs prophetis de Christo contionati sunt, præclara quidem dicunt de maiestate & ęternitate regni Christi, sed ĩdem multa etiam docent de cruce & morte Christi. Quod cum manifestum sit, non respõdet hoc loco Iesus ad obiectionẽ Iudęorũ, præsertim, cum inebriati opinione mundani regni Christi, non intellexissent, etiamsi multa de spirituali eius regno dicta essent. Sed reprehendit eorum securitatem, & monet, ut in tempore saluti suę consulant. Dixit ergo eis Iesus. Adhuc ad breue tempus lumen uobiscum est. Ambulate, donec lucem habeatis, ne uos tenebræ occupent. Et qui ambulat in tenebris, nescit quo uadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filij lucis sitis. Hęc est grauis cohortatio, qua Christus admonet Iudęos, ut dum licet rebus suis succurrant. Ac plane eadem est sententia, cum ea contione, quam Ioannes Baptista ad Iudęos habuit: Ne sitis inquiẽs, hac mente, ut dicatis intra uos ipsos, patrem habemus Abraham. Dico enim uobis, q̃ possit Deus facere, ut ex lapidibus his filij surgant ipsi Abrahę. Iam uero & securis ad radicem arborũ posita est. Omnis igitur arbor, quę non facit fructum bonum exciditur & in ignem mittitur. Eadem & Christus hoc loco contionatur: Vos contemnitis & reĩcitis meam doctrinam, ac existimatis uos idcirco esse populum dei, q̃ ducitis genus uestrum ex Abrahamo, & habetis legem Mosi, nec quicq̃ uobis deesse putatis ad consequendam iustitiam & cœlestem hereditatem, si modo animum uestrum ad legem & opera eius intenderitis, ac bona terræ huius possederitis. Ego uero nihil uos ęlabor. Res uestrę multo peius se habent, q̃ uos cogitatis. Adhuc breue tempus lumẽ uobiscum erit. Ego sum lux huius mundi, & prędico uobis Euangelion meum, quod est lux lucens omni credenti in ęternam iustitiam ac uitam. Sed non manebo multo tẽpore inter uos, nec diu fungar hoc p̃dicandi Euangelij ministerio. Sunt & mei apostoli, sua quadam ratione, lux mundi, & prędicabunt adhuc aliquanto tpe post meam mortẽ & resurrectionem Euangelion inter uos. Paulo post sequet totius gẽtis uestrę internitio & excęcatio. Vestra urbs diruet, uos abijciemini, ne sitis amplius populus dei. Itaq̃ amittetis nõ solũ corporalia, uerumetiã spũalia et cœlestia bona. Quare moneo uos, ne tã securę & p̃fracte cõtemnatis meũ Euangeliõ. Audite meã cõtionẽ, & sectamini

mini uocationem eius, dum licet, & lux lucet, ne si hanc occasionem neglexeritis, tenebrę uos occupent. Tempus illud instat, quo non solum extremę calamitates corporis, uerumetiam horribiles tenebrę et excæcationes animi uestram gentem obruent. Quare si uultis uestris rebus probe consulere, utimini hac luce, quę nunc uobis lucet, credite Euangelio meo, quod uobis perspicue adnunciatur, ut sitis filij lucis, ut splendore huius lucis illuminemini, ut participes eius fiatis, ut fructum & hęreditatem, quam Euangelion meum pollicetur, capiatis. Quid ergo factum est? Num ludęi hac cohortatione excitati sunt ad sectandam lucem? Nihil certe minus, Tantum enim abest, ut lucem Euangelij Christi agnouerint, ut paulo post Christum crucifixerint, & apostolos eius crudeliter persecuti sint. Perierunt igitur supplicio factis suis dignissimo, ac non tantum exuti sunt omnibus terrenis suis fortunis, uerumetiam sic cęcati sunt, ut non possint amplius, nec è peccatis ad iustitiam, nec è morte ad uitam, nec ex inferni doloribus ad cœlestia gaudia euadere, sed quemadmodum Moses dixit: Palpent in meridie sicut palpare solet cęcus in tenebris, ac inæternum pereant. Fruamur nos aliena insania, & faciāt nos aliorum pericula cautos. Accensa enim, etiam inter nos est lux Euangelij domini nostri Iesu Christi, per diuinam clementiam. Qua luce uidemus rectam uiam ad iustitiam, uitam, & cœleste regnum. Hæc enim bona sunt, ad quæ sectanda & possidēda creati & recreati sumus. Hęc est uocatio nostra, cui si paruerimus, fieri non potest, quin splendore cœlestis lucis illustremur per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unā cū patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XIIII.

ON adeo maiestatis DOMINI nostri Iesu Christi obliti esse debemus, ut cum Euangelista scribit, eum digressum abscondisse se a' ludęis, sentiamus eū carnali quodam metu fugisse, ne mortem, quę ex uocatione Dei patris suscipienda erat, subiret. Dicit em̄ Euangelista: Hęc locutus est Iesus, ac digressus, abscōdit se ab eis. Non est igitur nec otiosum, nec superuacaneū, ut consideremus quibus de caussis Iesus sese à Iudæis absconderit. Primum enim etsi abscondit se nunc, tamen paulo post iterum in mediū procedit, ut cum instet tēpus passionis suę, manifeste significe se nō coacte sed libere suscipere mortē. Sic em̄ iam abscōditus erat, ut nullus ludęorū potuisset in ipsum manus inijcere, atquē spōte sua

iterũ ſeſe infert turbæ Hieroſolymitan, ut re ipſa **uideamus eum in** ſuſcipienda cruce & morte uoluntati patris **ultro parere.** Multum autem refert ſcire, ꝙ Ieſus ſponte ac uoluntate **ſua ſuſceperit mortem**, uidelicet ut palam conſtaret, ꝙ cum uere & perfecte obedierit uocationi patris ſui, uere etiam ac perfecte expiauerit peccata noſtra. De qua re poſtea in hiſtoria paſsionis multa dicentur. Deinde Ieſus abſcondit ſe etiam propter hanc cauſam à Iudæis, ut palam ſignificet, ſe mox ab ipſis ita diſceſſurum, ut relinquãtur in omnibus miſerijs corporis & animę. Contemnunt enim eum & derident eum unà cum ſuis contionibus & **miraculis**, nec uolunt intelligere tempus uiſitationis ſuæ. **Quare digniſsimi** ſunt, qui à Ieſu Chriſto non tantum corporaliter **ſed etiam** ſpiritualiter deſerantur. Etſi autem Chriſtus aſcendit nunc **in cœlum**, & non amplius ſolet ſeſe humana carne **hominibus** uiſibilem **in hac terra** ante nouiſsimum diem oſtendere, tamen propoſuit ſeſe nobis quodammodo uiſibilem in uerbo Euangelij ſui, & in ſacramentis ſuis. Quid igitur faciendum eſt, ut retineamus eum præſentẽ, ne ſeſe à nobis, ſicut à Iudęis, abſcondat? Omnino enim præſentia eius neceſſaria nobis eſt ad ſalutem. Si ſanitas corporalis diſceſſerit, ſi terrenę opes ſeſe à nobis abſconderint, ſi corporalis uita aufugerit, uidetur quidem infœlicitas eſſe, non eſt autem nec ſumma nec extrema. Sed ſi diſceſſerit ac dereliquerit nos Ieſus Chriſtus, hæc demum eſt ſumma et extrema infœlicitas. Diſcedente enim Chriſto, diſcedit æterna iuſtitia & uita, diſcedit ſempiterna ſalus, & cœleſte regnum. In horum autem bonorum locum, ſuccedunt peccatum, & mors, interitus & infernus. Nihil ergo magis neceſſariũ eſt, ꝙ ut retineamus nobiſcum Ieſum Chriſtum. Retinemus autem eum ardenti amore uerbi eius, conſtanti fide Euangelij eius, & diligenti obedientia uocationis eius. Quare nihil nobis prius in mentem ueniat, ꝙ ut Euangelion Ieſu Chriſti ſumma fide & obſequio excipiamus. Sed audiamus nunc deſcriptionem incredulitatis & impietatis Iudęorum. Sic enim ſcribit Euangeliſta: Cum autem tam multa ſigna feciſſet coram eis, non cre-
" debant in **eum**, ut ſermo Eſaię prophetę impleretur, quem dixit: Do-
" mine quis **credidit** ſermoni noſtro, & brachium domini cui reuelatũ
" eſt? Multa fecit Ieſus miracula inter Iudæos, quę ſi ſcribantur, quemadmodum Euangeliſta aliàs dicit, per ſingula, nec ipſe opinor mundus caperet eos, qui ſcriberentur libros, & tamen Iudæi non credide-runt eum uerum eſſe Meſsiam. Quid magis mirum dici poteſt? Ac profecto hęc Iudęorũ incredulitas, uidetur magno eſſe offendiculo. Nam ꝙ tam pauci Iudęi crediderunt in Ieſum Chriſtum, & ꝙ principes Iudæorum perſecuti ſunt Ieſum, nec agnouerunt eum Meſsiam, ſed potius crucifixerunt eum, poſſet in imbecillibus excitare ſuſpitionem,

nem, hunc Iesum non esse uerum Messiam, seu Christum. Christus enim promissus fuit Iudeis, & dicit Propheta, Iudæos habitaturos confidenter sub Christo. Et alius de fœlicitate Iudæorum sub Christo sic contionatur: Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt uestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi. Et iterum: Pro eo q̃ fuisti derelicta & odio habita, & non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam seculorum, gaudium in generationē & generationem. Hęc & multa alia prędicantur à prophetis, de fœlicitate, quę Iudæis per Christum euentura sit. Sed ecce rem admirandam. Cum Iesus uenisset, ac significaret tam contionibus q̃ miraculis suis se esse uerum Christum, Iudæi sic abominati sunt ipsum, ut etiam omni contumelię genere affectum occiderint. Quis igitur non offenderetur, & cogitaret, hunc Iesum non esse uerum Christum? Manet idem offendiculum etiam hisce adhuc temporibus. Maxima omnium gentiū multitudo est Turcarꝝ & Sarracenorꝝ. Hi aūt non agnoscūt Iesum Christum, uerum esse seruatorem, & quanq̃ dicant eum fuisse prophetam, tamen impie negant diuinam eius maiestatem. Inter Christianos ipsos, paucissimi sunt, qui ueram habent cognitionē & fidem in Christum. An non hęc omnia possent imbecillibus & imperitis iniicere cogitationes, q̃ hic Iesus non sit uerus Christus? Si enim esset uerus Christus, profecto plures crederēt in ipsum. Sed hoc offendiculū tollit è medio Euāgelista uaticinio Esaię prophetę. Nam cum Esaias cap. liij. describeret maiestatem Christi, & doceret eum illustrem & sublimem ualde fore, ut & regibus sit formidabilis ac uenerabilis, addit: Quis credidit sermoni nostro, & brachiū DOMINI cui reuelatum est? hoc est, Christus magnus quidem erit & illustris, sed quia non erit iuxta humanam expectationem speciosus, nec domi habitur in terris regio more, idcirco quis credet Euangelio eius, & quis agnoscet brachium DOMINI? quis agnoscet potentiam & maiestatem Christi, qui est uerus DOMINVS deus noster? nimirum pauciss imi. Allegat & Paulus hunc Esaię locum de paucitate credentium in Christum. Ad Romanos enim scribens: At non omnes, inqt, obedierunt Euangelio. Esaias enim dicit, Domine, quis credidit sermonibus nostris? Nec unus tantum, nec in uno tantum loco uaticinatus est Esaias pauciss imos Iudæos credituros in Christum, sed accedunt etiam uaticinia aliorum prophetarum. Primus Moses dicit: Generatio peruersa est, & infideles filij. Ipsi me prouocauerūt in eo, qui non erat Deus, & irritauerunt in uanitatibus suis. Et ego prouocabo eos, in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo eos. Dauid autem dicit: Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne uideant, & dor-

Hiere. 23. Esa. 60.

Deu. 32.

Psalm. 68.

ſum eorum ſemper incurua. Hæc de excæcatione & incredulitate Iudęorum dicta eſſe, perſpicue exponit Paulus in epiſtola ad Romanos cap.xi. Sed de hac re Eſaias ſæpe ac multum contionatur. In primo cap.ait: Niſi DOMINVS Zebaoth reliquiſſet nobis ſemẽ, quaſi Zodoma fuiſſemus, et quaſi Gomorra ſimiles eſſemus. Et cap.viij. DOMINVM Zebaoth ipſũ ſanctificate, & ipſe pauor ueſter, & ipſe terror ueſter, & erit uobis in ſanctificationem, in lapidem autem offenſionis & petram ſcandali duabus domibus Iſrael, & in laqueum et in ruinã habitantibus Hieruſalẽ. Et offendẽt ex eis plurimi, & cadent & conterentur, & irretientur & capientur. Et iterꝝ, cap.x. Si fuerit populus tuus Iſrael, quaſi arena maris, reliqꝫ, (hoc eſt, uiliſsima & pauciſsima pars populi) ſaluꝫ erũt. Hęc & id genus alia dicta, ſunt ꝓphetica teſtimonia, ꝙ etſi Chriſtus fuit Iudęis promiſſus, & Iudęi fuerũt populus Dei, tamen pauciſsimi Iudæi ſint in ipſum credituri. Quare monuit nos ſpiritus ſanctus per prophetas, ne offendamur paucitate Iudæorũ credentium in Chriſtum. Nam cum prophetæ tam perſpicue contionati ſint de incredulitate Iudęorum, multo magis admirandum eſſet, ſi multi, ꝙ ſi pauci eorum in Chriſtum credidiſſent. Cum autem tam pauci Iudęi agnouerint Ieſum Chriſtum, manifeſtum & hoc, prętera alia, argumentum eſt, ꝙ hic Ieſus, ſit uerus ille, quem prophetæ promiſerunt, Chriſtus. Quid enim dicemus? Num ſentiemus eum eſſe uerum Chriſtum, quem maxima Iudęorum pars Chriſtum agnoſcit? At uenit poſt uerum Chriſtum DOMINVM noſtrum, Cochabas quidam, cui adiunxit ſe uniuerſa Iudęorum colluuies, & crediderunt in eum tanꝙ in uerum Chriſtum. Ergone dicemus hunc Cochabam fuiſſe uerum Chriſtum? Minime omnium. Tantũ enim abfuit, ut hic liberauerit Iudęos ſuos à malis, & reſtituerit eos ſuę fœlicitati, ut potius abduxerit tam ſe, ꝙ omnes aſſeclas ſuos in extremam tam corporis, ꝙ animę internitionem. Quod de Iudæis dictum eſt, hoc idem intelligendum erit de multitudine hominum in toto mundo. Non agnoſcit Ieſum eſſe uerum Chriſtum uniuerſus hic mundus. Suſpicabimur ergo eum non eſſe uerum Chriſtum? Abſit longiſsime. Non rogo, inquit Chriſtus, pro mundo, uidelicet manifeſte ſignificans, non uniuerſum mundum crediturum in ipſum. Et mundus totus in malo conſtitutus eſt. Et iterum: Multi uocati, pauci uero electi. Quare ſi uniuerſus mundus crederet hunc Ieſum eſſe uerum Chriſtum, multo magis ſuſpicaretur quiſpiã, eum non eſſe uerum Chriſtum, ꝙ ſi pauci in ipſum crederent. Nunc autem quia uidemus magnam paucitatẽ uere credentium, admonemur etiam hoc ſigno, ut ſolum hunc Ieſum, uerũ Chriſtũ ſeruatorẽ noſtrũ adoremus. Sed queſo te, qd cauſſę eſt, ꝙ tam pauci Iudęi crediderint in Chriſtum, & adhuc his tẽporibus, magnę

magnæ molis sit, ex tot millibus Iudæorum, unum pium Christianũ facere? Causſa in promptu est. Non potuerunt credere, nec adhuc possunt credere. Sic enim addit Euangelista: Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias: Excęcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, ne uideant oculis, & ne intelligant corde, & conuertantur & sanem eos. Hęc dixit Esaias, quando uidit gloriam eius, & locutus est de eo. Hoc Esaię dictum, quod cap. vi. scribitur, celeberrimum & clarissimum est non solum apud singulos Euangelistas, uerumetiam apud Paulum, in Actis Apostolicis cap. xxviij. & in epistola ad Romanos. cap. xi. Quare dignissimum est, quod magna diligentia conseruemus, & accurata obseruatione consideremus. Ac primum, Ioannes dicit Esaiam in eo, quem citauit, loco uidisse maiestatẽ Iesu Christi, & uaticinatum esse de Christo: Hæc, inquiens, dixit Esaias, quando uidit gloriam ELVS, (uidelicet Christi, de hoc enim sermo est) et locutus est de EO. Manifestum autem & perspicuum est, ꝙ Esaias affirmet se uidisse uerum, uiuum, æternum & omnipotentem Deum: Vidi, inquiens, DOMINVM sedentem super solium excelsum & eleuatum. Et postea: Seraphim clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, DOMINVS deus Zebaoth. Plena est omnis terra gloria eius. Cum igitur Ioannes apostolus & Euangelista exponat hanc prophetę Esaię uisionem de Iesu Christo, nihil certius, nihilq; firmius est, q̃ ꝙ Iesus Christus sit prophetica & apostolica autoritate, hoc est, cœlesti spiritus sancti testimonio, uerus DOMINVS deus Zebaoth, nec sit alius prꝛter Iesum Christum, Deus, nec in cœlo, nec in terra, quęrendus. Deinde obserua, ꝙ hoc dictũ Esaię contineat causſam, propter quã Iudęi non potuerint credere in Iesum Christũ, uidelicet, ꝙ fuerint excæcati à DOMINO. Quod enim apud Esaiã dicitur: Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere, & uidete uisionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua &c. hoc recitauit Euãgelista magis secũdum sententiam, q̃ uerba. Excæcauit uidelicet DOMINVS, oculos eorum, & indurauit cor eorum, ne uideant oculis, & ne intelligant corde &c. Quid ergo dicemus? Si deus excęcauit Iudęos, excusabimus ne Iudæos, & reiiciemus causſam incredulitatis & impietatis in DOMINVM deum nostrum? Quis enim potest uoluntati & potentiæ dei obsistere? Absit, ut faciamus deum autorem impiętatis. Etsi enim deus omnia gubernat, & nemo potest potentię eius obsistere, tamen non est deus uolens iniquitatem, aut faciens peccatũ, sed potius est deus puniens iniquitatem, & supplicio afficiẽs peccatum. Quare excæcauit Iudęos, & abiecit eos in extremas tenebras, non ut peccaret & impie ageret, sed ut peccatum & impietatem Iudæorum puni-

Matth. 13. Mar. 4. Luc. 8.

Christus uerus ab æterno deus.

ret. Spiritus sanctus enim manifeste docet in scriptura, ꝙ excęcatio & abiectio in tenebras, sit supplitiū impietatis. In Deuteronomio cap. xxviij. scriptum est: Si audire nolueris uocem DOMINI tui, percuti et te DOMINVS amentia & cęcitate, ac furore mentis, ut palpes in meridie sicut palpare solet cęcus in tenebris, & non dirigas uias tuas. An non hic perspicue dicitur, cęcitatem & furorem mentis esse impietatis pœnam? In Ezechiele cap. xiiij. dicit DOMINVS: Homo de domo Israel & de proselytis quicunq; aduena fuerit in Israel, si alienatus fuerit à me & posuerit idola sua in corde suo, & scandalū iniquitatis sue statuerit contra faciem suam, & uenerit ad prophetā, ut interroget me per eum. Ego DOMINVS respondebo ei per me, & ponam faciem meam super hominem illum, & faciam eum in exemplum & prouerbium. Et mox: luxta iniquitatem interrogantis, sic erit iniquitas prophetæ. Habes iterum, impiam doctrinam, hoc est, seductionē ac errorem, ex quo mentes hominum excæcantur, & obdurantur, esse impietatis supplicium. Paulus ad Thessalonicenses scribens, Aduentus, inqt, hominis scelerosi est secundū operationē Satanæ, cū omni potentia & signis & prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniustitiæ in ijs, qui pereunt, pro eo ꝙ ueritatē summo amore dignā non receperunt, in hoc, ut salui fierent, Et propterea mittet illis Deus efficatiam illusionis, ut credant mendatio. Vides etiam ex hoc Pauli testimonio, ꝙ supplitium eorum, qui doctrinam uere piam contemnunt, sit decipi mendatio, & illudi, ut pereant. Cognoscamus nūc, in quo statu fuerint res Iudaïcæ. Nam Iudęi fuerunt hoies impijssimi. Habuerunt manifestas promissiones de Christo. Et cum Iesus filius Mariæ prędicaret se esse Christum, & confirmaret doctrinam suam cœlestibus miraculis, audiuerunt Christum ipsum, & uiderunt miracula eius, ac si ulla fuisset in ipsis cupiditas cognoscendæ ueritatis, potuissent facillime intelligere hunc Iesum esse uerum Christum, per prophetas promissum. Sed quid fecerunt? Non solum contempserūt eum, uerumetiam occiderunt, ac post mortem etiam, persecuti sunt eū in discipulis eius, tantum abest ut agnouerint, & coluerint eum. Quare, cum abiectio & excæcatio sit supplitium impietatis, Iudęi merito sicà Deo abiecti & excęcati sunt, ut non possint amplius ad cognitionem ueritatis, & ad consecutionem salutis peruenire. Quod supplitium non in eos tantum Iudęos immissum est, qui fuerunt temporibus Christi & deuastationis Hierosolymitanæ, quę à Romanis facta est, uerumetiam in posteros eorum ita propagatum est, ut hoc tempore inter mille Iudęos uix unum inuenias, qui syncere et ex corde, ac uera fide ad Christum conuertatur. Et quanq; optandum, ac quoquo modo fieri potest, elaborandum est, ut non tantū omnes Iudęi, sed etiam

Excæcatio supplitium impietatis.

omnes

omnes Turcę agnoſcant Chriſtum, tamen mirandum non eſt, ut ua-
nus fuerit labor, qui ad ducendos in cognitionem Chriſtianiſmi pe-
tinaces & induratos ludęos ſuſcipiat. Quis em̃ eſt, qui poſsit iuditiũ
Dei retractare, & ſuppliciũ iam diuinitus illatum auertere? DOMI-
NVS Zebaoth, inquit, decreuit, & quis poterit infirmare? Et manus
eius extenta, quis auertet eam? Iudicantur modo impĩ ludęi & ſuppli
cio excæcationis afficiuntur diuinitus. Quare nullus hominum tantę
eſt uel potentię uel induſtrię, qui queat eos cognitione uerę lucis illu
ſtrare. Ac tolerabile fortaſsis eſſet, ſi ſoli ludæi hac pœna affligeren-
tur. Nunc autem hęc pœna, o rem non fictis lachrimis deplorandam,
propagari incipit etiam in Chriſtianos. Ex una enim parte ſunt hypo
critę, monachi, ſacrificuli & pontificĩ, ex altera ſunt Anabaptiſtę,
quos ita uocant. Hi magna ex parte ita excęcati ſunt, ut omnis opera
& oleum pereant, quæ ad conuertendos ipſos in uiam ueritatis inſu-
muntur. Vnde obſecro id accidit? Rogas? Supplicium eſt induratę
impietatis. Pontificĩ enim multis iam annis admoniti fuerunt publi-
ca prędicatione Euangelĩ DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, ut abiectis
impĩs ſacris, quę faciunt ad expiationem peccatorum, agnoſcant ſo-
lum Ieſum Chriſtum eſſe uerum peccatorum expiatorem, & iuſtiti-
am coram Deo contingere nobis tantum per fidem, propter ſolum
Chriſtum. Tantum aũt abeſt, ut hanc doctrinam ſuſcipiant, & impi-
etatẽ abĩciant, ut illam quidem quoq̃modo poſſunt, igni, aqua, terra
& aere perſequantur, hanc autem coniunctis omnibus uiribus ſuis tu
eantur. Quare iuſtiſsimum eſt ſupplicium, ut in perpetuam excęcati-
onem conĩciantur, ac ne poſsint quidem unquam ad uerę lucis cogni
tionem peruenire. Quid autem dicam de Anabaptiſtis? Hi maxima *Anabaptiſtæ ex agricolis.*
parte ex agricolis oriuntur. Nam reſtituta eſt propicio Deo, in mul-
tis eccleſĩs huius regionis pia doctrina Euangelĩ, & adnunciatur uer
bum Dei publice, & tam perſpicue, ut longe omnium ſtupidiſsimus
ſit, oportet, qui id non percipere queat. Quid ergo faciunt agricolæ?
Nonnulli diligentiſsime quidem ſectantur piam doctrinam. Alĩ au-
tem contemnunt, & de Euangelio peſsime ac uirulentiſsime loquun-
tur, alĩ ſurda aure tranſeunt, alĩ etſi audiunt, tamen animo longe alia
cogitante audiũt. Multitudo certe ugricolarę tota intenta eſt ad ſuum
Mammona. Properant cõtento curſu ad quaſuis finitimas nundinas,
idq̃ feſtis diebus, & magnis etiam itineribus. Sed ad audiendas Euã-
lĩ cõtiones pauciſsimos uideas accurrere, etiãſi locus cõtionis in pro
pinquo fuerit. Hæc magna eſt agricolarum & aliorum hominum im
pietas, quę cum aliãs alĩs ſupplicĩs, uidelicet, fame, peſte, bello, pu-
niri à Deo ſolet, hoc tempore punitur etiam mendaci doctrina & cęci
tate mentis. Vagantur enim paſsim errones quidam, ſcelerati nebu-

lones, qui uulgant inter agricolas impiam doctrinam Anabaptistarum, ac simulant pijssimam religionem. Hic tum uideas agricolas, magna admiratione eos obseruare, & contiones eorum tanq; cœlestia oracula excipere. Itaq; fit, ut alij desertis coniugibus & liberis sequantur hos nebulones, in regionem nescio quam, dicentes se hoc facto seruare dictum Christi, qua docuit, Deum magis diligendum esse, q; uxorem & liberos. Alij diuenditis omnibus facultatibus suis, tradunt eas impijs suis præceptoribus, ac putant se hoc opere imitari exemplum apostolicum, certe omnes ferè qui hac impia doctrina corrumpuntur, in eum cæcitatis furorem & insaniam perueniunt, ut malint extrema pati, q; impietatē suam deserere. Obsecro te, quid hęc sibi uolūt? Quid? rogas? Sunt uere diuina supplicia. Agricolę em̄ noluerūt hactenus ueritatē pię doctrinę audire, & eā sectari. Iustissimū igitur supplitium est, ut audiant nunc errores, & excęcentur. Piguit eos, é foro ad uicinum templum ire, ut erudirentur uera doctrina Euangelij. Æquissimum ergo supplitium est, ut necesse habeāt nunc è patria sua ad externam & longinquam regionem, ad audiendam mendacem doctrinam abire. Lex Dei clarissime explicata non potuit hactenus tantum ab ipsis impetrare, ut in contractibus suis ciuilibus iusti essent, ac mallēt perdere unum aut alterū numum, q; aduersus Deum & proximum mendacijs ac imposturis peccare. Digniſſima igitur pœna est, ut nunc ad obediendum legi & uocationi Satanę, necesse habeant oēs facultates suas deserere, aut alienis tradere. Euangelion Christi magna perspicuitate expositum non potuit hactenus in ipsis efficere, ut propter Christum, & confessionem uerbi eius contemnerent humans minas. Quare recte atq; ordine fit, ut nunc propter impios suos errores obijciantur extremis uitę suę periculis. Sed hi, inquis, fiūt ex doctrina illa Anabaptistica, honesti, probi, & iusti. Non abutuntur amplius nomine Dei ad execrationes. Non studeni ebrietati, incedunt humillimi, orant deuotissime, & faciunt multa alia bona opera. Quid ergo? An non multis iam annis ad rauim usque ex uerbo DOMINI clamauimus, non esse abutēdum nomine Dei, non esse studendum ebrietati, sed ducendam esse piam & honestam uitam. Isti autem noluerunt hæc audire, tantum abest, ut uoluerint huic Dei uocationi obedire. Nunc cum ex improuiso ad unam aut alteram contiunculam ignoti cuiusdam erronis, noctu ad lucernam, & in obscura sylua dictam mutentur, putas ne hoc esse opus spiritus sancti? An non uulgus hominum in pontificia superstitione hactenus

hactenus é bacchanalibus furijs, quas carnispriuiales uocãt, derepẽte tempore quadrageſimalis ieiunij, ac preſertim hebdomadæ paſſioni Chriſti dedicatę ita mutatum eſt, ut plane aliud genus hominum uideretur? nihil tamen manifeſtius eſt, q̃ fuiſſe ficticiam ſuperſtitionẽ. Quid monachi, præcipue Carthuſiani, quos ita uocarunt? Quid in horum moribus deſideraſti? An non fuerunt homines ſobrij, modeſti, inceſſu humillimo, & deuotiſſimi precatores? ergo ne probabimus ſuperſtitioſum ac impium monachorum genus? Dicam de alio hominum ordine. Fures & predones, qui propter ſcelera ſua in uincula coniecti ſunt, cꝫ ſunt humiles, cꝫ deuoti in uinculis? Et cum è uinculis educuntur ad locum ſupplicij, cꝫ honeſte incedunt, cꝫ demiſſo uultu. Non audias ex ipſis ullum maledictum, non uideas ullum malefactum, ergo ne probabimus eorum furta, & rapinas, quod iam capti & ad ſupplitium deſtinati recte agere uideantur? Nihil certe minus. Idem de Anabaptiſtis & ijs, qui eorum doctrina ſeducti ac indurati ſunt, ſentiendum erit. Oſtendimus enim ſupra, quod cæcitas & furor mentis ſit ſupplitium impietatis. Anabaptiſtæ igitur, capti ſunt propter impietatem ſuam, & educuntur iam à carnifice Satana, ad æternum ignem. Itaq; quemadmodum fures & predones uidentur in captiuitate ſua honeſtiſſimi, ſic & illi ſolent incedere humillimi, & deuotiſſimi. Iuſtitia autem eorum, non eſt uera iuſtitia, quæ ex fide in Chriſtum, ſed quæ ex deſperatione & mentis induratione proficiſcatur. Non enim faciunt opera iuſta, ut obediant fidei in Chriſtum, & uocationi eius ad teſtandam ſuam gratitudinem erga ſeruatorem ſuum, ſed quia reuelatum eſt eis aliquo modo iuditium dei, & agnoſcunt nonnulla ex parte grauitatem peccati ſui, ignorant autem uerum Euangelion de Chriſto, quod hactenus ſemper contempſerũt, idcirco neſcientes quo ſe uertant, ut conſequantur peccatorum remiſſionem, faciunt ea opera, quæ errones iſti præſcribunt eis, ſperantes ſe horum meritis peccata ſua expiaturos. Quod igitur Apoſtolus de impijs & excæcatis Iſraelitis dicit, hoc & de Anabaptiſtis intelligendum eſt, uidelicet, quod etſi ſequuntur legem iuſtitiæ, ad legem tamen iuſtitiæ non perueniunt. Propter quid? Quia non ex fide, ſed tanquam ex operibus legis. Quid ergo? Num quia Anabaptiſtarum iuſtitia reprehenditur, aliorum ſceleratorum hominum iniuſtitia approbatur? Sunt enim homines quidam tam impudentes, qui data opera abutuntur nomine Dei ad execrationes, & ſtudent ebrietati, aliaque turpia & fœda facta

delignãt, ne uideantur, ut ipſi dicunt, Anabaptiſtę. Quid horum ne ſcelera commendanda ſunt? minime omnium. Pia enim Euangelij doctrina, ut reijcit & damnat ſuperſtitioſam impiam & monachorũ & Anabaptiſtarum iuſtitiam, ita damnat etiam uitioſam & flagitioſam ſceleratorum & impœnitentiũ hominum uitam, exigit autem ab omnibus uere pia opera, ut credamus ſolum Ieſum Chriſtum eſſe expiationem peccatorum noſtrorum, & iuſtitiam coram Deo, & faciamus bona opa, quæ deus præcepit, ex hac fide in Chriſtum uidelicet, ut reconcilati cum Deo propter Chriſtum teſtemur noſtram gratitudinẽ, & obſequamur uoluntati ſeruatoris noſtri, ac conſeruemus beneficia eius. Quare, ut fugienda eſt impietas Anabaptiſtarum, ita etiam fugienda eſt impudentia ſceleratorum hominum, ſectanda autem eſt uera pietas, quam docet Euangelion Chriſti, ut cum per fidem adoptatiſimus in filios Dei, fruamur hæreditate cœleſtis regni per Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, qui eſt unà cum Patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XV.

EVANGELISTA expoſuit cauſsam, cur Iudæi non crediderint in Ieſum Chriſtum. Non poterant, inquit, credere, quia Eſaias dixit: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, ne uideãt oculis, & ne intelligant corde, & conuertantur & ſanem eos. Neceſſaria autem fuit commemoratio huius cauſſę. Non enim dubito, quin Apoſtolis adnunciantibus inter gentes Euangelion Ieſu Chriſti, & urgentibus hunc ſolum eſſe ſeruatorem humani generis, iam olim per prophetas promiſſum, ſæpe ac multum obiectum ſit, quid ita de hoc Ieſu Chriſto obtundant gentes, cum Iudæi eum non agnoſcant? cur enim non perſuadeant Iudæis, ut in ipſum credant? Nam ſi hic Ieſus eſſet uerus ſeruator mundi, maxime omnium agnouiſſent eum Iudæi, quibus fuit promiſſus, & ex quorum genere in hunc mundum uenit. Nunc, cum hi non ſolum nõ agnouerint, uerumetiam condemnauerint ipſum, quis non iudicaret eũ non eſſe uerę ſeruatorẽ? Hanc obiectionẽ ergo refutat Euãgeliſta, & docet, ꝙ quemadmodũ prophetę adnuntiauerunt Chriſtum ſeruatorem uenturum ex Iudæis, ita ijdem uaticinati ſunt, Iudæos tantę fore impietatis, ut etiamſi coram uideant & reipſa expiantur maieſtatem Chriſti, tamen non recipiant eum, ideoq; perpetua cæcitate puniendos, & ex hereditate cœleſtium bonorum abijciendos eſſe. Quare tantum

tum abest, ut propter Iudæorum incredulitatem, non agnoscamus hunc Iesum Christum, ut quo magis condemnarunt eum Iudęi, eo acceptior nobis esse debeat. Quid ergo? Num Iudęi omnes ita excęcati fuerunt, ut nullus eum receperit? Non repulit Deus, (inquit Paulus) populum suum, quem ante agnouerat. Primum igitur, si de ignobili Iudęorum turba loquendum est, receperunt eum Apostoli, & alij non nulli, qui fuerunt ex infima sorte Iudæorum. Sic enim apud Esaiam dicitur: Si fuerit populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo, hoc est, uilissima & abiectissima pars populi. Deinde, si de principibus loquendum est, etsi hi cõdemnarunt Christum, tamen etiam, ex his multi, ut ait Euangelista, crediderunt in eum, sed propter pharisęos, non confitebantur, ne è synagoga ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis q̃ gloriam Dei. Hic nobis considerandum est, quid sentire debeamus de his principibus, qui dicuntur credidisse Iesum esse uerum Messiam, & tamen prę metu non esse sententiam suam ingenue confessos. Quid enim? Num excusandi sunt? num dicemus eos ueram habuisse fidem? Nulla fere est impietas tam manifesta, quæ non suos habeat assertores. Fuerunt enim nonnulli, qui & hoc affirmarunt, q̃ in persecutione liceat ore abnegare deum & Christum eius, si modo corde conserues fidem: Dicunt enim persecutores esse porcos, Margaritas autem ante porcos non esse proĳciendas. Hęc est insignis impietas, & sacrę scripturę deprauatio. Nomen enim Christi confiteri coram persecutore, non est margaritas temere ante porcum proĳcere, sed est uocatiõi dei obedire, & gloriam nominis dei illustrare. Ac fieri non potest, ut uera sit fides in Christũ, quæ non prodat sese confessione. Quisquis negauerit me, inquit, coram hominibus, negabo eum & ego coram patre meo, qui est in cœlis. Et Paulus: Corde, inquit, creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Huc etiam facit, quod Iacobus ait, fides sine operibus mortua est. Inter opera autem continetur etiam confessio Christi. Quemadmodum enim lumen accensum teneri non potest, quin luceat, ita si fides non lucet confessione, mortua, imo nulla est fides. Sed audiamus iudicium Euangelistæ. Hic enim clare damnat hos principes. Dilexerunt, inquiens, magis gloriam hominum, q̃ gloriam Dei. Quæ est gloria hominum, quæ gloria Dei? Gloria hominum, ea est, quæ homini ab homine contingit, uidelicet, si quis inter homines habetur religiosus obseruator publicæ & ac uitæ religionis, ac obediens filius, ut mos est loqui, ecclesiæ. Hæc gloria parabatur apud Iudæos, aut persecutione Euangelij Christi aut dissimulatione ueritatis & perseuerantia in pharisaicis traditionibus. Gloria autem Dei est, quæ contingit homini coram

Esa. 10.

Epipha. contra Osse nos & Basilidianos.

Deo. Ea paratur confessione nominis Christi. Nam qui ex uera fide confitetur Christum, is consequitur maximam coram Deo gloriam per Christum, quippe ꝙ Christus coram deo patre suo de ipso dicit: En pater, hic homo iustus est, & meus frater, ideoꝙ tuus filius & hęres omnium cœlestium bonorū tuorum. Qua gloria quid posset homini contingere illustrius? Quid ergo dicemus? an non impium est, prę humana illa gloria, contemnere hanc diuinam gloriam, & malle coram hominibus ab homine, ꝙ coram Deo, à filio dei laudari? Reliquum igitur est, ꝙ hi ludęorum principes, qui ita crediderunt in Iesum Christum, ut tamen non confiterentur propter pharisæos, non habuerint ueram fidem, sed fictitiam, quæ cum non constiterit aduersus insultum Pharisęorum, multo minus constare potuit aduersus insultum Satanę. Sed quid? inquies. An non erat principibus metuendum, ne ejicerentur è Synagoga? Iudęi enim fuerunt electus dei populus. Quare qui ex eo populo abjiciebatur, uidebatur ex ecclesia dei, & à deo ipso abjici. Sed tu uicissim audi, recte quidem dicitur, inter Iudæos fuisse ecclesiam dei, sed pharisæi non erant illa ecclesia. Docebant enim impia, & pśequebantur piam Euangelij doctrinam. Quare, etsi arrogabant sibi ecclesię dei autoritatem, tamen magis metuendum erat iudicium Dei, quo hi qui non confitentur Christum, ejiciuntur è cœtu cœlestium ciuium, ꝙ iudicium pharisæorum, quo hi qui Christum confitebantur, ejiciebantur tantum è cœtu externæ Synagogę. Maledicent illi, inquit Psalmus, & tu benedices. Et Christus: Beati estis cum probra iecerint in uos homines, & insectati fuerint, & dixerint omne malū uerbum aduersus uos mentientes ꝓpter me. Et iterum: Alienos à Synagogis facient uos, Et ueniet tempus, ut quisquis interficiat uos, uideatur cultum pręstare deo. Sed paulo post additur. Bono animo sitis, ego uici mundum. Et: Pater quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecum. Nihil igitur certius est, ꝙ eum recipi à Christo, quē homines propter Christum abjiciunt. Sed reuertamur ad illud, quod Euangelista dicit: Multi principes crediderunt in eum, sed propter pharisęos non confitebantur. Non ēm hi tantum principes fauebant suę, ut ipsis, uidebatur prudentię, uerū etiam multi alij sunt, qui sentiunt, nihil referre, quid externis operibus facias, modo recte corde tuo credas. Dicunt enim impudenter: Si cor bonum fuerit, non possunt reliqua esse mala. Itaque alij quidem sectantur impostoras, alij contumelioſi sunt in proximum, alij abutuntur nomine Dei ad execrationes, alij helluantur, alij scortantur, alij alia designant scelera, & tamen interim iactant se optimum habere cor, & strenue ac fortiter in Christum credere. Sed & hos Euangelista damnat. Sicut enim principes Iudaici magis

diligebãt gloriam hominum q̃ gloriam Dei, ita hi magis diligunt suum affectum carnalem, suã animi cupiditatẽ, sua cõmoda & lucra, suas libidines & uoluptates, q̃ affectum & uoluntatẽ Dei, ac obedientiam, quam debent uerbo Dei. Impium autem est suam cupiditatem anteferre dei uoluntati, nec fieri potest, ut cor bonũ sit, & uera fides, ubi opa sunt mala. Fieri q̃dem potest, ut pius, qui uerã habet fidẽ, aliquoties erret, & occupetur, sicut Paulus dicit, in aliquo delicto, ac iterum instauretur, fieri autem non potest, ut qui secundum carnem ambulat, & pergit impudenter & impœnitenter in sceleribus, ueram fidem aut habeat, aut retineat. Etsi enim sola fide iustificamur propter Christum, tamen ea fides teneri non potest, quin proferat fructum bonorum operum. Christus enim accipitur & possidetur fide, Christus autem affert secum spiritnm sanctum. Et spiritus sanctus mortificat cupiditatem peccati, ne peccatum regnet in mortali nostro corpore. Quare fieri non potest, ut qui uere in Christum credit, non etiam uocationi Christi obediat, & in nouitate uitę ambulet. Itaq; uanissima est iactantia eorum, qui cum sceleratissimam ducant uitam, gloriantur tamen se fortiter in Christum credere. Sed de his hactenus. Audiamus nunc aliam contionem Christi. Iesus autem clamauit & dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Et qui uidet me, uidet eum, qui misit me. Ego lux in mundum ueni, ut omnis qui credit in me, non maneat in tenebris. Supra dixit Euangelista Iesum digressum esse, & abscondisse se à Iudęis. Nunc autem, quia tempus subeundę passionis instat, redit iterum ad suam functionem, & contionatur Iudęis suum Euangelion, ut pij confirmentur, impij autem nullam habeãt impietatis suę excusationem, Iesus igitur contionaturus, non est obscura uoce locutus. Sed CLAMAVIT, quo significatur hanc contionem dictam esse in magna hominum frequentia, adhęc Christum serio & perspicue docuisse, ac uoluisse doctrinam suam inter omnes uulgatam esse. Vnde Caiaphę respondet. Ego palam locutus sum mũdo, ego semper docui in synagoga, & in templo, quo oẽs Iudęi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid ergo illud est, quod hoc loco intenta uoce docet? Docet se esse uerum Messiam, filium Dei, & hortatur ut auditores credant in ipsum. Qui credit in me, inquiens, non credit in me, sed in eum, qui me misit, & qui uidet me, uidet eũ, qui me misit, hoc est, Videor uobis esse homo nuper natus, qui non sim, nisi homo uanus & mendax, ideoq; metuitis, ne si uerbis meis adhibeatis fidem, abducam uos in exitium, quemadmodum nonnulli seditiosi attulerunt suis sectatoribus præsentem pernitiem. At ego dico uobis, qui me uidet, non uidet aut solum, aut mendacem hominem, sed uidet Deum ipsum. Et qui mihi adhibet fidem, non adhibet eam soli, aut

Gal. 6.

uanō homini, ſed uero Deo. Quid ita? quia ueni, inquit, lux in mundum, ut omnis qui in me credit, non maneat in tenebris. Eadem ſentētia dicta eſt & ſupra cap. viij. Quam, niſi cognitu neceſſaria eſſet, non tam diligenter repeteret Chriſtus. Eſt autem ſumma, & compendium totius Euangelij & doctrinæ Chriſti. Quare etſi aliās copioſe explicuimus hoc dictum, tamen non puto ſuperuacaneum eſſe, ut & nunc quędam de eo dicamus. Ieſus uocat ſe hoc loco palam & perſpicue, lucem mundi: Ego ueni, inquiens, lux in mundum. De Meſsia autem
Eſaiæ. 9. ſeu Chriſto ſcribit Eſaias: Habitātibus in regione umbrę mortis, lux
Eſa. 42. orta eſt eis. Et iterum: Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut
Eſa. 49. aperires oculos cęcorum, & educeres de concluſione uinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris. Ac rurſus: Parum eſt ut ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & feces Iſrael conuertendas. Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſq; ad extremum terrę. In his Eſaię locis, Chriſtus manifeſte uocatur Lux mundi, hoc eſt, non tantum Iudęorum, ſed etiam gentium. Hi enim duo populi fuerunt partes totius mundi, nec fuit aliud hominum genus in terris. Cum igitur Ieſus tribuat ſibi in hac cōtione, quod Eſaias antea tribuit Meſsię ſeu Chriſto, manifeſtum eſt, q; Ieſus clare contionetur ſe eſſe uerum illū Chriſtum, quem Deus per prophetas promiſerat. Si autem eſt uerus Chriſtus, ſtatim ſequitur, eum eſſe unigenitum Dei filium, adeoq; Deum ipſum ęternum, nam & hoc tribuunt prophętę Chriſto, quemadmodum aliās oſtendimus. Porro, ut cognoſcamus huius lucis uſum, diligenter conſiderandum eſt, q̄d Chriſtus addit: Vt omnis, inquiens, qui in me credit, non maneat in tenebris. Cum dicit: Non maneat in tenebris, perſpicue ſignificat, homines natura ſua eſſe in tenebris. Tenebrę autem ſunt peccatum, infœlicitas, mors & infernus. Quare, q̄d ad naturam hominis attinet, non uidet, qua ex peccato, ad iuſtitiam, ex infœlicitate ad fœlicitatem, ex morte & inferno ad uitam, & lucem cœleſtem ambulandum ſit. Videt quidem humana ſua ratione qua eundum ſit ad iuſtitiam ciuilem, & aliquoties ad ſanitatē corporalem, ſed qua ſit eundum & perueniendum ad ueram iuſtitiam coram deo, & ad perpetuam uitam, nihil prorſus uidet. Nunquid ergo neceſſe habet manere in tenebris peccati & damnationis? Siquidem hominē ipſū ſuis uiribus reliqueris, nihil habet, quo ſe adiuuet. Sed bene habet. Venit LVX in mundum, quę eſt Ieſus Chriſtus, in quē omnis, qui credit, non manet in tenebris. Diximus antea, hoc dictū eſſe ſummam totius Euangelij Chriſti. Non eſt igitur oſcitanter percurrendum. Singulę dictiōes obſeruatu dignę ſunt. OMNIS, (inq̄t). Non ait, Iudęus tantum, aut Circumciſus, aut Diues aut Potens, aut prudens, ſed OMNIS, ſiue Iudęus, ſiue Ethnicus, ſiue circumciſus, ſiue incir-

incircumcisus, siue diues siue pauper, siue glorioſus, siue abiectus, siue honestus, siue inhonestus. Et additur: Qui CREDIT. Non ait: Qui sabbatum obseruat, qui boues offert, qui se a carne suilla abstinet, qui bonis suis operibus ac uirtutibus meret, sed qui CREDIT. Quid, aut in quem credat? Num credat, suauius esse uinum bibere q̄ aquam? aut iucundius esse ociari, q̄ magnos labores suscipere? Num credat in phariſæos, in Mahumetem, in Monachos, in Pontificem Romanum? Nihil certe minus. Sed ait: Qui credit in ME. Quid ergo est credere in Iesum? Hic proponamus nobis Euāgelion Iesu. Prædicauit enim Iesus, se esse uerum Messiā seu Christum, ueram lucem mundi, ueram uitam & resurrectiōem, qui expiet peccata hominum, qui reconciliet homines deo patri, qui efficiat, ut homines adoptent in filios & hęredes dei. Quare credere in Iesum, est credere ipsum esse uerum Messiam, & confidere, q̄ propter ipsum deus nobis sit propitius, & non solum remittat nobis peccata nostra, sed etiam adoptet nos in filios ac hęredes suos, & seruet nos in omnibus malis, ut consequamur perpetuam & cœlestem uitam. Hæc est illa fides, qua et iustificamur coram deo, & seruamur. Vnde & additur: Non maneat in tenebris. Qui enim sic in Iesum Christum credit, primum, non manet in tenebris peccati, sed uenit ad lucem iustitię, quia reputatur propter Christum coram deo patre iustus, & donatur spiritu sancto, ut iusta faciat, si non oī ex parte perfecta, attamen, quantum ad testificandam obedientiam & gratitudinē in hac mortali & corrupta carne satis est: deinde non manet in tenebris infœlicitatis & mortis, sed uenit ad lucem fœlicitatis & uitę, quia Christus uicit mortem, & conseruat credentem in morte, ne pereat. Qui credit in me (inquit) etiamsi mortuus fuerit uiuet. Et Paulus: Siue moriamur, siue uiuamus, Domini sumus. In hoc em̄ Christus mortuus est & resurrexit, & reuixit, ut mortuis ac uiuentibus dominetur. Postremo, nō manet in tenebris & horroribus inferni, sed uenit ex his tenebris ad lucem regni cœlestis. De Christo enim dictum est: Non derelinques animam meam in inferno. Et, Ero mors tua o mors, morsus tuus inferne. Quod autem Christi est, eo unusquisq̄, qui factus est per fidem membrum Christi, fruitur. Quod cum ita se habeat, ratio salutis nostrę exigit, ut doctrinam Euangelij omni, quo possumus, studio sectemur, quo mentes nostræ illustrentur uera luce Iesu Christo Domino nostro, qui est unà cum patre & spū sancto deus benedictus in secula, Amen. Rom. 14.

HOMILIA XVI.

QVÆ beneficia contingant ijs, qui credũt in Iesum Christum, supra satis hoc quidem tempore exposuisse uidemur. Ego, inquit, lux ueni in mũdum, ut omnis, qui credit in me, nõ maneat in tenebris. Audiamus igitur nunc, quam pœnam impietatis suę necesse habent pendere increduli. Si quis (inquit) audierit uerba mea, & non crediderit, ego non iudico eũ. Quid ergo de ipso fiet? Non iudico, hoc est, non condemno, non punio eũ. Ergo ne euadet impunis? Sentiunt quidem nonnulli, q̃ corã deo impune sit, non credere in Iesum Christum, modo alioqui honestam ducas uitam. Existimant unumquemq; in sua religione salutem consequi, si tantummodo ciuilem iustitiam sectetur, & deum publicis suę regionis sacris colat, etiamsi Christum aut ignoret, aut non requirat. Hæc magna est impietas & extrema ignoratio uerę pietatis. Nulla eñ potest esse salus absq; Christo. Et Christus hoc loco non dicit, Qui uerba mea non crediderit, nullo modo iudicabitur, Sed ego: EGO, inquit, non iudico eum. Iudicabitur quidẽ incredulus seueriſſime, Sed

„ EGO non iudico eum. Quam ob causſam? Sequitur: Non enim ueni

„ ut iudicem mundum, sed ut seruem mundum. Insignis sententia, quæ perspicue nobis ob oculos ponit officium Christi, quæ & tanto diligentius inspicienda est, quanto pauciores sunt, qui uerum officium Christi intelligunt. Primum enim docet, q̃ non uenerit in hunc mundum, ut administret regnum mundanum, & coerceat ac puniat more mundani magistratus inobedientes. In regnis enim huius seculi solẽt hi, qui regem afficiunt contumelia, & sunt inobedientes, ac seditiosi, extremis supplitijs coerceri, ut cęteri exemplo admoneãtur, & in officio contineantur. Christus autem affirmat se uenisse in mundum, nõ ut hoc modo ciuiliter aut criminaliter iudicet, cõdemnet & puniat eos, qui sunt in ipsum contumelioſi. Non enim rapit ad externum supplitium impios & incredulos, Sed siquidem non peccauerint in politicas magistratus sui leges, sinit eos, quantum ad se attinet, tranquillã in sua impietate uitam agere. Quod autem Christus dicit, hoc tam ante mortem suam, cum adhuc uitam in terris ageret, q̃ post resurrectionem suam, cum consedit ad dextram Dei patris sui, reipsa præstitit. Apud Lucam, non recipiunt eum proficiscentem ad Hierusalem Samaritani. Ac discipuli quidem censebant tam ingratos & impios homines cœlesti igni perdendos esse, Sed increpantur & audiunt: Nescitis cuius spiritus estis uos. Filius hominis non uenit ad perdendum animas hominum, sed ad seruandum. In hoc nostro Euan-

Luc. 9.

gelista

gelista Ioanne, capite octauo, dicunt Iudæi ad Iesum, Samaritanus es tu, & dæmonium habes. Qua contumelia, quid potest dici grauius? Christus tamen non uindicat eam gladio, aut lancea, sed tradit uindictam Deo patri suo. Ego, inquiens, non quæro gloriam meam, est qui quærat & iudicet. Cum Christus in monte Oliueti caperetur, abscidit Petrus Malcho auriculam. Etsi autem Malchus, qui uenerat ad capiendum Christum, dignus erat, non solum ut auribus mutilaret, uerumetiã ut omnino trucidaretur, tñ Christus noluit impiũ sua causa incõmodo affici, ideoq; & grauiter Petrum reprehendit, & Malcho clementer aurem restituit, ut palam declararet, se non uenisse, ad perdendos sed ad seruandos homines. Coram Caiapha percutitur à seruo pontificis alapa, idq; iniquissime, ac is quidem nebulo dignissimus fuisset, quem terra deuorasset, sed Christus ut suo officio fungeretur, maluit eum uerbis tantum q; hiatu terræ castigare. Quid dicam de crucifixoribus ipsis? Hi merebantur ut præsentem, ita & seueriss imum interitum. Sed tantum abfuit, ut Christus grassaretur in ipsos externo supplicio, quemadmodũ mundani Reges solent in suos aduersarios grassari, ut etiam pro ipsis apud patrem suum intercederet. Et hæc quidem ac multa alia exempla officij sui exhibuit Christus ante suam mortem. Post resurrectionem autem suam nihil seuerius in hostes ac aduersarios suos inuehitur. Vide mihi Iudæos & Gentes, qui uno impetu cooriuntur aduersus Euangelion Christi, & ad hoc tanquam ad cõmune incendium extinguendum accurrunt. Christus tamen, sedens ad dextram dei patris sui, sinit eos impune sæuire, & interim fœlicitate huius seculi frui. Etsi enim Iudæi deleti sunt postea à Romanis, ac meriti sunt eam internitionem, propter occisionem Christi, tamen Romani non prætexebant hanc belli causam, q; Iudæi interfeciss ent Christum, sed q; defeciss ent à suo imperio. Vide etiã mihi Turcas. Hi magnis cõtumelijs afficiunt nomen Christi, & tñ Christus cõniuet, ac sinit eos in hoc mundo dñari. Quid dicã de Iudæis, qui nũc sunt? Hi euomũt grauissimas blasphemias in conuenticulis suis aduersus nomen Christi, attamen quod ad Christum attinet, secure ambulãt in terris, et insup etiã Christianos usuris suis expilant. Quãtus obsecro, numerus est Epicureorũ inter Christianos ipsos? qui etsi palam iactare audent, se non credere futuram esse mortuorum resurrectionem, hoc est, Christum esse uanum ac mendacem, tamen domus eorum securæ sunt, & pacatæ, ut Iob loquitur, & non est uirga Dei super illos. Manifestum igitur est reipsa, quod Christus non iudicet hunc mundum, pro more mundani regis, sed sinit impios sic secure uiuere, perinde ac si in publica Dei tutela essent. Etsi eñ nonnulli impij etiam in hoc seculo affliguntur, & sæpe grauissimis

malis afficiuntur, tamen non uidentur propter impietatem affligi, sed tantum ex humanorum casuum uarietate, cum interim maxima pars impiorum ducant in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendant, hoc est, ne infœliciter quidē coram hominibus diem suum obediāt. Hæc non idcirco cōmemorantur à Christo, ut significet, ꝙ nec magistratus, nec paterfamilias debeant suum facere officium in puniendis manifestis blasphemis ac sceleratis. Cum enim Paulus dicat de magistratu, ꝙ lex posita sit iniustis, inobedientibus, impijs & peccatoribus, ac de patrefamilias, ꝙ debeat educare liberos per eruditionē et correptionem DOMINI, necesse habēt hi, prout ratio cuiusuis offitij exigit, diuina uocatione manifestam impietatem punire. Sed Christus commemorat hoc de suo offitio, ut doceat quantum sit discrimen inter suum & mundanum regnum, & ut non offendamur, cum uidemus impios, oppressis pijs, in hoc seculo fœlicem agere uitam. Deinde, quemadmodum Christus non uenit ut iudicet mundum ciuiliter aut criminaliter, ita non uenit, ut iudicet eum spiritualiter, & puniat eum æterno interitu. Lex enim, si spiritualem eius usum consideraueris, iudicat homines reos æternę condemnationis, propterea quòd nullus hominum legi perfecte satisfaciat, Christus autem non uenit, ut legislator, & quanquam aliquoties interpretatus sit legem, tamen propter hoc officium non descendit è cœlo. Quare quod ad proprium Christi offitium attinet, nullum hominem condemnat. Quod ergo est proprium eius officium? & in quem usum uenit? Vt SERVEM, inquit, mundum. Venit, non ut iudicet homines, sed ut liberet eos à iudicio. Venit, non ut occidat homines, sed ut uiuificet eos. Venit, non ut damnet homines, sed ut seruet eos. Quod autem dicitur de salute, ad quam conferendam Christus uenit, hoc intelligendum est primum de externa & corporali salute, quam contulit hominibus, cum adhuc ageret uitam inter homines. Sanauit enim infirmos, mundauit leprosos, reddit cęcis usum, excitauit mortuos, pauit famelicos in deserto, defendit suos discipulos, ne unà cum ipso ab aduersarijs caperentur, adeoq; ea tempora, quibus Iesus Christus in terris uixit, hanc habuerunt prærogatiuam, quòd consecutus sit etiam corporalem salutem, quicunque eam à Christo petijt. Dixit enim: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Deinde intelligendum est maxime omnium de uera, spirituali & ęterna salute. Christus enim suscepit in se omnes humanas infirmitates, crucem & mortem, ut expiaret peccata, ut uinceret mortem, ut reconciliaret homines cum Deo, ut recuperaret hominibus iustitiam, uitam, & perpetuam fœlicitatem. Hoc est proprium officium Christi. Propter hoc offitium descendit Christus filius dei de cœlo,

ut omnis, qui credit in ipsum, consequatur propter ipsum hæreditatem omnium cœlestium bonorum. Hoc non est esse iudicem, & condemnatorem, sed seruatorem & liberatorem. Quid ergo aliàs dicit, Pater omne iuditium dedit filio suo? Et quomodo confitemur eum esse iudicem uiuorum & mortuorum? Hic nomen iuditij recte intelligendum est. Cum enim dicitur, Patrem dedisse omne iuditium filio, & Christum esse iudicem uiuorum ac mortuorꝫ, non significat Christum iuxta proprium suum officium, esse condemnatorem, sed significat uniuersam hominum salutem in solo Iesu Christo collocatam esse, nec esse aliud nomen, in quo homines seruentur, sicut & aliàs dicit: Data est mihi omnis potestas, in cœlo & in terra. Qua uoce non significat potestatem se in hoc accepisse, ut occidat, trucidet, & damnet homines, sed potius ut uiuificet ac seruet homines. Vnde & instituit ministerium salutis. Euntes, inquiens, docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæcunqꝫ prꝫcepi uobis. Hoc certe est instituere ministeriũ, non quo homines damnantur, sed quo seruantur, & ueram ac æternã salutem consequuntur. Quid igitur dicemus? Cum Christus non sit comdemnator, sed seruator, ergo impij & increduli non damnabuntur, sed euadent impunes? Absit. Sequitur enim: Qui reĵcit me, nec accipit uerba mea, habet qui iudicet ipsum. Sermo, quẽ locutus sum, ille iudicabit eum in extremo die. Cum hoc dicto conuenit & illud: Hæc est condemnatio, qꝺ lux uenit in mundum, & homines magis dilexerunt tenebras, qꝫ lucem. Et illud: Qui non crediderit, condemnabitur. Nam quod Christus hoc loco dicit, hanc habet sententiam: Si quis contempserit me, & non acceperit fide meum Euangelion, hunc ego non condemnabo. Meum enim officium, mea uocatio est, Seruare, Sed condemnabitur, propterea qꝺ non adhibuerit fidem meo sermoni, & non uoluerit meo officio uti, ac salutem meo Euangelio oblatam accipere. Omnes enim homines sunt natura sua peccatores, ideoqꝫ sunt etiam natura sua damnati. Christus autem uenit, ut expiaret peccata, & liberaret homines in ipsum credentes a' damnatione. Quare qui non credit in Christum, non damnatur a' Christo, sed qa iam ante natura sua damnatus est, manet in ea damnatione. Manet aũt in ea, non quod sit peccator, sed quod sermonem Christi offerentem liberationẽ, non accipit. Hꝫc enim, inquit, est cõdemnatio, non quòd homines peccauerint, non qꝺ homines sint obruti tenebris peccati & mortis. Si enim hꝫc esset condemnatio, nullus hominum seruaretur, quia omnes peccauerunt, & egent gloria dei. Sed hæc est condemnatio, quod lux Euangelij, & Christus ipse uenit in mundum, homines autem impij & increduli malunt in tenebris peccatorꝫ suorꝫ manere,

q̄ lucem Euangelij aspicere, & in Christum seruatorē credere. Additur autem diserte: In extremo die. Quid? ergo ne impij habent interea temporis indutias? & euadent impunes usq; ad extremum huius seculi diem? Negari certe non potest, quin Christus hoc manifeste significet. Dicit enim: Sermo, quem locutus sum iudicabit eum in extremo die. Si iuditium & supplitium impiorꝝ reiectum est usq; ad extremū diem, profecto erunt interim à supplitio liberi. Hic iam impij et scelerati teneri non possunt, quin sublata cachinatione exclamēt: Quid? Si in tam longinquum tempus supplitium nostrum differtur, agite dum, uiuamus pro nostra libidine, fruamur occasione. Multum enim adhuc temporis supereſt, quo nihil supplitiorum nobis metuendum erit. Itaq; impij rident contiones de extremo iuditio, & existimāt eas esse uanissimas nugas. Sed tu, quisquis es, nihil habes quo tibi in impietate & sceleribus tuis blandiri queas. Primum enim, nihil certius est, q̄ futurum esse iuditium dei in extremo die, in quo & pij consequentur cœleste regnum, & impij conijcientur in æterna supplitia. Prædicatio de hoc extremo iuditio, non est recens excogitata, sed fuit ab initio orbis terræ inter homines, reuelata diuinitus, & confirmata magnis ac multis miraculis. Quare siue rideant, siue plorent impij, nihil certius nihil firmius est, q̄ futurum esse hoc iuditium, quod ipsi tanta animi securitate contemnunt. Deinde, etsi magna pars impiorum non affligitur externis supplitijs in hoc seculo, tamen multi inter eos traduntur propter impietatem in reprobam mentem, quemadmodum Paulus ait, ut faciant ea, quę non conueniunt, & designent manifesta ac horrēda flagitia, propter quę uel à magistratu, uel ab hostibus, uel alijs aduersis etiam in hoc mundo puniunt. Exemplo sunt Iudæi, qui cum crucifixissent Christum, uidebantur adhuc fœlices? Sed propter impietatem ipsorum traditi sunt in reprobam mentem, ut fierent non modo inter se ipsos seditiosi, latrones & homicidę, uerumetiam aduersus Romanos, quibus subiecti erant, perfidi defectores. Quibus rebus Romani excitati susceperunt contra ipsos bellum, quo bello ita afflixerunt eos, ut facti sint exemplum & opprobrium in omnibus gentibus. Non habent igitur impij, quo polliceantur sibi omnem in hoc seculo securitatem, etiamsi Christus, quod ad se attinet, reseruat supplitium impietatis eorum in extremum diem. Hucaccedit, q̄ impij non possunt diutius impie agere, q̄ usq; ad diem mortis suæ. Nam ab eo tempore incipit supplitium eorum. Sicut enim pij in Christo obdormiscentes uiuunt fœliciter cum Christo, usq; ad extremum diem, quo et corpus ipsorꝝ excitabit, ita impij, qui in impietate sua moriunt, quia sunt mēbra Satanę, p̄cipitant etiā in Tartarꝝ, & uinciun-

cluntur catenis noctis, quemadmodum Satan, ut in extremo die excitati, audiant: Ite maledicti in æternum ignem, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Quis autem scit, quàm longe adhuc absit dies mortis suæ? An non breues dies hominis sunt? An non quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit uelut umbra, nec unquàm in eodem statu permanet? Vidi impium, inquit Psalmus, superexaltatum & eleuatum sicut cedros libani. Et transiui, & ecce non erat, & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Et Paulus: Cum dixerint pax & tuta omnia, tunc repentinus eis imminet interitus, sicuti dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient. Quare impij non debent sibi blandiri in sua securitate, & fœlicitate huius seculi, sed sciant sibi tanto grauius & horribilius supplitium imminere, quanto longius ac diutius proferri uidetur. Cæterum, cum Christus dicat: Sermonem suum iudicaturum impios in extremo die, amâbo te, dic nobis, quid causſæ est, quòd homines iudicentur, & damnentur, propterea quòd non recipiant sermonem Christi. Quis, obsecro, sermo ille est? propter cuius aut neglectum aut contemptum tot myriades hominũ damnantur? Sequitur: Quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar. Et scio, ꝙ mandatum eius, uita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor. Vides nunc, quam ob causam homines damnentur, ꝙ non recipiunt sermonem Christi. Quia ego, inquit, non sum locutus ex meipso, hoc est, Sermo meus, non est humanum somnium, sed diuinum mandatum. Diuinum autem mandatum est uita æterna. Quare qui hoc mandatum non recipit, is non recipit uitam æternam, ideoq; necesse habet æterna morte perire. Cognoscendum autem est, quid mandauerit Deus pater Christo filio suo, quod in hoc mundo contionetur, ut cognoscamus etiam quomodo uitam æternam consequamur. Initio dubium non est, quin & hæ contiones, quibus Christus exposuit legem, & cohortatus est discipulos ad faciendam legem, sint mandata Dei, non sunt autem ea mandata, propter quæ potissimum ac præcipue Christus in hanc terram missus est. Ea enim mandata extiterunt antea in terris, per Mosen uulgata, & per prophetas exposita, priusq; Christus homo factus est, & quia erant pharisaicis traditionibus obscurata, ideo Christus suscepit ea explicanda. Vnus autem est sermo, unum est mandatum, propter quod maxime omnium Christus de cœlo descendit. Hoc est Euangeliõ illud, quod de se ipso prædicauit, uidelicet, ꝙ ipse sit uerus Messias, uerus ab æterno filius Dei, uerus expiator peccatorum, uerus reconciliator ac redemptor hominũ. Hic est sermo, hoc est mandatum, quod

Iob. 14.

Psalm. 36.

1. Thessa. 5.

pāter iuſſit filium in terris prædicare. In pſalmo enim ſecundo, dicit Chriſtus: Prædicabo preceptum, quod DOMINVS dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et in Eſaia ait: Spiritus DOMINI ſuper me, ideo unxit me ad prædicandum humilibus miſit me, ut mederer contritis corde, ut prædicarem captiuis liberationē, & clauſis apertionem. Et iterum dicit Deus pater ad Chriſtum filium ſuum in Eſaia: Dedi te in fœdus populi, & in lucem gentium, ut aperires oculos cęcorum, & educeres de concluſione uinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris. Ex his ſcripturę locis perſpicue habes, q̄ deus mandauerit Chriſto, ut prędicet in terris ſe eſſe uerum illum Meſſiam & filium dei, qui liberet homines à captiuitate & tenebris peccati mortis & inferni, & ducat eos in libertatem & lucem iuſtitiæ, uitę & regni cœleſtis. Vocat autem Chriſtus hoc mandatum, uitam æternam, propterea q̄ afferat hominibus uitam ęternam, & quicunq̄ adhibet ei fidem, accipiat uitam æternam. Sic enim deus dilexit mundum, (inquit alias) ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, nō pereat, ſed habeat ęternam uitam. Reliquum igitur eſt, q̄ homines non damnentur, quia peccauerunt, ſed quia cum peccauerint, non accipiunt mandatum Chriſti, quod eſt Euangelion eius. Hoc etſi in imperita hominum multitudine periculoſe dicitur. Poſtquam enim hi, qui libenter quęrunt occaſionem peccandi, audiunt homines non damnari quia peccauerunt, uociferantur ſibi hac contione, qua putant ſibi dari impunitatem peccandi, nihil gratius eſſe, attamen utcunq̄ hi abutuntur pia doctrina, ueriſſime ac neceſſario dicitur. Non enim conceditur, ſi recte intelligas, peccandi licentia, ſed primum docemur hoc dicto, quomodo poſsimus conſtare in iudicio Dei. Cum enim ducimur ad tribunal Dei in conſcientia noſtra, & accuſamur non ſolum natiuæ noſtrę impietatis, uerumetiam grauiſſimorū ſcelerum, quę deſignauimus, ibi tum cogitandum eſt, eam accuſationem non eſſe Chriſti, ſed legis, & in medium producendum, ac fide arripiendum eſt mandatum Chriſti, quo nobis annunciatur, quòd ipſe ſit expiator peccatorum, & quòd homines non damnentur, quia peccauerunt, ſed quia non agnoſcunt hoc mandatum Chriſti. Agnoſcamus igit̄ hoc mandatum, & opponamus ipſum accuſationi legis, ut etſi peccauimus, tamen propter Chriſtum liberemur iudicio ac ſupplicio peccati. Deinde iubemur hoc dicto à peccatis reſipiſcere, peccata uitare & fugere, tantum abeſt, ut concedatur eo licentia peccandi. Iubemur em̄ ſermonē ac mandatū Chriſti agnoſcere, & fidem ei adhibere. Qui aūt adhibet ei uerā fidē, teneri nō poteſt, q̄n declaret ſe gratū erga Chriſtū, per obedientiā, & dominet reliquis peccati, ut facta corporis mortificentur. Hęc eſt illa nouitas uitę,

Eſa. 61.

Eſa. 42.

uitæ, ad quam ſemper uerbo Dei uocamur, per Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

CAPVT XIII.

HOMILIA XVII.

CVM ſatis ſuperq; in explicandis contionibus Chriſti, quas Ioannes in duodecimo capite deſcripſit, cõmorati ſumus, tempus eſt iã ea, quę in nouiſſima cœna Chriſti acta & dicta ſunt, interp̃tatione noſtra aggredi. Etſi em̃ Chriſtus in his ſex diebus, quę ultimũ paſcha eius p̃ceſſerũt, multas alias contiones, præter eas quę in ſuperiori capite deſcriptæ ſunt, habuit, tñ quia alij Euangeliſtę cõmemorarunt eas copioſe, properat Ioannes ad recẽſendas res geſtas in nouiſſima cœna. Quę cum ſint memorabiles, uiſum eſt eas literis diligenter mandare. Sic ergo dicit: Ante feſtum paſchæ (uidelicet ueſperi eius diei, quem inſecuta eſt magna, ut uocant, paraſceue, in qua Chriſtus crucifixus eſt, & mortuus) ſciens Ieſus, q̃ ueniſſet hora ipſius, ut tranſiret ex hoc mundo ad patrem, cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, uſq; ad finem dilexit eos. Euangeliſta ſuſcepit deſcribendam lauationem pedum, & contionem, quam Chriſtus poſt eam lauationem habuit. Quare primum omnium commendat inſignem illam caritatem, qua Chriſtus cõplexus eſt diſcipulos ſuos, adeoq; uniuerſam eccleſiam ſuam. Chriſtus enim non concluſit caritatem ſuam intra tam anguſtos fines, ut ſolis duodecim apoſtolis terminaretur, ſed dilatauit eam, in totum illum hominum cœtum, qui ipſum ex Apoſtolica prædicatiõe per fidem agnoſcũt. Non pro eis, inquit, tantum rogo, ſed & pro ijs, qui credituri ſunt per ſermonem eorum in me. Quę igitur hoc loco de dilectione Chriſti dicuntur, pertinẽt ad uniuerſam eccleſiam: Cum dilexiſſet, inquit Euangeliſta, ſuos, uſq; in finẽ dilexit eos, hoc eſt, perſeuerauit ipſos ſemp̃ ac perpetuo diligere & tueri. Amplificat aũt Euangeliſta hanc dilectionem. Primũ collatione propenſiſſimę eius uoluntatis, qua Chriſtus ſua ſponte crucẽ & mortem ſuſcepit. Sciens, inquiens, q̃ ueniſſet hora ipſius, ut tranſiret ex hoc mũdo ad patrẽ, hoc eſt, Chriſtus intm̃ dilexit ſuos, ut etiãſi cognouerit iã imminere horã paſſiõis ſuę, ac potuerit fugere, et ſeſe in tutũ locum recipe, tñ maluerit animã ſuam pro diſcipulis & eccleſia ſua ponere, q̃ eos in interitu p̃cti et mortis deſe-

rere. Hęc est immensa caritas, quæ non potest uerbis satis ēxplicari, quod & Christus paulo post significat: Maiorem, inquiens, hac dilectionem nemo habet, ut quis animam suam ponat pro amicis suis. Cęterum, priusquam perstringamus alia, quibus Euangelista commendat & amplificat caritatem Christi, non est negligenter considerandum, quod epitheton tribuatur hoc loco cruci & morti. Cum enim Ioannes faciat uerba de cruce & morte Christi, non dignatur mortem, uocare mortem, sed uocat eam transitum ex hoc mundo ad patrem. Mors transitus ex hoc mundo. Itaq; tribuit morti nouum epitheton, uidelicet significans, mortē nō amplius esse perditionē, sed transitū ex hoc mundo ad patrem. Quid ergo est hic mundus? Quid est PATER? Mundus est lerna malorū. Mundus est sentina omnium scelerum & calamitatum. Deus autem pater est perfecta & æterna iustitia, ac fœlicitas. Cum igitur mors dicatur transitus ad patrem, profecto non erit, nisi transitus ex peccato in iustitiam, & ex calamitatibus ad ueram & æternam fœlicitatem. Sed hęc mortis, inquies, descriptio pertinet tantum ad mortem Christi filij Dei, non item ad alios homines, qui cum sint in peccatis concepti & nati, ingrediuntur per mortem in perpetuum interitum. Recte quidem, si consideraueris mortem secundum naturam, quam habet ex peccato, de hominū morte loqueris, sed longe erras, si de morte loqueris, secundum eam conditionem, quam ex Christo accepit. Christus enim expiauit morte sua peccatum, & euasit per mortem ad uitam, non sua tantū caussa, sed ut homines propter ipsum per mortē in uitam ingrederentur: Ego sum, inquit, resurrectio & uita. Qui credit in me, etiāsi mortuus fuerit, uiuet, et oīs qui uiuit, et credit in me, non morietur inæternum. Et in epistola ad Hebręos: Posteaquam pueri commertium habent, cum carne & sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorundem, ut per mortem aboleret eū, qui mortis habebat imperiū, hoc est, diabolum, & liberos redderet eos, quicūq; metu mortis per omnem uitam obnoxij erant seruituti. Manifestum igitur est, q; quemadmodum mors Christi, ita etiam, mors omnium qui credunt in Christum, sit transitus ex omnibus malis, ad ueram & perpetuam beatitudinem. Sed reuertamur ad propositum. Ioannes amplificauit dilectionē Christi, ex eo q; Christus maluerit mortem, quam iam imminere sciebat, & effugere poterat, subire, quam saluti ecclesię suæ deesse. Nunc autem amplificat eam ex collatione cum proditione Iudę. Sic enim sequitur. Et cœna facta, cum diabolus iam immisisset in cor Iudæ Simonis Ischariotæ, ut proderet eum.

Ioannis.13.

Hebre.2.

» Nam cum Iesus uesperi ad edendum pascha cum discipulis suis
» in urbē Hierosolymā uenisset, fuit & Iudas Ischariotes, unus ē duodecim præsens, qui iam cum pontificibus de proditione pepigerat.

Hoc

Hoc non ignorauit Christus, sed multo certius cognouerat, & si pacto proditionis inter pontifices uisibilis affuisset. Praeterea sciebat etiam alios discipulos ab ipso defecturos, & ipsum turpissime desertu ros, nihilominus tamen tanta fuit bonitas & dilectio eius, ut nec in Iudam proditorem inhumaniter grassatus sit, nec alios discipulos acerbe abiecerit, sed multo magis seruierit eis, non tantum lauatione pedum, uerumetiam susceptione mortis pro peccatis ipsorum. Quis posset magnitudinem tanti amoris pro dignitate satis animo suo comprehendere? Homo quispiam, cui ob oculos positi essent proditor, & amici tam ingrati, dixisset: Quid? ego ne pro his sceleratissimis & ingratissimis nebulonibus mortem subirem ac sustinerem? malo fulminis ictu pereant. Christus autem etsi non tantum apostolos suos desertores, uerumetiam omnes homines, pro quibus passurus erat, impios cognouit, & coram pro maiestate sua uidit, nihil tamen uel amarulentum uel crudele cogitauit aut dixit, Sed ut Ioannes loquitur, dilexit eos in finem, perrexit semper omnia caritatis officia eis exhibere, adeo & mortem propter ipsos suscipere. Commendat Ioannes etiam alias magnitudinem huius caritatis in Christo. Per hoc, inquiens, cognouimus caritatem, quoniam ille animam suam pro nobis posuit. Et Paulus: Christus, inquit, cum adhuc essemus infirmi iuxta temporis rationem, pro impijs mortuus est. Nam uix pro iusto quis & moritur. Etsi autem fortassis fieri potest, ut quis & moriatur pro bono suo amico, deus tamen commẽdat suam caritatem erga nos, quod cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est. Quare nulla potest cogitari caritas, quę superat eam caritatem, qua Christus suam ecclesiam complexus est. Preterea Ioannes amplificat caritatem Christi collatione maiestatis eius: Sciens, inquit, Iesus, quod omnia dedisset sibi pater in manus, & quod à deo exijsset, & ad deum iret, hoc est, etsi probe cognoscebat quanta esset sua maiestas, uidelicet, quod equalis esset deo patri, quod eiusdem esset cum patre essentię & potentiæ, ac assumpsisset quidẽ hominem humanis fragilitatibus obnoxium, & mortalem, resurrecturum autem à morte, ascensurum in cœlum, & sessurum ad dextram dei, (hoc enim est à deo exire, & ad deum ire) ideoque potuisset sibi uno nutu omnes Monarchas huius seculi subijcere, ac cœlestem suam maiestatem palam ostentare, tanta tamen fuit dilectio eius, ut uoluerit abiectissimus discipulorum suorum seruus fieri, sese ad pedes eorum abijcere, pedes eorum lauare, corpore & sanguine suo eos pascere, adeoq; corpus suum pro ipsis in mortem tradere, & sanguinem suum pro ipsis effundere? Quis fando posset magnitudinem tantæ dilectionis explicare? Hæc

1. Ioann. 4.

Roman. 5.

c. 6.

c. 6.

aũtem non proponuntur nobis, ut ſciamus tantum, et admiremur, ſed ut ijs, ad ſalutem noſtram utamur. Nam conſideratio huius immenſę caritatis Chriſti erga nos exuſcitat & confirmat in nobis fidem & mutuam caritatem, quę ſunt prȩcipuus cultus dei, & quę neceſſario præſtanda ſunt. Primum enim exigitur FIDES, qua credamus nos deo curę eſſe, & qua inuocemus deum. Sed multa ſunt, quę ſolent nos ab hac fide auocare. Vnum eſt, ꝙ cogitemus nos eſſe conditione noſtra indigniores, c̄ꝫ quos deus reſpiciat. Alterum, ꝙ cogitemus nos eſſe ſceleratiores, c̄ꝫ quibus deus faueat. Huc accedit, quod exiſtimemus maieſtatem dei eſſe ſublimiorem, c̄ꝫ quę ſe ad conſeruãdum nos demittat. Sed hęc omnia refutant conſideratione immenſæ huius caritatis, qua filius dei, qui eſt ipſa patris imago, diſcipulos ſuos, imo uniuerſam eccleſiam ſuam proſequitur. Filius enim dei habet coram ſe diſcipulos ſuos, homines indignos, abiectos, & ſceleratos, prȩterea non ignarus eſt maieſtatis ſuę, & tamen tanta eſt caritas eius, ut teneri non poſſit, quin fiat ſeruus ipſorum, & ſuſcipiat pro ipſis probroſiſſimã mortem. Si enim nos indigni ſumus, quos filius dei reſpiciat, ipſe tamen dignus eſt, qui miſeros iuuet, quo clementia eus illuſtretur. Si peccatores ſumus, ipſe tamen iuſtus eſt, & peccata noſtra expiauit. Si magna eſt maieſtas eius, afflictos tamen reſpicere & tueri, non eſt maieſtatem minuere, ſed cõſeruare & augere. Quare, quo indigniores & miſeriores nos eſſe agnoſcimus, eo melius de clementia dei confidendũ eſt. Deinde exigitur mutua caritas. Diliges, inquit lex, proximum tuum, ſicut teipſum. Ab hac autem dilectione auocat nos, quod non recte conſideremus, quanta dilectione filius dei proſequatur proximũ noſtrum, & c̄ꝫ gratum ſit ei officium, ſi proximo benefecerimus. Exiſtimamus enim, ꝙ filius dei tam frigido affectu complectatur proximum noſtrum, c̄ꝫ nos eum complecti uidemur, & quod non ſit ei curę, quid q̄ſq̄ alteri uel boni uel mali fecerit. At manifeſta eſt dilectio filij dei. Etſi enim proximus noſter eſt peccator, tamen filius dei tanto amore eius arſit, ut propter ipſum mortẽ ſubierit. Ne cibo tuo, inquit Paulus ullum perdas, pro quo Chriſtus mortuus eſt. Adhęc, tanquã curę eſt Chriſto, quæ officia nobis inuicem conferamus, ut etiam ob hanc cauſſam ſuſceperit erga nos tantum caritatis ardorem, quo & in nobis mutuam caritatem accenderet. Remittit nobis peccata, ut & nos proximis ſua peccata remittamus. Seruat nos in aduerſis, ut & nos proximum pro noſtra uirili, in aduerſis ſuis ſeruemus. Donat nos iure regni cœleſtis, ut iuuemus proximum in hoc regno terreſtri. Breuiter, adoptat nos in filios dei, & hęredes omnium diuinorum bonorũ, ut impartiamus proximis noſtris honorem, tanc̄ꝫ etiam ipſis cohęredibus gratię uitę. Quis igit tã ingratus eſſet, qui pro tantis beneficijs non

Roma. 14.

non referret tantilla officia? Fingamus esse diuitem quendam, qui do
net mendico mille aureos numos, & hanc uicissitudinem ab eo petat,
ut tantum duos aut tres aureos suo nomine, ad declarãdam animi gra
titudinem alteri mendico, proxime obuiam ueniẽti exponeret. Quan
ta, obsecro, hęc esset ingratitudo, quanta indignitas, si mendicus ille,
qui accepit dono mille aureos numos, non solum nihil donaret proxi
mo mendico, uerumetiam conuicijs eum proscinderet? An non dig
nissimus esset, cui non solum auferrentur sui mille aurei, sed etiã qui
multis plagis uapularet? At Christus nõn dedit nobis mille tantum
aureos numos, sed dedit hæreditatem regni cœlestis. Quę igitur est
illa ingratitudo, ꝙ non uicissim ad testandam animi nostri gratitudi
nem, impertiamur egenti proximo aliquid de hæreditate huius terre
stris regni, quod tamen magis est seruitus, ꝙ regnum? Nota est para
bola de eo, qui debuit domino suo decem milia talentorum, & nõ uo Matth.18.
luit uicissim conseruo suo remittere centum denarios. Quare, ne ejci
amur ex dilectione filij dei, elaborandum est, ut accendatur in nobis
dilectio erga proximos nostros. Accenditur autem diligenti & fideli
consideratione immensę illius dilectionis, qua filius dei in nos exar
sit, & qua donauit nos omnibus cœlestibus bonis. Carissimi, inquit 1.Ioannis 4.
aliàs Ioannes, si sic deus dilexit nos, & nos debemus nos mutuo dili
gere. Et Christus postea ait: Hoc est meũ prȩceptum, ut diligatis uos
inuicem, sicut dilexi uos. Sed de hac re hactenus. Videamus nũc, qui
bus rebus Christus testatus sit suam dilectionem erga discipulos seu
ecclesiam suam. Vna est, Lauatio pedum. Altera est, Cœna Domini
ca, qua dedit corpus suum uescendum, & sanguinem suum bibẽdum.
Tertia est, passio & mors Christi. His tribus rebus Christus dilectio
nem suam ita testatus est, ut nulla maior aut excellentior animo conci
pi possit. De ordine autem lauationis pedum & Cœnę dominicę, cõ
trouersiola quędam est. Alij sentiunt Iesum lauisse pedes discipulo
rum, priusq; cum discipulis cœnatus sit. Hi, cum Euangelista dicit,
Cœnam factam, intelligunt, cœnam paratam quidem, nondum autẽ
absumptam. Alij sentiũt, Iesum lauisse pedes discipulorum, post sum
ptam cœnam. Hęc, utcunq; se habeant, parum retulerit. Nos rem ip
sam persequamur. Ioannes non describit cœnam dominicam multis,
sed facit mentionem eius uno tantum uerbo. Cœna, inquiens, facta.
Et, Surgit à cœna. Noluit autem hanc cœnam multis uerbis describe
re, non ꝙ iudicaret eã ociosam aut superuacaneam, quemadmodum
prophanatores sacramentorum existimãt, sed ꝙ ea ante copiosissime
descripta esset à tribus Euangelistis, & ab apostolo Paulo, qui & ipse
scripsit epistolas suas, priusq; Ioannes Euangelion suum conscripsit.
Itaq; Ioannes non iudicauit cœnam dominicam esse ociosam, sed iudi

cauit ociosum esse, eam post tam copiosam aliorum descriptionem, iterum literis mandare, præsertim cum ab alijs, nihil quod ad rem faceret, omissum uideret. Et quia pauciſſimis meminit cœnæ dominicę, dicamus & nos pauca de ea hoc tempore, quando aliàs copiose de ipsa diximus. Postquam enim Christus filius Dei susceptt humanum genus redimendum, & omni beneficiorum genere cumulandum, non uoluit tantum corpus suum pro nobis in mortem tradere, & sanguinẽ ad expiationem peccatorum nostrorũ effundere, sed ut testaretur immensam suam erga nos clementiam, uisum est, etiam sacramento panis & uini corpus suum nobis edendum, & sanguinem bibendum dare. Vescentibus enim discipulis, accepit Iesus panem, & postq̃ egisset gratias, fregit deditq; discipulis & ait. Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro uobis datur. Hoc facite in mei commemorationem. Accepit deinde poculum, & cum gratias egisset, dedit illis dicẽs: Bibite ex hoc OMNES. Hic est em̃ sanguis meus, qui est noui testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Hęc est cœna illa, qua Christus perspicue significare uoluit, quanta caritate complectatur ecclesiam suam, & quantum mors eius differat, ab aliorum sanctorum morte. Etsi enim patriarchę & prophetę, ac innumeri alij sancti mortui sunt, nullus tamen eorum potuit tale testamentum condere, in quo legaret amicis corpus & sanguinem suum, aut tale conuiuium instituere, in quo daret corpus suum uescendum & sanguinem bibendum. Solus autem filius dei hoc potuit, qui moriturus pro salute humani generis, testamentum condidit, in quo legauit amicis suis preciosissima, quę habuit, bona, uidelicet suum ipsius corpus, & suum ipsius sanguinem, ac præbuit illa sacramento panis et uini edenda et bibenda, in hunc usum, ut qui ea per fidem sumeret, & crederet Christum esse ueram peccatorũ suorum expiationẽ, fieret unà cum Christo una caro, & unus sanguis, hoc est, unum corpus, ut quęcunq; cœlestia bona filius Dei possidet, ea etiã is, qui hac cœna in fide utitur, participaret. Possidet autem Christus, iustitiam, uictoriã mortis, uitam ęternam, & regnum cœleste. Quare, qui hac cœna utitur per fidem, is quia una fit caro & sanguis cum Christo, reputatur propter Christum iustus, seruatur in morte, & consequitur ęternum & cœleste regnum. Quibus beneficijs, quid potest homini maius cõtingere? Sed hic oritur mare quæstionum & controuersiarum. Alij enim disputant panem & uinum huius cœnæ non manere panem & uinum, sed mutari, seu ut ipsi loquuntur, transubstantiari in corpus & sanguinem Christi. Alij putant pane & uino non distribui reipsa corpus & sanguinem Christi, sed hæc tantum per panem & uinum significari. Corpus enim Christi esse in cœlo, non in cœna domini-

Cœna dominica.

ca. Alij

ca. Alij dicunt una tantum parte huius cœnæ uulgo hominum utendum esse. Alij sentiunt in hunc usum institutam esse hanc cœnam, ut offeratur pro peccatis uiuorum & mortuorum. Alij contendunt hanc cœnam tantum esse admonitionē mutuæ caritatis, quam nobis inuicē prę̄stare debemus. Breuiter, plures fere sunt opiniones de hac cœna, q̄ uerba, quibus eam Euangelistę commemorant. Longum aūt esset hoc loco singulas impias opiniones de hac cœna refutare. Et fecimus id alijs temporibus. Hoc unum paucis nunc admonendum duxi, q̄ quemadmodum impie sentiunt, qui dicunt hanc cœnam esse merito actionis suę expiationem pro peccatis uiuorum & mortuorum, ita etiam uanissimi sunt, qui sentiunt corpus & sanguinem Christi non esse reuera in hac cœna, nec distribui sumentibus, pane & uino, sed tantum significari. Hi enim fingunt nescio quas absurditates, q̄ tā magnum corpus non possit contineri in tantilla panis particula. Quasi uero in hac cœna tale ageretur negotium, quale est, cum mulieres recipiunt in laniena carnes bouis aut uituli in corbes suas. Sed profecto agitur hic cœleste negotium, in quo considerandum est, non quid rerū natura ferat, & humanę imaginationi absurdum uideatur. Sed quid uerbum DOMINI dicat, & quid fides ferre queat. Scimus quidem optime nullum hominem posse corpus suum in tantillam particulam panis reponere. Sed de Iesu Christo filio dei longe aliter sentiendum est, q̄ de alijs hominibus. Hic enim Christus non habet tam nudum corpus aut carnem, q̄ est caro alterius cuiusdam hominis, sed habet carnem coniunctam cum diuina natura in unitate personæ. Verbum, inquit Ioannes, factum est caro. Quod si diuinitas Christi implet panem cœnæ dominicæ, quid prohiberet, quo minus secum carnem, quæ cum ipsa in unitate coniuncta est, adduceret? Non ferunt hoc, inquis, naturales conditiones carnis. At nec fert naturalis conditio carnis, ut diuina natura cum ipsa coniungatur in uuitate personę, ut ambulet super aquas maris, quasi super aridam, & non demergatur, ut subito ex oculis hominū euanescat, & fiat inuisibilis, ut ascendat absque scalis in altum, & suscipiatur à nube, ac multa id genus alia, & tamen hæc omnia uere sunt in carne Christi. Quid manifestius est, q̄ Iesum Christum, qui descenderat in infimas partes terræ, ascendisse non in cœlum tantum, sed etiam super omnes cœlos, ut omnia tam in fera, q̄ supera impleret? Impleret autem non diuinitate tantum, sed etiam humanitate. Facessat hinc humanę rationis prudentia. Non est hęc impletio, qualis est raparum in sacco, sed est cœlestis & diuina, quę dici quidem utcunq̄, non autem humano captu intelligi potest. Quod si uero Christus implet humanitate sua cœlū & terram, (hoc enim sibi uult ascensus eius in cœlum) quomodo nō impleret etiam, Ephe. 4.

iuxta uerbum ſuum, panem cœnę dominicę? At hoc modo, inquies, impleret etiam lapides & ligna, aut poma & pyra. Ergone dicemus eum ueſci corpore Chriſti, qui ueſcitur pomo? Hic nobis conſideran dum eſt, ꝙ Chriſtus humanitate ſua, quę eſt cum diuina natura in u nitate perſonę coniuncta, aliter nobis eſt in cœlo, in terra ac partibus rerum terrenarum, ut in pomo aut pyro, aliter in pane cœnæ domini cę. In pomo enim aut pyro non eſt, ut ibi diſtribuatur nobis, & ſuma tur. In pane aũt & uino cœnę dominicę ſic preſto adeſt, ut etiã ibi no bis exhibeatur & á nobis ſumatur. Nam nec de pomo nec de pyro di ctum eſt diuinitus. Accipite, edite, hoc eſt corpus meum, ſed hoc di ctum eſt de pane cœnę dominicę. Itaq; in cœna dominica diſtribuun tur corpus & ſanguis Chriſti, quia panis & uinum huius cœnę ha bent uerbum Chriſti. In pomo autem & aqua non diſtribuuntur illa, quia non habẽt tale uerbum Chriſti, adeoq; recte dictũ eſt, Accedit uerbum ad elementum (non quidem quoduis, ſed ad hoc diuinitus
Auguſtinus. inſtitutum) & fit ſacramentum. Pautiora dixi, q̃ magnitudo huius rei exigere uidetur, ſed ſi hęc recte intelligantur, non dubito quin u nicuiuis pia mente prędito, & ueritatis magis, q̃ contentionis amanti ſatiſfaciant. Reliquum autem eſt, ut maximam operam in hanc rem cõ feramus, quo cœna dominica recte utamur. Vtemur autem ea recte, ſi utamur ipſa ex fide, hoc eſt, ſi crediderimus Ieſum Chriſtum carnẽ ſuam dediſſe in mortem ad conſequendã nobis uitam & ſanguinem ſuum effudiſſe ad expiãda peccata noſtra, ac inſtituiſſe cœnam ſuam, ut declararet caritatẽ ſuã erga nos, & cõmunicaret nobiſcum ſuam car nem & ſanguinem, quo unum corpus cum ipſo fieremus, & cohęre des eius efficeremur. Quare cũ obiicimur aduerſis & ſollicitamur pro pter peccata, ut putemus deum non eſſe nobis propicium, nec nos eſ ſe participes beneficiorum Chriſti, ſumenda eſt cœna dominica, ut hoc pignore confirmemus fidem, & certiſſime cognoſcamus peccata nobis eſſe remiſſa, & hęreditatem cœleſtium bonorum ad nos perti nere, per Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XVIII.

IDIMVS Ieſum Chriſtum inſtitutiõe cœnę ſuę, quam dominicam uocamus, inſignem beneuolen tiam erga uniuerſam eccleſiam declaraſſe, & max ima in eam beneficia contuliſſe. Videamus nunc quid illud ſit, quòd Ieſus Chriſtus ſuſceperit pe des diſcipulorum ſuorum lauandos. Sciens Ieſus, ,, (inquit Euangeliſta) ꝙ omnia dediſſet ſibi pater in manus, & ꝙ à

deo

Deo exijſſet, & ad Deum iret, ſurgit à cœna, & ponit ueſtimenta, & cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe. Deinde miſit aquam in peluim, & cepit lauare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo præcinctus erat. Hic res ipſa exigere uidetur, ut exponeremus, quid ſibi uoluiſſet Ieſus Chriſtus, eiuſdem cum patre ſubſtantiæ ac maieſtatis, & rerum omnium dominus, hac pedum lauatione, opere uidelicet & officio maxime omnium ſeruili, ſed quia Chriſtus ipſe exponet hoc poſtea graui & copioſa oratione, percurremus prius contentionẽ, quam Petrus occaſione huius lauationis cum Chriſto ſuſcipit. Venit ergo ad Simonem Petrum, & dicit ei Petrus, DOMINE, tu mihi lauas pedes? Reſpondit Ieſus, & dixit ei. Quod ego facio tu neſcis nunc. Scies autem poſtea. Dicit ei Petrus. Non lauabis meos pedes in æternum. Quod Petrus dicit ac facit, uidetur eſſe officium, quod diſcipulus magiſtro ſuo debeat. Nec cogitat ſe uelle hoc facto Chriſtum ignominia, ſed potius honore afficere, attamen ſi rem recte perpendas, magna eſt Petri incogitantia & impudentia. Conſidera enim mihi huius rei circumſtantias, & uidebis magnitudinem ineptiarum Petri. Nam Petrus ſenſit de Ieſu idq; recte admodum, q̃ non ſit ſimplex quiſpiã homo è uulgo, ſed q̃ ſit uerus Meſſias, et filius Dei uiui, quemadmodum antea ſæpe de ipſo confeſſus fuerat. Præterea, perſpicue potuit in hoc conuiuio uidere, q̃ Ieſus ageret rem ſeriam. Poſtquam enim Ieſus aſſederat menſæ, ſurrexit iterum, hoc ipſo ſignificans, ſe rem neceſſariam, ac minime prætermittendam prius facturum. Mox deponit ueſtimenta ſua, & conſiderata quadam tarditate præcingit ſe linteo, ac infundit ipſe aquam in peluim. Quo ſpectaculo ſatis cuiuis diligenter intuenti ſignificabatur, hoc opus non temere à Ieſu ſuſcipi. Quid, q̃ Ieſus uerbis minime obſcuris palam affirmat, hoc ſibi deliberatum & conſtitutum eſſe, cum ait: Quod ego facio, tu neſcis nunc, ſcies autem poſtea, nihilominus tamen Petrus recuſat officium Chriſti, & pertinaciter obſiſtit propoſito eius. Non lauabis, inquiens, pedes meos in æternum. Itaq; Petrus bis peccat in Chriſtum. Semel, q̃ non cedit uoluntati Chriſti. Et iterum, q̃ ſentiat ſe prudentiorem eſſe Chriſto, quippe quod melius cogitet, quid fieri deceat, quam Chriſtus ipſe. Hoccine eſt Chriſtum honore afficere? imo magna eſt contumelia in Chriſtum. Quid enim contumelioſius dici poteſt, q̃ ſe prudentẽ, Chriſtum aũt ſtultum reputare, & uoluntati eius obſiſtere? Non hoc cogitauit, inquis, Petrus, ſed cogitauit honorem, & obſequium Chriſto præſtare. Permitto id ſane. Deus autem non iudicat facta iuxta uana & ficta conſilia, ſed iuxta receſſus & latebras humani cordis. Petrus cogitauit quidem in ſummo corde, ſe honoraturum Chriſtum, ſed in imo pectore ſenſit ſe prudentem, Chriſtum au-

tem ſtultum eſſe. Senſus enim & cogitatio hominis mala ſunt ab adoleſcentia. Et prauum eſt cor hominis ac inſcrutabile. Ac rurſus: Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Hos cogitatus, etſi non ſemper uidet homo, uidet tamen eos Deus. Quid? an non impij cogitãt ſe interficiendis Apoſtolis Chriſti præſtare cultum Deo? Deus tamen uidet in corde ipſorum impietatem, & ignorationem Dei. Hęc, inquit, facient uobis, quia non nouerunt patrem neq; me. Quare non eſt confidendum humanis noſtris conſilijs, atq; cogitationibus, ſed incumbendum eſt in hoc ſtudium, ut omne animi noſtri inſtitutum, ad normam uerbi Dei dirigamus. Porro, Petrus meruit quidem contumelioſa ſua reuerentia, ut abijceretur, aut deſereretur à Chriſto, maluit autem Chriſtus ipſum ſeueritate minarum ad obedientiam quaſi compellere, q̃ à ſe inhumaniter repellere. Reſpondit enim ei Ieſus. Si non » lauero te, non habes partem mecum. Quid? num tanti eſt externa illa pedum lauatio, ut niſi quis eam ſuſcipiat, non ſit cohæres Chriſti? Primũ, ſi loquendũ eſt de hac externa pedũ lauatiõe, quam Chriſtus uoluit diſcipulos ſuos in preſentia ſuſcipere, inſtitutũ eſt perſonale, & ut ad ſolos illos diſcipulos, qui in hac nouiſſima cœna preſto adfuerunt, pertinuit, ita non minus neceſſarium ipſis fuit, ut externam illam lauationem à Chriſto ſuſciperent, q̃ neceſſarium fuit, ut non furarent aut non occiderent. Videtur quidem res admodũ leuicula, pedes habere uel lotos uel illotos, ſed magnum eſt uoluntati filij Dei pertinaciter obſiſtere. Conferamus in medium etiam alia exempla, quibus intelligamus, q̃ in diuinis præceptis maxima omnium ratio habenda ſit mandati & uoluntatis Dei, etiamſi res ipſa, quæ mandata eſt, uideatur nobis aut indifferens, aut nullius momenti. An non puerile uidetur ueſci pomo? Non autem eſt puerile uerbum dei, quo prohibitum erat Adamo, ne ueſceretur pomo arboris ſcientiæ boni & mali. Colligere ſarmenta lignorum, non uidetur eſſe uel homicidium uel latrocinium, nihilominus Deus ipſe iubet eum hominem, qui in Sabbato collegerat ligna, lapidibus obrui. Sceleratiſſimum enim eſt, uerbum dei, quo hoc opus prohibitum fuerat, contemnere. Samuel iuſſit mandato Dei Saulem expectare ſeptem diebus in Gilgal, & non offerre holocauſta, donec ipſe ueniat. Expectauit igitur Saul uſq; ad ſeptimum diem. Obtulit autem holocauſta ſeptimo die, non expectato Samuele, qui tamen mox oblato holocauſto affuit. Itaque opinor holocauſtum duabus tantum aut tribus horis ante oblatum fuiſſe, q̃ præceptum erat. Quid ergo factum eſt? Saul audijt, Regnum tuum nequaq̃ ultra conſurget. Bona uerba queſo. Saul dua

Num. 15.

1. Reg. 13.

bus

bus tantum aut tribus horis citius obtulit holocaustum, q̃ constitutũ erat. Hoccine tam horrendum scelus est, ut Saul propter ipsum è manifestate regni sui deiciatur? Saul Rex est, Samuel autem uir senicu/lus, & Leuita, num tantus rex amittat regnum, propterea ꝙ non expectauerit duabus horis unum seniculũ, & Leuitam? Res quidem per se parua apparet, Non expectasse tantillum temporis, non est aũt res parua, VERBVM dei, quo hęc expectatio per Samuelem mandata erat, & quod Saul impie contemnebat. Lauare sese in Iordane septies aut etiam decies, non uidetur magnam afferre utilitatem. Nunquid non, inquit Naaman Syrus, meliores sunt fluuij Damasci omnibus aquis Israel? sed nisi se septies in Iordane lauisset, non fuisset mundatus à lepra. Quid ita? quia lauatio in Iordane, etsi per se non mundabat hominem á lepra, tamen quia Verbum Dei dicebat: Vade, Laua te septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, certissima fiebat emundatio. Sic etiam sentiendum erit de externa lauatione pedum, quam Christus in cœna sua faciendam suscepit. Hæc lauatio per se parum sanctificabat discipulos coram Deo, sed quia Christus filius Dei suscepit eam singulari quodam consilio faciendam, tanti reputanda est, ut si quis discipulorum eam non accepisset, non fuisset cohęres Christi. Quare in diuinis pręceptis non est de re mandata iuxta externam eius speciem, sed iuxta uerbum & uoluntatem Dei iudicandum, ut ei officiosissime obsequamur. Deinde, si loquendum est de lauatione Christi ἀλληγορικῶς, tunc hoc quod dicitur, Si non lauero te, non habebis partem mecum, non tantum ad Petrum & reliquos discipulos, qui tunc in cœna affuerunt, sed ad omnes homines pertinet. Lauatio enim Christi est, quòd effundat sanguinem suum ad expianda peccata nostra, & quòd instituerit baptismum, ut omnis qui credit, & baptisatur, consequatur salutem. Sunt autem omnes homines natura peccatores, & carent æterna salute, nec possunt consequi emundationem à peccatis, & ueram salutem, nisi propter Christum per fidem. Quare quisquis non suscipit hanc lauationem à Christo, hoc est, non credit Christum peccata sua expiasse, nec utitur baptismo ad abluenda peccata sua, non potest esse cohęres Christi. Non lauantur Turcæ, non Iudęi. Nec lauantur hypocritæ à Christo, quia illi contemnunt tam personam quàm officium Christi, hi etsi agnoscere uidentur personã, non tamen agnoscunt officiũ Christi. Non eñ quærunt in Christo, sed in meritis suę humanę iusticię, peccatorũ suorum expiationẽ. Reliquũ igitur est, ꝙ nullã prorsus habeant partẽ cũ Christo in regno suo. Sed audiamus nũc Petrũ:

4. Regum. 5.

Postq̃ enim audiuit ſeueritatem Chriſti, offert non ſolum pedes, ſed
» etiam manus & caput lauanda. Et dicit: Domine, non tantum pedes
» meos, ſed & manus & caput. Ante declinauit Petrus nimium ad ſini-
ſtram, nunc nimium declinat ad dextram. Hi fere ſunt hominum mo
res. Aut nimis ſunt iuſti, aut nimis iniuſti. Media & regia uia incede
re nec uolunt nec poſſunt. Tanta eſt humanę naturæ corruptio. Vide
enim mihi peruerſa hominum ſtudia. Ante in pontificia religiõe ob
ſeruarunt non ſolum ſolennia & publica ieiunia, & feſtos dies, uerũ-
etiam ſuſceperunt obſeruanda quędam priuata. Nunc reuelato Euan-
gelio helluantur præcipue in diebus ſolennium ieiuniorum, ac ne die
bus quidem dominicis prophana ſua negotia intermittunt, ut audiãt
uerbum dei. Ante inuocabantur omnes Sancti, nunc tanta eſt homi-
num ignauia & impietas, ut ne ad dei quidem inuocationem adduci
poſſint. Ante omnes platę & templa plena erant eleemoſynis & ob-
lationibus, nũc afflictiſſimi q̃q̃ pauperes, et ueri miniſtri eccleſię mi
ſerrime eſuriunt & algent. Sunt alĳ, qui cum ante ne per uerbum qui-
dem dei perſuaderi potuerint, ut pauperem uel teruncio iuuarent,
nunc diuenditis domibus & agris conferunt omnes opes ſuas in ſper
mologos & errones illos Anabaptiſtas. Quid poteſt magis præpoſte
Deut. 12. rum & peruerſum dici? Lex enim dicit: Non facietis ſinguli, quod ſi-
Deut. 5. bi rectum uidetur. Et iterum: Non declinabitis neq̃ ad dextrã, neq̃
Deut. 12. ad ſiniſtram, ſed per uiam, quam præcepit uobis Dominus Deus ue-
ſter ambulabitis. Ac rurſus: Quod præcipio tibi, hoc tantum facias
Domino, nec addas quicq̃ nec minuas. Huc accedit etiam Eccleſiaſtes
Eccleſiaſt. 7. Salomonis, Noli, inquiens, eſſe iuſtus multum, neq̃ plus ſapias, q̃
neceſſe eſt. Quid ergo faciam, inquis, ut nec ad dextram nec ad ſini-
ſtram nimium declinem, aut nimium ſim uel iuſtus uel iniuſtus? Re-
cta uia facile tibi monſtrabit. Caue ab humanis opinionibus, ſectare
aũt uerbum dei. Hęc enim ſola recta eſt uia, quę ad ueram iuſtitiã du-
cit. Petrus habebat uerbum filĳ dei, Patere ut lauem tibi pedes. Habe
bat etiã confirmationẽ eius. Quod facio, neſcis nunc, ſcies aũt poſtea,
maluit tñ ſuam humanã opinionẽ ſectari, q̃ uerbum filĳ dei. Quare
merito rep̃henſus eſt. Deinde cum intelligeret ſeueritatẽ Chriſti, tra-
dit quidem pedes lauandos, ſed obtrudit etiam Chriſto manus & ca-
put lauanda. Itaq̃ iterum aberrat à regula uerbi filĳ dei, ideoq̃ iterũ
» merito reprehenditur. Dicit enim ei Ieſus: Qui lotus eſt, non opus ha
» bet, niſi ut pedes lauet, Sed eſt mundus totus. Antea reprehẽdit Chri
ſtus Petrum pertinaciæ, nunc reprehendit eũ incogitantię & inſcitię.
Cum enim offerret etiam caput ac manus lauanda, admonetur rei om
nibus notiſſimę. Solenne enim eſt, q̃ acceſſuri ad publica & honeſta
con-

conuiuia, ingrediantur balneas, & lauent se toto corpore, ac præsertim Iudęi, qui esuri erant agnum paschalem, necesse habebant sese prius lauationibus emundare, atq; sanctificare, quod & discipulos Christi fecisse uerisimile est. Postq; igitur uentum esset ad conuiuium, nō iam quisq; lauabatur corpore, sed iudicabatur ex priori lauatione totus mundus, unum autē hoc exigebatur, ut lauarentur pedes. Iudæi enim discumbebant, non erecti sedentes, qualis noster mos est, sed ita iacentes, ut alter alteri pedes suos ob oculos poneret. Quare modestię & ciuilitatis erat, pedes etiam post balneas lauare, ne proxime accumbenti uel sordibus, uel pedore molesti essent. Nos ante conuiuium manus tātum lauare solemus, q; pedes quales quales sint, sub tabula calceis tecti lateant. Cum igitur petrus pręter pedes offerret etiam manus & caput lauanda, admonetur publicę consuetudinis, ut agnoscat se prętermittere officium non solum in detrectanda obedientia, uerumetiam in pręstanda ciuilitate. Qui lotus est, inquit, non opus habet nisi ut pedes lauet, sed est mūdus totus. Hoc uult Christus dicere. Intelligo te etiam publicorum morum oblitum. An non ante lauisti te pro solenni consuetudine, toto corpore, priusq; ad hoc conuiuium agni paschalis accessisti? Totus igitur mundus & purus iudicaberis, nec opus est, ut nūc laues caput, sed satis est, si pedes lauētur, ne interim cōtraxerint sordes, & sint accubanti abominabiles. Quid ad hęc dicemus? Num Christus admonet Petrum de ciuili tantum cōsuetudine, & de ritu tantum externę lauationis? Nihil certe minus, sed admonet his uerbis tam Petrum, q; uniuersam ecclesiam de ratione spiritualis lauatiōis. Nam quemadmodum in politica uita is iudicatur mundus, qui lauit corpus suum anteq; ad conuiuium accesserit, nec aliud ab ipso exigitur, cum iam ad conuiuium uenerit, nisi ut pedes lauet, ita etiam in spirituali uita totus mundus & sanctus iudicatur is, qui spirituali balneo lotus est, nec aliud deinceps necesse habet facere, nisi ut pedes lauet. Spirituale balneum est fons sanguinis DOMINI nostri Iesu Christi, qui ad expiationem peccatorum nostrorum effusus est. Spirituale item balneum est baptismus, quem Christus instituit, in nomine patris & filij & spiritus sancti exhibendum. Qui autem credit in Christum, q; ipse effuderit sanguinem suum pro peccatis nostris, & utitur baptismo, iuxta mandatum Christi, is lauat se in fonte sanguinis Christi, & baptismi eius. Quare reputatur in conspectu dei totus mundus et sanctus ꝓpter Iesum Christū, fide acceptū. Ergo ne sic satis p̄parati ac sanctificati sumus ad accūbendum cū omnibus patriarchis, prophetis & pijs in cœlesti cōuiuio? Satis admodū & sufficienter, si autorē sanctificatiōis nostrę respexeris. Quę em̄ maior pōt esse sanctificatio, q; Iesu Christi, quę tota nostra

facta est per fidem? Sed quia post agnitum Christum, non continuo discedimus ex hac uita, pedes iterum atq; iterum lauandi sunt. Pedibus autem significatur conuersatio nostra in hac mortali carne. Vt enim pedibus corporaliter ambulamus in terra, ita operibus conuersationis nostræ ducimus uitam inter homines. Quomodo ergo hi pedes lauantur? quomodo opera conuersationis nostræ constituenda sunt? Hoc docet Paulus perspicue, cum ad Romanos scribit, Si secundum carnem, inquiēs, uixeritis, moriemini. Quod si spiritu facta corporis mortificetis, uiuetis. Et iterum: Quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Et ad Galatas: Spiritu ambulate, & concupiscentiam carnis non perficietis. Ac rursus ad Colossenses: Mortificate membra uestra terrestria. Et, Sitis induti tanq; electi dei, uiscera miserationum, comitatem, modestiam &c. Vides igitur pedes lauare, esse opera carnis per spiritum mortificare, & in nouitate uitæ ambulare. Nam qui postq; confitetur nomen Christi, ducit uitam sceleratam, uel blasphemijs, uel scortatione, uel helluatione, uel impostu ris, uel alijs peccati generibus, is ingerit oculis accumbentium sordidos pedes, ac meret, ut è conuiuio omnium piorum ejiciatur. Quare, cum Christus donet nobis totam suam mundiciem & sanctitatem, incumbamus in hoc studium, ut pedes continue lauemus, ac semper in nouitate uitæ ambulemus, quo in nostro cœlestis conuiuij loco maneamus. Cæterum, q̄ Christus hoc dicto, Qui lotus est, nō opus habet, nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus, loquatur præcipue de spirituali mundicie, aperte significatur his uerbis, quę sequuntur. Et uos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim, quisnam esset, qui proderet ipsum. Propterea dixit, non estis mundi omnes. Quid? an Iudas non lauerat, non sanctificauerat se ad edendum agnum paschalem? non dubito, quin maiori q̄ alij apostoli sollicitudine, ut hypocritę solent, carnem suam lauationibus sanctificauerit. Sed & Christus ipse lauit ei pedes. Cur ergo dicitur adhuc esse immundus? Mundus erat corpore, sed immundissimus erat spiritu, id quod in ipso uidit Christus, priusq; hæc spiritualis immundicies publice in lucē prodiret. Sed de Iuda postea plura. Nunc uideamus, quid illud sit, q̄ cum fiat sermo de spūali mundicie, solus Iudas excipiat. Vos mundi, inquit, estis, sed nō oēs. Hoc aūt de Iuda proditore intelligendum esse, Euangelista ipse exponit. Quō ergo Christus hūc solum excipit, cum, sicut uidit in Iuda proditionē, ita uidit etiā in alijs discipulis defectiōem. Iudas prodidit Christum pontificibus. Horrendum & immane scelus. Sed ut de alijs apostolis taceamus, quid de Petro dicemus, qui certe Christum horribiliter abnegauit, ac diris etiamnum se deuouit, si nosset eum? Quid? an hoc

an hoc scelus non satis dignum est, propter quod Petrus iudicandus sit immundus? Ignatius, autore Hieronymo, audacter scribit, q̄ Dominus elegerit eos in Apostolos, qui fuerant peccatores super omnes homines. Hos ne tu mundos dices? De hac re ita sentiendum est, q̄d ut duplex est mundicies, ita etiam duplex sit immundicies. Vna immundicies est naturalis, quę contrahitur ex peccato originali. Hanc si respexeris, non solus Iudas, sed omnes Apostoli, imo omnes homines sunt immundi. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria dei. Et, Non iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens. Altera immundicies ea est, quæ contrahitur ex fructibus peccati, cum non solum peccatum inhęret carni, uerumetiam dominatur homini, & impellit hominem ad quęuis genera scelerum. Hanc si consideraueris, solus Iudas inter Apostolos immundus erat in hac nouissima cœna. Alij enim Apostoli, etsi defecturi erant à Christo, tamen hoc tempore non meditabantur defectionem, aut aliam impietatem, sed obediebant uocationi Christi. Iudas autem susceperat iam prodendum Christum, & meditabatur defectionem, adeoq̄ totus quantus quantus erat, mancipium Satanę erat. Quare merito dicitur inter omnes Apostolos immundus. Sed dicamus etiam de mundicie. Nam & hęc duplex est. Alia est, quę fit per fidem, ex Euangelio Christi. Nam qui credit Iesum Christum esse suum seruatorem, is reputatur corā deo propter Christum totus mundus. Cum igit̄ reliqui apostoli retinerent adhuc Christum per fidem, Iudas autem abiecerat iam ex animo suo Christum, & susceperat eum prodendum, recte dicitur Iudas immundus, reliqui autē apostoli mundi. Vnde & infra dicitur: Iam uos mundi estis, propter sermonem, quem locutus sum uobis. Alia mundicies est, quę constat in operibus. Etsi autem nullius hominis opera, quantumuis bona, perfecte munda sunt, nec apostoli iuxta hanc mundiciem per se mundi iudicari possunt, tamen qui credunt in Christum, reputantur mundi etiam iuxta hanc mundiciem, propterea q̄d mortificēt spiritu facta carnis, & ambulent in uocatiōe dei, imbecilliter quidem, sed tm̄ ex fide, per quam etiam imbecillitates condonantur propter Christū. Iudas aūt, nec hac mundicie iudicandus est mundus, quia non solum abiecerat Christum, propter quem imbecillitates pijs cōdonantur, uerumetiam instituerat immane scelus proditionis. Quare longe lateq̄ separandus est à reliquo cœtu Apostolorum. Ex his aūt exemplis Apostolorum & Iudę, uides eos tantum mundos esse coram deo, qui uere credunt Euangelio Christi, etiamsi adhuc multis imbecillitatibus obnoxij fuerint. Reliquos autem omnes, uidelicet, Turcas, Iudęos, hypocritas, Epicurēos, impœnitētes sceleratos, esse uere corā deo immundos, q̄d et peccent operib, suis, & contēnant, atq̄ abijciant Christum,

Conſeruemus igitur Chriſtum, ut non tantum reputemur corã Deo mundi, uerumetiã faciamus per ſpiritum eius opera mundiciei, quo declaremus gratitudinem noſtram, & expectemus inculpati diem domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XIX.

IRANDVM fuit ſpectaculum, ꝙ Ieſus, uerus Meſſias, ac uerus filius Dei, abiecerit ſe in tam uile miniſterium, ut aqua in peluim miſſa lauerit ſordidos diſcipulorum ſuorum pedes. Sed quę ſequitur contio perſpicue exponit, Chriſtum ſuſcepiſſe hoc miniſteriũ conſilio longe omniũ prudentiſſimo. Poſtꝙ em̃ lauiſſet pedes eorũ, receptiſque ueſtibus ſuis accubuiſſet, iterum dixit eis. Scitis quid fecerim uobis? Vos uocatis me Magiſtrum, & Dominum, & bene dicitis. Sum etenim. Si ergo ego laui pedes ueſtros Dominus ac magiſter, uos quoꝙ debetis inuicem alĩ aliorum pedes lauare. Exemplum enim prębui uobis, ut quemadmodum ego feci uobis, ita & uos faciatis. Obſeruabilis & neceſſaria contio, Apoſtoli enim, et reliqui diſcipuli Chriſti duplici errore tenebantur. Alter eſt, ꝙ exiſtimauerint regnum Chriſti fore mundanum. Et quę prophetæ de regno Chriſti literis mandarunt, ea intelligebant de externa huius ſeculi monarchia. Etſi em̃ regnũ Chriſti uocatur à Daniele regnũ cœli, tñ ſentiebant hoc regnum non dici regnum cœleſte propter ſpiritualia bona, ſed propter fœlicitatem & perpetuitatem corporalium bonorum, quę in his terris futura ſomniabant. Alter eſt, ꝙ ſperauerint, etiam ſe fore, autore Chriſto, in his terris illuſtres & potentes principes. Vnde & cooriebantur aliquoties in ſe inuicem rixis & contentionibus, quis ipſorum in hoc regno futurus eſſet maior. Chriſtus autem reprehenderat ipſos ſępe ac multum, & docuerat, nec regnum ſuum fore mundanum, nec ipſos fore externos huius mundi principes. Quare, cũ iam ex hoc mundo diſceſſurus eſſet, ſuſcipit lauationẽ pedum, hoc eſt, miniſterium maxime omnium ſeruile, ut quod hactenus uerbis docuerat, hoc nunc ſuo ipſius exemplo diſcipulis ob oculos poneret. Scitis, inquiens, quid fecerim uobis? Intelligitis ne, quid hac lauatione uelim? Agite ergo, exponam id uobis perſpicue. Ego ſum non tam ueſter, ꝙ cœli & terrę dominus, & tamen non ſumo nec arrogo mihi externam dominationem, ſed uiliſsimum miniſteri-

Daniel. 2.

um,

um, quemadmodum reipsa uidistis & sensistis. Quare uolo, ut uos meo exemplo non arrogetis uobis externam dominationem terrę, sed ut alter alteri pedes lauetis, ac seruiatis. Hic initio considerandum est, ꝙ cum Iesus dicat. Vos uocatis me Magistrum ac Dominum, & bene dicitis. Sum etenim, posset in alio quodam homine inciuilis arrogantia & iactātia uideri. In Iesu aūt Christo est officiū, et salutis nostrę necessitas. Venit em̄ Christus in hunc mundū, ut gloriā maiestatis suę reuelaret, quo nos ueram & rectam de ipso fidem conciperemus. Cū enim necessarium sit, ut ad consequendam ueram salutem, cognoscamus Christum, necessarium etiam est, ut nobis Christi maiestas explicetur. Quare Christus non iactat dominationem suam carnali arrogantia, quod glorioſi homines facere solent, sed prædicat eam spiritus sancti consilio, ut ueritas eius nobis perspecta fiat. Deinde, quod Christus hoc loco Apostolis suis contionatur, sentiamus non ad Apostolos tantum, sed etiam ad uniuersam ecclesiam pertinere. Nam si facit eos seruos, quos emisit ad dilatandum prędicatione Euangelij regnum suum, & quos scriptura ipsa uocat principes, Constitues, inquiens, eos principes super omnem terram. Et iterum: Principes Iuda duces eorum, principes Zebulon & principes Neptalim, quanto magis etiam hos facit seruos, qui per illorum prędicationem crediturí erant in ipsum. Omnibus igitur in Christum credentibus dictū est: Si ego laui pedes uestros, dñs & Magister, uos quoq; debetis inuicem alij aliorum pedes lauare. Quid ergo adhæc dicemus? An nullus Christianus, siue Apostolus, siue Episcopus, siue Laicus, ut uocant, potest esse bona conscientia mundanus dominus aut princeps, sed necesse habet quiuis esse pedum lauator, & seruus? Et quō debemus nobis inuicem pedes lauare? Num impletur hoc exēplum Christi, cum quispiam in magna feria quinta lauerit, religiōis gratia, nonnullis mendicis externos illos pedes? Minime omnium. Hæc cerimonia, ut facile prestari potest, ita non implet exemplum Christi. Obseruandum igitur est, primum ꝙ Christus, hac sua lauatione, & doctrina, non abroget ciuilia regna, & monarchias in hoc mundo, nec significet Christianos non posse mundanos esse Reges. Esaias dicit: Reges ambulaturos in splendore ortus luminis Christi. Adhæc Reges ministraturos ecclesiæ Christi, ac fore nutricios eius. Dicit & Paulus: Potestates esse à Deo ordinatas. Quod igitur Deus ordinat & constituit, hoc non abrogat filius Dei, sed docet hoc loco, discrimen esse inter suum regnum & Politica regna, docet uel Apostolos uel reliquos Christianos non debere prętextu Apostolatus aut Christianismi inuadere imperia huius mundi, & occupare externam dominationem. Apostoli enim, quemadmodū ante dictum est, sentiebant reg-

Psal. 44. Psal. 67. Esa. 60. Esa. 49.

num Christi fore terrenam monarchiam, & se fore principes terrę, ac omnem habituros in terra fœlicitatem, propterea ꝙ essent Christiani. Sicut & aliàs homines existimant, ꝙ is, quem ipsi iudicant esse probum & sanctum, nullo debeat incõmodo affici, sed fœlicem semper rerum suarum successum in hac terra habere. Hanc uanam persuasionem reprehẽdit Christus hoc loco, & docet, ꝙ etsi Christianis debetur omnis fœlicitas, hoc autem non intelligendum est in terra, sed in cœlo: Gaudete, inquit, & exultate, quoniam merces uestra copiosa est. Vbi? num in terra? nihil minus. Sed in cœlis. Et: In mundo afflictionem habebitis. Sed bono animo sitis, ego uici mundum. Ac licebit quidem Christianis habere regna, opes, sanitatem & alia corporalia bona, quę uel legitima hęreditate, uel ordinaria electione, uel pia industria, uel aliis iustis rationibus contingunt, nõ est autem sentiendum, ꝙ cum fuerint abiecti, pauperes, & imbecilles, debeant statim fieri opulenti, ac reges in hac terra domini, propterea ꝙ sint Christiani, sed animus instituendus est, ad sufferenda quęuis aduersa. Nam Christus sustulit quidem maledictionem legis coram deo, non sustulit autem eam coram hoc mundo, donec uenerit nouissimus dies. Manet enim adhuc firmum & fixum, quod initio de toto humano genere dictum est, In sudore uultus tui uesceris pane tuo. Et, In dolore paries filios tuos. Accedit præterea & hoc incommodum, ꝙ Satan singulari odio prosequitur pios, & studet eis toto animi affectu aduersa quęuis inferre. Itaq; pij obnoxij sunt afflictionibus duplici nomine. Altero, q̃d sint homines. Hoc enim nomine obnoxij sunt generalibus humani generis maledictionibus. Altero, quòd sint pij. Hoc ẽm nomine singularem habent hostem, qui nunq; non conatur eos opprimere. Quare, etsi pij possunt bona conscientia uti terrena fœlicitate, quę ipsis diuina clementia contigerit, tamen sciant se præcipue in hunc usum positos esse, ut in hac terra aduersis crucientur, uera aũt sua fœlicitate in cœlis fruantur. Deinde considerandum est, quod cũ Christus non abroget politica genera uitę, debeat unusquisq; in suo uitæ genere alteri pedes suos lauare. Quid ergo est lauare pedes? Externa quidem lauatio nota est, quam & suo tempore alter alteri, iuxta ordinariam uocationem & honestatem præstare debet, exempli gratia, liberi parentibus, serui dominis, minores maioribus, sani infirmis. Christus autem cum ait: Debetis inuicem alij aliorum pedes lauare, exigit inter Christianos mutua caritatis officia, mutuam seruitutem, uidelicet ut unusquisq; in suo uitæ genere suum faciat officium, quod proximo ex uocatione & caritate debet. Nam quemadmodum pedibus ambulamus, ita uitæ generibus conuersationem nostram in-

Lauare pedes quid sit.

ser homines ducimus. Multa autem & uaria sunt hominum uitia in ipsorum conuersatione. Alius est morosus, alius iracundus, alius suspicax, alius garrulus, alius alio uitio laborat. Hæ sunt sordes, quibus conuersatio uitæ nostræ inquinata est. Hæ sordes sunt lauandæ, & hęc est proprie lauatio, quę inter Christianos à Christo instituta est. Videamus ergo hanc lauationem primum omnium in Christo. Non enim sentiendum est, quod Christus nunc primum lauerit discipulis suis pedes, sed lauit iam antea sæpe numero, priusquam aquam in peluim misisset. Quid? num sic lauit eos, ut abdicauerit se dignitate, manifestate, & officio Messiæ, ac reiecerit ea in discipulos? Nequaquam. Sed retinuit eam dignitatem, ad quam diuinitus erat uocatus, & manet Messias, in hac autem dignitate fecit suum erga discipulos officium. Quod ergo est officium Messiæ? Dedi, inquit, spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet. Et mox: Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. Ac rursus: Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad euangelisandum pauperibus misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam. Et iterum: Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Ex his habes, quod officium Messiæ sit docere Euangelion, reprehendere impietatem, tolerare infirmos, consolari afflictos, remittere peccata, & animam suam pro salute humani generis dare. Hoc officium Christus diligenter discipulis suis exhibuit. Docuit eos Euangelion perspicue. Reprehendit eorum errores. Tolerauit pacientissime ineptias ipsorum. Posuit animam suam pro ipsis. Hæc est uera pedum lauatio. Quare Christus non iam primum lauat discipulis pedes, cum abluit eos externa aqua, sed antea semper lauit eos, cum persoluit eis officium ad quod uocatus erat. Ponamus in medio Apostolum quendam Christi, uel Petrum, uel Paulum. Quo modo lauerunt hi pedes ecclesię Christi? Num abdicarunt se Apostolatu, & reiecerunt illum in proximum quendam hominem? Nihil minus, sed manserunt Apostoli, in hoc autem uitæ genere seruierunt ecclesię, quibus potuerũt & debuerũt officijs. Petrus docet Hierosolymitanos Euangeliõ Christi, & interim grauiter accusat eos homicidij. Quem uos, inquiens, crucifixũ interemistis. Hoc erat pedes eorę lauare. Postea inuehitur in Ananiam & Sapphiram tanta seueritate, ut repentina morte intereant. Erat & hoc pedes ecclesiæ lauare, quia quod faciebat, diuina erat uocatio, & officium eius. Deinde diuertit ad gentes, prędicat eis Euangelion Christi, & recipit eas in ecclesiam Dei. Hoc erat gentibus pedes lauare. Paulus lauit pedes ecclesię, cum circũtulit Euangelion Christi à Hierusalem usq; ad Illyricum. Lauit & pedes sanctorum, cum petijt, ut ditiores conferant eleemosynam liberalem

liter in pauperes. Lauit pedes eorum, cum dixit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis offenditur & ego non uror? Hæ enim sunt partes Apostolici officij. Dicamus etiam de Christiano principe. Debet & hic lauare pedes subditorum suorum. Num ergo hoc est pedes eorum lauare, si abdicauerit se principatu, & tradiderit principatum cuiuis ex plebe, ut unusquisq; pro sua libidine uiuat, interim autem ipse agrum fodiat, aut suscipiat professionem monasticam? Solēt quidem nonnunq; principes diuinitus è regnis suis eiici. Itaq; necesse habent potentem manum Domini obedienter ferre, hoc autem non est lauare pedes subditorum, si princeps sine certa dei uocatione deserat suum principatum, & suscipiat pro suo arbitrio aliud agendum, Sed hoc demum est subditorum pedes lauare, si princeps in suo principatu faciat suum officium, sicut & Christus suum fecit in sua uocatione officium. Principis autem officium est, iuuare ecclesiam Christi, curare ut ecclesia erudiatur pia doctrina, conseruare leges, tueri pupillos & uiduas, & punire malos. Itaq; princeps lauat suis pedes, cum instituit ministerium prædicandi Euangelij Christi, in sua regione, cum ius dicit, cum eripit pauperem à potente, cum iubet furem aut latronē legitimo supplitio afficere, ut publica tranquillitas conseruetur. Priuatorum quoq; hominum officium est, suos sibi inuicem pedes lauare. Quomodo autem hoc fiet? Vicinus aut proximus noster, aut est morosus, & iracundus, aut est pauper seu infirmus, aut afficit nos iniuria & contumelia. Hoc est sordidos habere pedes. Abluendæ igitur sunt sordes. Abluitur autem proximi morositas, pacientia, paupertas liberalitate, infirmitas consolatione, & alijs id genus officijs, contumelia æquanimitate, ac generaliter abluuntur, quantū in nobis est, proximi uicia, precibus & oratione coram deo, ut remittantur ei propter Christum. Hæ uirtutes aqua illa sunt, qua debemus pedes uicini nostri lauare. Itaque tum lauas alterius pedes, cum præstas ei officium boni ciuis, & pij hominis. Debemus, inquit Paulus, nos qui potentes sumus, infirmitates impotentium portare, ac nō placere nobis ipsis. Et iterum: Si occupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spirituales estis, instaurate huiusmodi spiritu mansuetudinis, considerans temetipsum, ne & tu tenteris. Hęc cum nobis precepta sint, non sentiamus Christum ac Euangelion eius confundere inter se politica genera uitæ, sed admonere unumquemq; sui officij in suo uitæ genere, ut nobis inuicem per caritatem seruiamus. Cæterum, postquam Christus exposuit suam dominationem & seruitutem, addit nunc generalem sententiam, ex qua discipuli facile intelligere queant, quid ipsi serui facere debeāt. Amē, amen, inquiens, non est seruus maior domino suo, neq; legatus maior est eo, qui lagauit

ipsum

ipſum. Hoc eſt generale dictum, quod Chriſtus ad ſuum propoſitum in præſentia accommodat, ut admoneat diſcipulos ſui officij. Seruorũ enim officium eſt, ut non extollant ſeſe ſupra dominum, nec arrogent ſibi excellentiorem uel maieſtatẽ uel fœlicitatem, q̃ domini habent. Delicatiſſimus ſeruus eſt, qui uult lautius uiuere, q̃ dominus uiuit. Ambitioſiſſimus ſeruus eſt, qui maiorem affectat honorem, q̃ domino ſuo competit. Ac ſiquidem ſeruus tam moroſus fuerit, ut collocet ſeſe in altiori dignitatis gradu, q̃ domino ſuo conueniat, non poteſt de iniuria conqueri, ſi multas & magnas plagas reportet. Quo autem hoc generale dictum reſpiciat, ante expoſuit Chriſtus, cum ait: Vos uocatis me Magiſtrum & Dominum, ac bene dicitis. Sum etenim. Si autem ego dominus ueſter, uos certe ſerui mei eſtis. Et ſi ego ablego uos ad prædicandum meum Euangelion, uos certe legati mei eſtis. Reliquum igitur eſt, q̃ cum ego dominus, non arrogem mihi ciuilem dominationem, ſed faciam me ſeruum ueſtrum, multo minus uos ſerui & legati debetis uobis ciuilem dominationem arrogare, ſed uobis inuicem ſeruire. Ex his primum obſeruandum eſt, quantum abſint à Chriſti ſententia Pontifices Romani, qui cum iactent ſe eſſe ſucceſſores Apoſtolorum & uicarios Chriſti, arrogant ſibi maieſtatem ſupra omnes Reges & Imperatores, ac dicunt ſe eſſe dominos orbis, ſed uanitas eorũ ex hoc loco manifeſte coargui poteſt. Non eſt ſeruus maior domino ſuo. Chriſtus aũt non uoluit ſibi arrogare regiam in hac terra maieſtatem, & dominationem. Quare ſi Romani Pontifices ſunt ſerui Chriſti, qua impudentia audent ſibi ſumere, quod Chriſtus dominus ſibi non ſumpſit? Si aũtem non ſunt ſerui eius, quis eſt in eccleſia Chriſti uſus eorum? Deinde hoc dictum ponendum nobis eſt ob oculos in omnibus aduerſis, ut diſcamus patientiam & obedientiam. Chriſtus enim dominus & magiſter noſter grauiſſime afflictus eſt. Cur ergo nos ſerui & miniſtri eius tam delicati eſſemus, ut nullas ferremus afflictiones? Quin potius ſi caruerimus afflictionibus, non ſumus conformes imaginis Chriſti. Et ut Apoſtolus ait: Si alieni ſumus à caſtigatione, cuius participes ſunt omnes, ſpurij ſumus, non filij. Porro quo Chriſtus hoc ſuum exemplum magis commendet, proponit etiam præmium: Dicit enim. Si hæc nouiſtis, beati eſtis, ſi feceritis ea. Non ſatis eſt, hæc noſſe, ſed neceſſe eſt ea facere. Cognoſcenda quidem ſunt diligentiſſime, ſed maxime omnium facienda ſunt. Quare ambo coniungit: Beati, inquiens eſtis, ſi hæc nouiſtis, et ſi feceritis ea. Quid ergo? Num meremur factis noſtris beatitudinem? Non dicit: Merebimini beatitudinem, ſed beati eſtis, uidelicet ſignificans quòd opera mutuę ſeruitutis, quę hic exiguntur, non ſint me-

Heb. 12.

ritum cõsequendæ beatitudinis, sed sint fructus beatitudinis antè per fidem propter Christum consequutæ. Vera enim beatitudo non contingit ulli hominum, nisi per remissionem peccatorum, propter Iesum Christum fide acceptum. Beati, inquit, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Eorum autem, qui sic beati facti sunt, officium est, ut cognoscant se esse seruos in hoc mundo, & lauent sibi inuicem pedes. Quare qui hoc suum officium fecerint, recte iudicantur & dicuntur beati. Hic autem uide mihi in quo consistat Ecclesiæ beatitudo seu fœlicitas in hac terra. Christus enim non dicit: Beati estis, si Pontifex Romanus superauerit maiestate sua omnes terrenos reges & principes. Non dicit, Beati estis, si episcopi fuerint potentes in hoc seculo principes. Non dicit, Beati estis, si Ecclesia multas habeat facultates. Hæc enim nec sunt beatitudo, nec conseruatio Ecclesiæ: Sed dicit, Beati estis, si hæc nouistis & feceritis ea. Quæ sunt illa? uidelicet, si cognoueritis regnum meum non esse mundanum, nec sumpseritis uobis externam dominationem, sed seruieritis uobis inuicem per caritatem, & memineritis uobis ferenda potius esse quæuis aduersa, quàm fœlicem in hac terra uitam agendam. Et aliàs: Beati, inquit, estis, cum probra iecerint in uos homines, & insectati fuerint. Et Petrus: Si probris afficimini in nomine Christi, beati estis. Ac mox: Si ut Christianus affligitur aliquis, ne pudefiat, sed glorificet deum in hac parte. Suspicit quidem & admiratur hic mundus eos, qui sunt externa fœlicitate illustres. Oues eorum fœtosæ, inquit psalmus, abundantes in egressibus suis, boues eorum crassæ: Non est ruina maceriæ, neq; transitus, neq; clamor in plateis eorum: Beatum dixerunt populum cui hæc sunt, sed reuera ille populus beatus est, cuius Dominus deus eius. Quare, etsi Domino Deo magnæ gratiæ agendæ sunt, si clementer dederit ecclesiæ suæ externam quandam fœlicitatem in hoc seculo, qua etiam utẽdum est in uera pietate, tamen non est sentiendum, q̃ beatitudo ecclesiæ consistat in externa fœlicitate, sed in hoc consistit, q̃ in omnibus aduersis, quibus in hoc seculo obnoxia est, habeat propitium Deum per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XX.

DICENDVM est nobis hodie de Iuda, non illo Lebbæo, qui cognominatus est Thaddæus, & mansit in officio Apostolatus, sed illo Ischariote, quē ut Christus supra excepit è catalogo mundorum, ita nunc excipit è catalogo beatorum. Si hæc nouistis, inquit, beati estis, si feceritis ea. Non de omnibus uobis loquor. Ego scio, quos elegerim, sed ut adimpleatur scriptura: Qui edit mecum panē, sustulit aduersum me calcaneum suum. Nunc dico uobis priusq̄ fiat, ut cum factum fuerit, credatis, q̄ ego sim. Hæc de Iuda Ischariote intelligenda esse, ex ꝝs q̄ prę cedunt & sequuntur, manifestum est. Iudas enim filius Simonis, cognomento Ischariotes, fuit unus è duodecim Apostolis, cui Christus non tantum officium Apostolatus, uerum etiam curam fisci commendauit. Et sunt autores, qui commemorant ipsum multa etiam miracula in apostolatu suo ædidisse, ut appareat ipsum haud postremas inter Apostolos obtinuisse. Etsi autem tantis beneficijs a' Iesu Christo affectus & ornatus fuit, tamen eo immanitatis processit, ut pepigerit triginta argenteis cum Pontificibus, se opportuno tempore Christum proditurum. Cum igitur interea temporis inter discipulos & Apostolos cum Christo uersaretur, uidendum erit, qualem se Christus ipsi exhibuerit. Non enim sentiendum est, quod institutum Iudæ latuerit Christum, sed tam manifestum fuit ei, q̄ Iudæ ipsi. Vidit consilia animi eius, uidit eum cum Pontificibus colloqui & pacisci, audiuit omnia uerba eorum. Quid ergo Christus contra faciendum suscepit? Hoc nobis cognoscendum, nec curiose nec ociose proponitur, sed ut discamus quomodo peccata nostra expiata sint, & quo modo debeamus etiam nos exhibere erga amicos ingratos, & malefactores. Primum igitur, Christus non dissimulat se scire institutum Iudæ, sed palam significat hoc sibi notissimum esse. Antea dixit: Nonne ego uos duodecim elegi, & ex uobis unus diabolus est? Et iterum: Vos mundi estis, sed non omnes. Nunc autem dicit: Non de omnibus uobis loquor. Ego scio, quos elegerim. Nec hoc tantum commemorat, sed exponit etiam causas, cur tantam discipuli immanitatem toleret, & de ea tam manifeste concionetur. Tolerat enim eam, quòd spiritus sanctus multis ante annis significauerat, domesticum amicum, & conuictorem, fore Christi proditorem. In psalmo enim quadragesimo scriptum est: Homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationē. Nam hunc psalmū, de Christo, & hunc uersiculū psalmi de Iuda proditore intelligendū esse, testatur Christus ipse hoc loco perspicue, nec aliud

interpres, qui diuersum sentit, audiendus est, quippe ꝙ hic ille sit, quem pater audire iussit, & quo scriptura maxime omnium tendit. Contionatꝰ aũt Christus de hac immanitate ludę, priusꝙ re ipsa perficiatur, ut cum factum fuerit, (inquit) credatis, ꝙ EGO SVM. Sic & postea cũ de morte sua contionaretur, ait: Nunc dixi uobis priusꝙ fiat, ut cum factum fuerit, credatis. Nam quemadmodum filius Dei multa ędidit miracula in mundandis leprosis, sanandis ęgrotis, & excitandis mortuis, ut confirmaret his tanꝙ cœlestibus testimonijs uocationem suam, & ueritatem doctrinę suę, qua se uerum Messiam & filium Dei prædicabat, ita uaticinatur de proditione ludę, & de genere mortis, quam susceperus erat, ut Apostoli, quierant futuri contionatores Euangelij in toto orbe terrarꝝ, non solum cognoscerent ipsum scientẽ & uolentem susciperemortem, uerumetiã admonerentur ex hoc de ueritate Euangelij eius, & confirmarent fidem suam, uidelicet, hunc Iesum, qui & hæc prędixit, & in quo hæc iuxta scripturam impleta sunt, uerum esse Messiam illum, qui fuit patriarchis promissus, & per prophetas prędicatus, nec in alio ęternam iustitiam ac salutem quęrendam. Sed quid? Num quia unus é duodecim Apostolis factus est crudelis proditor Christi, & eiectus é ministerio Apostolatus, sentiendum est etiam reliquorum Apostolorum ministerium esse uanum, & contemnendum? Imperiti quidem homines solent propter unum & alterum sceleratum, exempli gratia, opificem aut agricolam, damnare uniuersum opificum & agricolarum ordinem. Christus autem non abijcit reliquos Apostolos, propter unum sceleratũ, sed potius confirmat reliquorum ministerium, & autoritatem. Sic enim sequitur: Amen amẽ dico uobis, qui recipit quemcunꝙ misero, me recipit. Qui autem me recipit, recipit eum, qui me misit. Dixi ludam Apostolum fore proditorem. Nunquid ergo propter proditorem licebit Euangelion de Christo, quod alij Apostoli concionaturi sunt, contemnere, ac damnare? Minime omnium. Etsi enim Iudas me prodit, & à me deficit, uos tamen reliquos Apostolos mittam in orbem terrarum, ut meum Euangelion adnuntietis. Et ne quis uestram contionem contemnendam ducat, per me metipsum iuro, ꝙ quicunꝙ uestram doctrinam recipit, & fide agnoscit, meipsum recipiat. Qui autem me per fidem ex uestro Euangelio recipit, is deum patrem, qui me in has terras misit, & me maiestate Messiæ ornauit, recipit. Hæc est confirmatio autoritatis Apostolicæ doctrinæ, quæ tanto diligentius est consideranda, quanto magis humana autoritas in controuersia de religionis doctrina nobis obijci solet. Cum enim his temporibus doctrina Christianismi in disceptationem uocata sit, exigunt sapientes huius seculi, ut iudicium eius

Apostolicæ doctrinæ autoritas.

Pontifici

pontificibus ita permittatur, ut quicquid ipsi pronuntiauerint ac statuerint, obedienter agnoscamus. Sed hoc est exigere, ut fiduciam uitæ ac perpetuæ salutis nostræ collocemus in homine, & ponamus carnem brachiũ nostrũ. Tametsi eñ debet esse in ecclesia iudiciũ & cognitio de doctrina. Prophetę, inquit, duo aut tres loquantur, & cęteri dijudicent. Et iterum: Probate spiritus, num sint ex Deo, tamen si omnes illi iudices ac probatores, essent Irenęi, Cypriani, Basilij, Nazanzeni, Chrysostomi, Augustini & Hieronymi, imo quod admirabilius uidebitur, etiamsi omnes essent Angeli, non tamen liceret his iudicium ita permittere, ut sententia eorum nondum cognita iuraremus in obsequia ipsorum. Non negandum est, quin Irenęus, Cyprianus, et reliqui eius generis Ecclesiastici scriptores ac Episcopi, fuerint uiri doctissimi & sanctissimi, atq; optandum esset, ut hi qui nunc tenent loca episcoporum, aliqua saltem ex parte pietati eorum responderẽt. Nec desideramus aliquid, quod ad hanc quidem rem attinet, in Angelis. Huc etiam accedit, q̃ nullius quantumuis abiecti hominis iudicium in ecclesia Christi temere contemnendum sit, & parati simus etiam nos corrigere, si quid à uerbo DOMINI discrepans senserimus, sed alienę sententię siue humanę siue angelicæ ita nos captiuos tradere, ut eam nec auditam nec cognitam, tanq̃ sacrosanctam nos amplexuros recipiamus, hoc demum ab eo officio, quod debemus Christo seruatori nostro longissime abest. Christus enim, quem pater audire iussit, non remisit nos uel ad sanctos doctores, uel ad angelos cœlestes, sed ad Apostolos suos. Qui uos, inquiẽs, audit, me audit. Et hoc loco: Qui recipit, quemcunq; misero, me recipit. Ac postea: Paracletus ille, qui est spiritus sanctus, quem pater mittet meo nomine, docebit uos omnia, et suggeret uobis omnia, quęcunq; dixi uobis. Et alias dicit eos sessuros super duodecim sedes, & iudicaturos duodecim tribus Israel. Quibus uerbis significat se sententiam extremi iudicij pronunciaturum iuxta doctrinam Apostolorum suorum. Quare sola Apostolica doctrina tam cœlestis & diuina est, ut qui eam docet, audiendus sit, etiamsi fuerit omnium hominum abiectissimus, qui autem contra eam docet, cõtemnendus sit, etiamsi fuerit Pontifex Maximus, aut angelus cœlestis. Quid ergo docuerunt Apostoli? Longum esset singula enumerare, dicemus tantum epitomen. Docuerunt solum Iesum filium Mariæ uirginis esse uerum Christum, & unigenitum filium Dei, qui sit factus expiator peccatorum nostrorum. Docuerunt, omnẽ qui in ipsum credit, reputari corã deo iustũ & seruari, eũ aũt qui non credit, cõdemnari. Docuerũt ex hac fide unũquemq; debere in suo uitę genere iustitiã operari, ac uerbo dei obedire. Hęc est summa Apostolicę doctrinę. Hanc qui audit, audit doctrinã Christi,

Qui uerō audit Christi doctrinam, is audit doctrinam DOMINI dei nostri. Quare aduersus hanc doctrinam, nihil quāuis angelicum suscipiendum est. Sed si utraq; pars dicit se agnoscere apostolicam doctrinam, dissentit autē in sententia eius doctrinæ, quis in hac re iudex erit? Hic conferenda erit doctrina ipsa, cum hominum sententijs, & quanq; in dicendis sententijs maior pars fere solet uincere meliorem, tamen nihil certius est, q; q uera ecclesia Christi eam sectetur sententiam, quę est Iesu Christi seruatoris nostri. Dicit enim Christus de ouibus suis: Alienum non sequentur, sed effugient ab eo. Et iterum: Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, nec peribunt inæternū, neq; rapiet eas quisq; de manu mea. Sed
,, de his hactenus. Redeamus ad institutum. Cum hęc dixisset Iesus, tur
,, batus est spiritu, & testificatus est, dixitq;: Amen amen dico uobis,
,, q unus ex uobis proditurus est me. Non dissimulat Christus animi sui perturbationem, sed ingenue fatetur, qua de causa perturbetur: Videt enim Iudam proditorem ob oculos accūbentem, ex quo sic cōmouetur animo, ut id tam corporis gestu, q; perspicuis uerbis testificetur. Quid igitur dicemus? Num Christus concipit odium & inuidiam aduersus proditorem suum? Absit. Nostra quidē natura sic est affecta, ut uiso capitali hoste, odium & ira efferuescat. Christus autem etsi assumpsit humanā carnem, non tamen fecit humana peccata. Peccatum, inqt, non fecit, nec est inuētus dolus in ore eius. Quid ergo est hæc animi eius perturbatio? non est carnale odium, nec inuidia, sed est mœstitia & dolor, qui solet in animo hominis oriri ex consideratione ingratitudinis & malefacti eius, de quo optime sumus meriti. Hic est ingens & inexplicabilis dolor, de quo Christus ipse conquęstus est, priusq; assumpsit hominem. In psalmo enim xxxx. quem antea allegauit, ait: Homo pacis meę, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Et psalmus liiij. Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utiq;. Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu uero homo unanimis, dux meus, et notus meus. Qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo dei ambulauimus cū cōsensu. Testatur & Salomon, ab amico frustrari non minorem dolorē inferre, q; si quis flammeis & mortiferis sagittis petatur. Si ergo hic tantus est animi dolor, cur Christus suscepit eum? Quid enim opus fuerat? An non potuisset huic rei alijs rationibus mederi? Postq; em cognouit cōsilia Iudę, potuisset eū, abiecto omni dolore, priuatim et remotis arbitris admonere, & extrema q̄uis supplicia minari, nisi resipisceret, potuisset item, animum Iudę ex improuiso ita inuertere, ut mox abiecisset consilium proditionis, & factus fuisset acerrimus ipsi

Prouer. 26.

us defen

us defensor, potuisset etiam efficere, ut ludę statim terra dehiscere-
Hæc quidē cogitat humani animi curiositas, sed nos sentiamus id es-
se optimum & prudentissimum, quod Christus fecit. Sunt enim suę,
adeoq; diuinę caussę, ppter quas Christus maluit hūc animi dolorem
suscipere, & uim maiestatis suæ, hoc quidem tempore, in Iuda exerce
re. Primum enim, supra allegatione psalmi significauit, se hac patien
tia obedire uoluntati patris, ut adimpleatur, inquit, scriptura: Qui e-
dit mecum panem, sustulit aduersum me calcaneum, hoc est, possem
quidem pro maiestate mea in proditorem animaduertere, ego autem
ueni in hanc horam, non ut exerceam meam maiestatem, sed ut obedi
am uoluntati Dei patris mei. Voluntas eius est, ut prodar ab eo, de
quo optime meritus sum. Et hanc uoluntatem dei, non ex me ipso fin-
xi, sed ex scriptura cognoui. Spiritus sanctus enim in scriptura multis
ante annis significauit, me à conuictore meo conculcandum, & pro-
dendum. Quare suscipiam hunc dolorem patienter & obedienter, ut
satisfaciam uoluntati dei. Hic nobis discendum est, unde uoluntatem
Dei cognoscere debeamus. Sunt em̄ homines, qui putant ea esse Dei *Dei uoluntas ubi quærēda.*
uoluntatem, quę ipsi pro sua prudentia animo concipiunt, aut quę eti
am noctu somniant. Voluntas autem Dei non est quęrenda in huma
nis cogitationibus, aut somnijs, sed in diuina scriptura. Legimus qui
dem somnia Pharaonis, Nabuchodonosoris, & aliorū quorundam,
hęc autem sunt singularia miracula diuinitus ostensa, non sunt gene-
rales humanorum somniorum cōfirmationes. Ad legem, inquit pro
pheta, & ad testimonium, non ad obseruatores somniorum, & augu-
riorum. Quare cognitio uoluntatis Dei petenda est ex diuina scriptu
ra. Deinde Christus suscepit hunc animi dolorem, ut per eum expia-
ret peccata nostra. Venit enim Christus in hunc mundum, non ut
peccaret ipse, sed ut nostra peccata expiaret. Peccata autem expiantur
suis supplicijs. Inter supplicia uero peccatorum, etiam hoc enumera-
tur, cp peccator meretur, ut non solum inimici, uerumetiam amici fi-
ant hostes ipsius, & malefaciant ipsi. Peccant quidem amici, cp male-
faciant amico, sed peccator meretur hæc malefacta. Peccator enim me
retur omnia genera maledictionum. Venient, inquit, super te omnes *Deu. 28.*
maledictiones istę, & apprehendent te. Inter maledictiones autem
hæc non est extrema, Si quis non solum deseritur ab amico suo, uerū
etiam malis ab eo afficitur. De hac maledictione conqueritur Hiere-
mias, & dicit eam accidisse urbi Hierusalem. Non est, inquiens, qui
consoletur eam ex omnibus caris eius. Omnes amici eius spreuerunt
eam, et facti sunt ei inimici. Cum igit̄ Christus suscepit pc̄tā expian-
da, suscepit & hanc maledictionem ac supplicium peccati, ut iram
dei placaret, & nos oīa extrema propter pc̄tm̄ meritos, cum deo patrę

reconciliaret. Postremo Christus suscepit hunc animi dolorem, ut exemplo suo doceret nos, quomodo debeamus nos exhibere in simili dolore erga ingratos amicos, & eos qui ex amicis facti sunt capitales nostri inimici. Animaduertamus igitur ea, quæ à Christo fiunt, ut & nos ex ipsis exemplum uitæ nostræ petamus. Christus non admonet Iudam de proditione remotis arbitris, nec exprobrat ei priuatim sceleris eius. Quid ergo dicemus? Cur Christus non secutus est suam ipsius regulam. Si peccauerit in te frater tuus, argue eum inter te & ipsum solum? Hæc regula ad ea peccata priuatim arguēda pertinet, quę nobis humano modo cognita sunt. Quod autem peccatum Christus in Iuda uidit, hoc non cognouit humano, sed diuino modo. Quare hæc regula in præsentia nihil ad Christum. Nec mutauit uoluntatē Iudę mirabiliter, ꝙ Iudas ipse mutari noluerit, & Christus tradiderit sese obsequentem diuinę sapientiæ, cuius ea est profunditas, ut debeamus ipsam adorare, non perscrutari. Nec trahit Iudam fulmine, quia filius hominis non uenit ad perdendas, sed ad seruandas animas hominum. Quid ergo fecit? Ea fecit, quę satis erant, tum ad testificandum Iudę institutum non esse sibi ignotum, qua ex re declararet, se diuinitus in hanc terram missum. Nunc dico uobis, inquit, priusq̄ fiat, ut cum factum fuerit, credatis, ꝙ ego sum, tum ad admonendum Iudam, quo ab immani suo scelere resipisceret. Ante enim dixit. Mundi estis, sed non omnes. Hoc autem ualde generaliter dictum erat, nec potest ex hoc solo dicto colligi, Iesum esse singulari prophetiæ spiritu præditum, quippe quòd de hominibus ita comparatum sit natura, ut ubi est eorum multitudo, ibi etiam non pauci sint scelerati, ideoq̄ facile uerum dicet, quisquis dixerit, eos quidem mundos esse, sed nō omnes. Deinde autem, non generatim de aliquibus, sed diserte de VNO loquitur, & nominat etiam speciem immundiciei, seu peccati, uidelicet, proditionem. VNVS, inquiens, ex uobis me proditurus est. Nec hoc contentus, etiam proditoris personam indicat. Sic enim sequitur: Aspiciebant ergo se inuicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. Erat autem unus ex discipulis Iesu recumbens in sinu ipsius, nimirum is, quē diligebat Iesus (Hic erat Ioannes Euangelista noster) innuit ergo huic Simon Petrus, ut scisciaretᵉ, quis esset de quo loqueretur, hacq̄ cū recubuisset ille super pectus Iesu, dicit ei, Domine, quis est? Respondit Iesus, Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Iudę Simonis Ischariotæ. Habes hic nō solum nomen sceleris, uerumetiam personā scelerati exhibita buccella notatam. Quid igitur dicemus? Num Christus uoluit proditorem prodere? Non hoc egit Christus, ut sua notatione Iudas aliquid mali à reliquis discipulis pateretur, sed quemadmodum ante diximus, ut

postē

postq̃ resurrexisset á mortuis, discipuli intelligerent ipsum nec inuitum nec ignarum suscepisse crucem, & conferrent hoc uaticinium, cũ alijs miraculis à Christo editis, cõfirmarenturq; fide sua, hunc Iesum esse uerũ Christum seruatorẽ nostrũ. Prẽterea, egit hoc Christus, ut Iudas admoneretur de sua immani crudelitate & resipisceret. Iudas aũt non dedit locum huic admonitioni, sed fit subinde peior, & obstinatior. Post offulam enim ingressus est in eum Satanas. Quid ita? num Satan non fuit antea in Iuda? Certe fuit, & cum furaretur, & cum pacisceretur cum pontificibus. Cur ergo dicitur Satan iam primum post offulam ingressus? Respondeo. Etsi Iudas antea obsecutus est uoluntati Satanæ, in furando & pacisscendo de proditione, tamen non dubito, quin hactenus audiuerit uocem in animo reclamantem, & à tam immani scelere dehortantem. Quid instituis Iuda? Quo insaniæ progrederis? Vis ne prodere tuum magistrum? imo tuum Christum? Non facias. Imo facias, imo non facias. Hęc adhuc est pugna Satanę cũ Iuda. Postq̃ aũt Iudas accepit buccellã è manibus Christi, & cogitauit Christum impotentiorẽ esse, q̃ qui possit ipsi aliquid mali inferre, Satan ita eum deiecit ac uicit, ut quod antea dubitanter cogitauerat, nunc certo aggrediendum & perficiendum constitueret. Quare uere dicitur, q̃ Satan post acceptã buccellam intrauerit in Iudam, non q̃ ante non fuerit in ipso, sed q̃ nunc tyrannide sua in Iudam ita dominetur, ut Iudas sese ad perficiendam proditionem tota animi cogitatione accingat. Quod cum Iesus intelligeret, dicit ei: Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo intelligebat discumbentium, ad quid dixisset ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, q̃ dixisset ei Iesus, eme ea, quę opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis aliquid daret. Cum ergo accepisset ille offulam, exiuit continuo. Erat autem nox. Quod facis, inquit Christus, fac citius. Non iubet Iudam prodere, hoc est, malefacere. Sed postquam uidet se in Iuda admonitiõibus nihil proficere, permittit eum reprobę suę menti, & significat, q̃ quãtum ad se attinet, faciat, quod lubet, se non impediturum institutum eius, sed obsecuturum uoluntati patris sui. Itaq̃ uides Christum tractasse proditorem suum magna benignitate. Potuisset eum uel uno nutu perdere, uel discipulis discerpendum obijcere, sed maluit eum beneficijs ad sanam mentem reuocare, q̃ malefactis impietatem eius augere. Hæc in nostri doctrinam facta & scripta sunt, ut discamus malo non regerere malũ, sed bonũ. Hoc Christus, DOMINVS & magister noster fecit. Non est seruus maior domo suo. Si uoluerimus esse participes regni eius, oportet nos ambulare, sicut & ille ambulauit. Hoc à nobis deus ipse exigit. Manifesta enim est uoluntas dei, ex uerbo suo, cum ait: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Deum enim

in hoc præcepto exigere, ut non tantum amicis, sed etiam inimicis benefaciamus, exposuit filius ipse dei Iesus Christus: Ego, inquiens, dico uobis, diligite inimicos uestros, bene precemini deuouentib. uos, benefacite ijs, qui uos odio prosequuntur. Habes quid debeamus facere. Reliquum est, ut consideremus nos etiam posse id facere. Possumus autem id facere, non quidem humanis uiribus, sed uiribus spiritus sancti, qui datur credentibus in Christum. Ac possumus id facere, non ꝙ perfectam caritatem prestemus, sed ꝙ Christus donet credenti totam suam iustitiam, & ducat eum spiritu sancto in obedientiam, ac si quid reliquum fuerit peccati, non imputet, sed clementer condonet. Non enim sumus sub lege, sed sub gratia, & accepimus spiritū adoptionis, per quem non solum possumus clamare Abba pater, sed etiam mortificare reliquias carnis, & obedire uocationi dei, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est una' cum patre & spiritu sancto deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXI.

AVdiuimus Domini Iesu Christi, unigeniti filij dei, seruatoris nostri mœstitiam, audiamus nunc eius lætitiam. Cum enim Iudas proditor adhuc coram adesset, Christus tanto animi dolore commouetur, ut tam corporis gestibus, ꝙ uerbis eum significaret. Postꝙ autem Iudas exierat, Christus uicissim tanto animi gaudio exultat, ut teneri non potuerit, quin hoc
„palam uerbis minime obscuris fateretur. Dicit enim: Nunc glorificatus est filius hominis, & deus glorificatus est per eum. Si deus glorificatus est per eum, & deus glorificabit eum per se, & continuo glorificabit eum. His uerbis Christus quasi triumphum agit, & ἐπινίκιον canit. Sed ante uictoriam, inquis. Quid enim magis mirandum, q̄ ꝙ Christus Iudam abire ad conficiendam proditionem, uidebat aduersus se conuocari cohortem, & habebat ob oculos crucem, & tamen nō aliter lętitia gestiat, ꝙ si iam, parta uictoria, in curru triumphali duceretur? Nunc, inquit, glorificatus est filius hominis. Quid, obsecro, uidit Christus, cum hęc diceret? Etsi fieri non potest, quin habueris ob oculos crucem & mortem, tamen non defixit in hęc oculos, sed penetrauit uisu suo usꝙ ad gloriā resurrectionis suę. Sensit quidē imminere sibi magnam, ut uocant, sextam feriam, qua affigendus esset cruci, sed cognouit etiam mox secuturum diem festum palchę, quo resurrecturus esset glorioſissime, & intraturus in maiestatē patris sui, ut una' secum uniuersam ecclesiam suam ęterna salute seruaret. Hinc illud gaudium, hinc illa exultatio. Nam quemadmodum bellator, qui

qui argumentis minime uanis certam ſibi uictoriam pollicetur, non laborat de uulneribus ſibi inferendis, ſed inebriatus ſpe uictoriæ, ne cogitat quidem de uulnerum dolore, ita Chriſtus initurus certamen cum morte & Satana, etſi non ignorabat futura ſua uulnera, tamen qa certo ſciebat, ſe expoliaturum principatus & poteſtates, ac palam de ipſis triumphaturum, nō iam curat crucis grauitatem, ſed uerſatur totus in uictoriæ cogitatione. Dices autem: Chriſto facile fuit, gaudio Colz. etiam in media morte exultare, quippe cui probe ac certo cognitum fuerit, qꝑ ſit à morte reſurrecturus, & ęternum triumphum ducturus. Mea res aliter ſe habet, qui cum neſciam, quid me in altero ſeculo maneat, quō ad mentionem mortis non expalleſcerem? Non tam miſere metuerem mortem, ſi ſcirem fœlicitatem mihi certam in cœlo paratam. Hæc eſt uulgaris hominum quęrela, Sed quæ haud obſcure indicat non ſolum ueram Chriſtianiſmi ignorantiam, ſed etiam ſummam animi impietatem. Nam Chriſtus uenit ob hanc maxime cauſſam in hunc mundum, ut conſecraret crucem & mortem, quo non ſibi tantum, uerumetiam omnibus credentibus in ipſum, recta eſſent uia in cœlum, & æternū regnum. Itaqꝫ uenit, ut omnes in ipſum credentes certiſſimos de ſua ſalute redderet. Extra enim Chriſtum, non eſt niſi certitudo perditionis. In ſolo autem Chriſto eſt certitudo ſalutis. Audi qd prophetę de certitudine ſalutis in Chriſto contionentur. Eſaias ait: Montes cōmouebuntur & colles cōtremiſcent, miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meę non mouebitur, dixit miſerator tuus DOMINVS. Hieremias ait: Non formidabunt ultra & non pauebunt, & nullus quæretur ex numero, dicit DOMINVS. Ac mox. In diebus illis ſaluabitur Iuda & Iſrael habitabit confidenter. Hęc de ſalute in Chriſto dicta ſunt, quę ſalus niſi certiſſime contingeret his qui agnoſcunt Criſtum per fidem, quid uanius eſſet propheticis promiſſionibus? Sed audiamus Chriſtum ipſum. Sic Deus, inqt, dilexit mundū, ut filium ſuum unigenitū daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat ſed habeat uitam æternam. Et iterum: Amen amen dico uobis, qui ſermonem meum audit, & credit ei qui miſit me, habet ęternam uitam, nec ueniet in condemnationem, ſed tranſiuit à morte in uitam. Vides Chriſtum, non ſimpliciter certitudinem ſalutis in ipſo affirmare, ſed etiam iuramento confirmare. Et huc reſpiciunt prȩcipui illi articuli religionis noſtrę, quæ ſolent in ſymbolo, quod uocant, apoſtolico recitari. Credimus in Ieſum Chriſtum, conceptum de ſpiritu ſancto, natum ex Maria uirgine, paſſum, crucifixum, mortuum & ſepultum. Credimus eum reſurrexiſſe à mortuis, aſcendiſſe in cœlum, ſedere ad dextram Dei, ac uenturum ad iudicandum uiuos & mortuos. Quis autem eſt alius huius fidei

usus & finis, q̄ ut in Christo habeamus remissionem peccatorum, conseruemur in morte, resurgamus á morte ad uitam, & consequamur hereditatem cœlestem? Quare, qui adhuc conqueritur se nescire quid sibi in altero seculo expectandum sit, perspicue significat se nec prima quidem elementa, aut ut ita dicam, alphabetum Christianismi didicisse, qua certe ignorantia, aut potius incredulitate, ut nihil est homini multis annis in schola Christianismi uersato turpius, ita nihil est pernitiosius. Sed uideamus nunc, quę sit glorificatio Dei & filij eius, de qua Christus hoc loco contionatur. Nunc, inquit, glorificatus est filius hominis, & deus glorificatus est per eum. Inquiramus igitur, quomodo filius hominis, qui est Iesus Christus dominus noster, glorificauerit, & illustrauerit nomen Dei patris sui. Ac primum Christus illustrauit nomen Dei inter homines prædicatione Euangelij sui, & miraculis. Prædicauit enim deum factum esse propitium & misericordem, ac remittere peccata, & uelle miseros homines seruare propter ipsum in morte ad ęternam uitam & fœlicitatem. Et ut hanc prædicationē confirmaret, ædidit miracula, quibus adiuuit corporaliter miseros & afflictos, ut hoc esset certum argumentum, q̄ Deus uisitasset populum suum, & uellet esse misericors hominum seruator. Hęc est magna gloria nominis Dei, illustrata per prędicationem & miracula Christi. Deinde Christus illustrauit nomen Dei, sua obedientia. Deus enim iussit Christum filium suum obnoxium esse humanis imbecillitatibus, ac suscipere mortem. Cui mandato Christus tam obedienter obsecutus est, ut subierit mortem crucis, q̄d erat mortis genus probrosissimū. Hęc est insignis gloria Dei. Nam quemadmodum summa gloria parentum & principum est, horum quidem habere obedientem populum, illorum autem habere obsequentes liberos, ita maxima gloria Dei est, q̄ Christus filius eius obsequentissime impleuerit mandata eius. Non est gloria Dei, si pro tuo ipsius arbitrio statueris in gloriam Dei abstinere à carnibus, & balneis, & resecandis unguibus in feria sexta, sed gloria Dei est, obedire mandatis Dei, & seruire uocationi eius. Quare Christus reddidit nomen Dei patris sui illustrissimū, cum ex mandato eius suscepit crucem & mortem obedientissime. Habes, quomodo filius hominis glorificauerit Deum. Audiamus nunc, quomodo Deus uicissim glorificauerit filium hominis. Dicit enim: Si Deus glorificatus est per eum, Deus etiam glorificabit ipsum sua ipsius potētia, atq̄ adeo continuo, non post multos annos, sed statim post hos dies glorificabit ipsum. Quomodo ergo Deus glorificauit Iesum? Dicam hoc uerbis psalmi: Minuisti eū paulo minus ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarū. Omnia sub-

ſubieciſti ſub pedibus eius. Et iterum: Dixit DOMINVS domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Dicam idem uerbis Petri. Certo ſciat tota domus Iſrael, q̄ DOMINVM & Chriſtum fecerit Deus hunc Ieſum, quem uos crucifixiſtis. Dicam hoc etiam uerbis Pauli. Humilem p̄ebuit ſemetipſum, factus obediens uſq̄ ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter & Deus extulit illum in ſummam ſublimitatem, ac donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu ſe flectat cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Poſtq̄ enim Ieſus ſuſcepit mortem obedienter, Deus non dereliquit animam eius in inferno, nec permiſit ut ſanctus eius uideret corruptionem, ſed excitauit eum à mortuis, ac ſedere fecit eum ad dextram ſuam in cœleſtibus ſuper omnē principatū ac poteſtatem, ut palā declararet, ipſum non ſolum eſſe hominis filium, uerumetiā unigenitum Dei filium, adeoq̄ uerum ab æterno Deum. Qua gloria nihil poteſt excellentius cogitari. Cum igitur Chriſtus tantam gloriam in animum ſuum reuocaret, etſi in propinquo erant crux & mors, tamen magno gaudio exultat, ut cum impetrauerit nobis certam ſalutem per crucem & mortem ſuam, excitemur tam auxilio q̄ exemplo eius, ut & nos in calamitatibus, in cruce & morte intendamus oculos, quo per ea perſpiciamus ꝑternam uitam & ſalutem, ac cœleſti gaudio perfruamur. Deinde Chriſtus exponit diſcipulis ſuis, qua uia uenturus ſit ad gloriam ſuam, & contionatur iterum de cruce & morte ſua, dicens: Filioli adhuc pauliſper uobiſcum ſum. Quęretis me, & ſicut dixi Iudæis, quo ego uado, uos non poteſtis uenire, ita & uobis dico nunc. Vide mihi humaniſſimum, & ſuauiſſimum epitheton. Filioli, inquit. Et aliàs uocat eos FRATRES. Narrabo, inquit, nomen tuum fratribus meis. Quę epitheta tribuit Chriſtus diſcipulis ſuis, non honoris ſed ueritatis gratia, ut ſignificet eos cœleſtium bonorum ſecum participes eſſe. Si enim ſunt filij, ergo & hæredes. Et ſi ſunt fratres, ergo & cohęredes, hæredes quidē Dei, cohęredes aūt Chriſti. Sed hęc epitheta, inquis, tribuit Chriſtus Apoſtolis, non quibuſuis alijs hominibus. Quid igitur ſolatij nos ex his epithetis caperemus? Recte dicis. Chriſtus non ſic alloquitur impœnitentes & impios Euangelij contemptores, ſed nec Apoſtolos tantum ſic alloquitur. Non em̄ ſoli Apoſtoli ſunt filioli & fratres Chriſti, ſed alloquitur etiam omnes eos, qui credunt in Chriſtum, per ſermonem Apoſtolicum. Non pro eis, inquit Chriſtus, rogo tantum, ſed pro ijs, qui credituri ſunt per ſermonem eorum in me. Et aliàs: Thoma, quia uidiſti me, credidiſti. Beati qui non uident, & tamen credunt. Quare, quemadmodum Apoſtoli confirmarunt fidem ſuam, & certiores facti ſunt de ꝑterna

Ephe. 1.

ſalute ſua ex his epithetis, ita ſi crediderimus Apoſtolico Euangelio, reddimur & nos ex his de cœleſti noſtra hereditate certiores. Quod autem addit. Quæretis me, ſed quo ego uado, uos non poteſtis uenire, eadem ſupra capite ſeptimo, etiam Iudæis contionatus eſt. Loquitur autem de cruce & morte ſua. Et eſt hęc ſententia. Vos creditis me eſſe Meſſiam, ideoque quęritis, & ſectamini me, ſed hac ſpe, ut conſequamini per me mundanam fœlicitatem. Exiſtimatis enim regnum Meſſiæ fore mundanum. Ego uero abeo nunc non ad accipiendum regnum mundanum, ſed ad ſuſcipiendam crucem & mortem. Hoc cum reipſa ſenſeritis, non amplius ſectabimini me, ſed fugietis & deſeretis me. Offenſi enim cruce, putabitis non poſſe fieri, ut ſim uerus Meſſias. Hæc eſt ollæ, ut dici ſolet amicitia. Cum Chriſtus in his terris adhuc fœlix eſt, multos habet ſectatores. Poſtq̄ autem uidetur infœlix, omnes eum deſerunt. Quod cum fœdiſſimum ſit, re ipſa admonemur, quid nos facere debeamus. Primum enim ſcimus regnum Chriſti non eſſe mundanum, ideoq̄ non eſt ab ipſo deficiendum, etiamſi uidemus eum in hoc mundo à Turcis, à Iudęis, & ab alijs impijs contemptiſſime & crudeliſſime tractari. Deinde ut Chriſtus non eſt in cruce deſerendus, ita nec deſerendus eſt amicus in ſua calamitate. Beatus enim, qui intelligit ſuper egenum & paupere, in die mala liberabit eum dominus. Porro, cum Chriſtus ſignificauerit ſe abiturum à diſcipulis, dat etiam ipſis mandatum ut cognoſcant, qua beneuolentia ſe mutuo complecti debeant. Et ait: Mandatum nouum do uobis, ut diligatis inuicem ſicut dilexi uos, ut & uos diligatis inuicem. Dictum omnibus quidem, & maxime omnium obſeruandum, non eſt autem ſentiendum, q̄ Chriſtus hoc mandato inſtituerit nouam legem. Etſi em̄ hęc appendix, (Sicut dilexi uos) uidetur noua, tamen ſi quis rem diligenter perpendat, nihil plus in hoc mandato exigitur, q̄ in illo. Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. Et: Diligite inimicos ueſtros, benefacite ijs, qui uos odio proſequuntur. Et: Remitte fratri tuo ſeptuagies ſepties. Ac multa ſunt id genus alia, de quibus Chriſtus ſępe diſcipulos ſuos admonuerat. Quid ergo eſt, quod hic dicit, ſe dare ipſis mandatum NOVVM? Non eſt res noua, ſed eſt repetitio noua. Nam Chriſtus cum aliàs ſæpe, tum paulo ante admonuit diſcipulos, non uerbis tantum, ſed etiam exemplo, lauatione uidelicet pedum, ut ſibi inuicem per caritatem ſeruirent. Si ego, inquiens, laui pedes ueſtros, dominus & magiſter, uos quoq̄ debetis inuicem alij aliorum pedes lauare, hoc eſt, uos inuicē diligere, & ſeruire. Diſcipuli autem ſtatim obliuiſcuntur huius admonitionis. Poſtquam enim Iudas diſceſſerat, & Chriſtus contionabatur ipſis de gloria regni ſui. Deus, inquiens, glorificabit eum,

& continuo glorificabit eum, existimauerunt eum accepturum gloriam mundani regni. Quapropter suscipiunt mutuam inter se contentionem, quemadmodum Lucas scribit, quis inter ipsos uidetur maior. Ambiebant enim, ut fieri solet, magno studio, ut alter alteri dignitate & potestate in mundano regno Christi, quod somniabant, praeferretur. Quare Christus reprehendit eos, & reuocat ipsis in memoriam, quod ante docuerat. Mandatum, inquiens, nouum do uobis, ut diligatis inuicem, sicut ego dilexi uos, hoc est, pauloante iussi uos exemplo meo, inuicē diligere & seruire, & significaui uobis, quod in regno meo maior debeat fieri minor. Nunc autem reipsa uideo, uos iam huius doctrinę oblitos esse. Quare profero illud de nouo in medium, & iterum atq; iterum repeto, ut diligatis uos inuicem, sicut ego dilexi uos. Non instituo inter uos mundanos ordines dignitatis, quales sunt inter principes huius seculi, Sed exigo iterum de NOVO, sicut antea, à uobis mutuam dilectionem & seruitutem, sicut ego uos dilexi, qui quàmuis maior omnibus essem, uobis tamen seruiui. Considerandum igitur est, quomodo Christus dilexerit suos, & seruiuerit eis, ut cognoscamus qualis debeat esse nostra mutua dilectio. Quod enim hoc loco Apostolis dicitur, hoc pertinet ad omnes illos, qui per Apostolicum sermonem in Christum credunt, ut OMNES, inquit, unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. Primum igitur Christus non dilexit discipulos suos uerbo tantum & lingua, sed opere & ueritate, ac declarauit dilectionem maximis beneficijs. Ornauit eos clarissimo dono edendorum miraculorum. Seruauit eos in omnibus periculis. Cum essem, inquit, cum eis in mundo, seruabam eos nomine tuo. Tulit uicia & ruditates eorum pacientissime. Quare necesse habemus, ut & nos sic inuicem diligamus, uidelicet, non uerbo tantum, sed etiam rebus ipsis, quibus dilectionem manifeste comprobemus. Deinde Christus dilexit suos non tantum actionibus, uerumetiam passionibus, ac declarauit suam dilectionem non solum bene ipsis faciendo, sed etiam male pro ipsis paciendo. Posuit enim animam suam pro salute ipsorum. Maiorem, inquit, hac dilectionem nemo habet, ut quis animam suam ponat pro amicis suis. Quare & nos necesse habemus, ut periculo uitę nostræ saluti proximi consulamus. Per hoc, inquit aliàs Ioannes, cognouimus caritatem, quoniam ille animā suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Quid? inquis. Animas? Ergo multo magis facultates? Quid hoc rei est? Quid posset homini grauius imponi, q̄ ut pro salute proximi sui exponere deberet facultates & animam? Si hoc serio exigitur, certe pau-

cissimi sunt ueri Christiani. Quotusquisque enim est, qui propter proximum suum profundat opes & sanguinem suum? Vix extorqueas totius Euangelij Christi promissionibus, ut diuites unum aut alterum argenteum numum misero homini numerent, & profunderent pro ipso opes & sanguinem suum? Sed quicquid obijciatur, profecto hæc dilectio serio exigitur ab omnibus Christianis. Hoc est, inquit, præceptum meum, ut diligatis inuicē, sicut ego dilexi uos. Christus autem ita dilexit nos, ut etiam animam suam pro nobis posuerit. Quare debemus & nobis inuicem talem dilectionē. Ergo, inquies, si fur aut latro, ad extremum supplicium ducitur, Christianus debet suam animam iudici aut carnifici pro fure offerre, ac petere ut ipse pro reo & ad crucem damnato, occidatur? Nulla autem literarum monumenta tradunt, hoc Christum ipsum aut Apostolos eius unq̄ fecisse, & tamen non est dubium, quin temporibus eorum, multi scelerati & malefactores extremo supplicio sint affecti. Etsi enim Christus suscepit mortem pro omnibus peccatoribus, non tamen ita suscepit, ut fures & latrones liberi sint ab externo supplicio. Quod ergo docet Christus, de mutua dilectione, ut diligenter & obedienter est faciendum, ita etiam recte est intelligendum. Non enim iubet mortem pro alio temere & illegitime suscipere, sed iubet unumquemq̄ suum facere officium, & certæ Dei uocationi obedire. Non est officium, nec est uocatio Dei, ut tua morte liberes furem aut latronem, ab ea externa morte, quam ei lex, hoc est, diuina ordinatio infert. Sed officium & uocatio Dei est, ut magistratus defendat populum suum a latronibus, ut parentes agant curam liberorum suorum, ut Apostoli & Ecclesiastę contionentur Ecclesię Euangelion Christi, ut pñ confiteantur nomen Christi, ut priuati quiq̄ succurrant proximis suis in necessitate. Hæc autem afferunt nonnunq̄ secum pericula uitę. Quare, hęc officia facienda suscipere, est animam suam pro alijs ponere. Vulgo dici solēt, Vicinus alter alteri incendium debet. Hoc certe non sic intelligendum est, q̄ cum uicini domus incendio deflagrauerit, tu necesse habeas etiam in tuas ædes ignem inijcere, sed q̄ patienter ferre debeas, si ex uicini incendio, etiam tuę ædes consumantur. Sic & dicēdum est, q̄ unusquisq̄ Christianus debeat alteri suum sanguinem, non q̄ temere debeat sanguinem pro altero effundere, sed quod debeat suum legitimum officium alteri prestare, in quo si iuxta uocationem Dei subeundum est periculum uitę, fortiter ferendum erit. Idem etiam de exponendis pro alio facultatibus dicendum erit. Vnusquisq̄ em̄ pius debet alteri suas facultates, non temere, sed pro officio & uocatiōe dei. Sunt em̄ sui in exponēdis p alio facultatibus gradus. Paulus de uiduis ait: Si qua suis, et maxime familiarib. non prouidet, 1. Timoth. 5.

fidem

fidem abnegauit, & est infideli deterior. Ex hoc Pauli dicto habes, 1. Timo. 5
ꝙ in exponendis facultatibus prima oim habenda sit domesticorꝝ cura. Deinde Paulus scribens ad Corinthios, & petens eleemosynam pauperibus, ita dicit: Si prius adsit animi promptitudo, ea iuxta quic quid illud est, quod possidet aliquis, accepta est, non iuxta id quod non possidet. Non enim ut alijs relaxatio sit, uobis autem angustia, sed ut exęquabilitate in pręsenti tempore, uestra copia illorum succurrat inopię. Et rursus: Vnusquisꝙ secundum propositum cordis, non ex molestia, aut ex necessitate. Nam hilarem datorem exigit Deus. Habes iterum quatenus exigatur, ut exponas pro alio tuas facultates. Necesse autē est, ut in hac re magistra sit, non lex aliqua, aut externa ordinatio, sed CARITAS ex fide, tanꝙ ex fonte profluens. Ac non ignoramus quidem caritatem in hac corporali uita infirmam esse, sed danda est opera, ut hęc infirmitas non dominetur nobis, ac tandem inferat mortem. Non dominabitur autem nobis, Primum, si credideri/mus Christum reconciliasse nos cum Deo patre, & impetrasse nobis remissionem peccatorum. Sic enim fiet ut infirmitas caritatis non imputetur nobis. Deinde, si ex hac fide accendamus caritatem diuinis promissionibus, & exerceamus eam beneficijs erga proximos nostros. Sic enim fiet, ut etiamsi opera nostra, quibus alter alterum iuuamus, sint per se imperfecta, tñ reputentur coram Deo iusta & sancta, propter Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXII.

CCEPIMVS à Domino nostro Iesu Christo mandatum mutuę dilectionis. Dixit enim. Mandatum nouum do uobis, ut diligatis uos mutuo, sicut ego dilexi uos. Sed quo hęc dilectio nobis magis commendetur, addit: In hoc cognoscent omnes, ꝙ discipuli mei sitis, si dilectionem habueritis inter uos mutuam. Hoc igitur dictum susci piemus nunc, quantum uestris precibus adiuti fuerimus, explicandum. Tanto autem diligentius cognoscendum est, quanto clarius exponit officium, quod in hac terra, in hominū cœtu & contubernio maxime omnium pręstare debemus. Alius enim alium sibi finem in hominum contubernio proponere solet. Apostoli existimabant sibi hunc humanæ uitæ finem propositum esse, ut alter alteri in regno Christi, ꝙd somniabāt mundanū futurꝝ, dominaret. Itaꝙ nūc rogant

Christum, ut unus sedeat ad dextram, alter ad sinistram eius, nunc contendunt inter se de primatu, quis ipsorum uideretur esse maior? Deinde, in ecclesia Corinthiorum, cum iam manifestum esset regnū Christi non esse mundanum, contenderunt hi, qui Euangelion Christi ăgnoscebant, de donis spiritualibus, hoc est, de ędendis miraculis, & loquendis uarijs linguis. Christus enim contulit post pentecosten in ecclesiam suam multa & illustria dona spiritus, ut autoritas Euangelij confirmaretur. Huic, inquit Paulus, datur per spiritum sermo sapientię, alij uero sermo scientię secundum eundem spiritum, alij uero fides, alij dona sanationum, alij efficatia potentiarum, alij prophetia, alij discretiones spirituum, alij genera linguarum. Putabant igitur Corinthij, se ad hunc usum uocatos, ut maximam omnium operam in hanc rem conferrent, quo alter alterum spiritualibus id genus donis superaret, ac existimabant, se non esse bonos Christianos, nisi hæc assequerentur. Postquam autem ecclesia Christi aucta est, et publica dona ędendorum miraculorum non sunt his, quemadmodum Apostolicis, temporibus, solennia, alia sunt Christianorum studia. Alius enim studet esse ditior, alius doctior, alius potentior, alius honoratior, alius pulcrior, alius delicatior, in quę studia ita incumbunt, ut existiment sibi nihil prius, nihil posterius in hac terra agendum esse, nec putent se homines, nisi in his rebus aliqua ex parte cæteris hominibus prestent. Quod si non fuerint facti compotes uoti sui, iudicant eum non fauere ipsis, nec se bonos esse Christianos. Sed Christus docet nos ad alia studia uocatos & ordinatos esse. In hoc, inquiens, cognoscent omnes, ꝙ discipuli mei sitis, si caritatem habueritis inter uos mutuam. Principio enim uocati sumus, ut simus discipuli Christi. Hoc debet nobis esse primum omnium, ac summum studium. Nec ullum nobis magis necessarium est. Caremus enim, natura nostra, uera coram deo iustitia, & fœlicitate. Nec possumus hęc bona meritis nostris consequi. In Iesu Christo aũt promissa nobis est uera iustitia, salus, & fœlicitas, ut quicunꝙ crediderit in Christum, reputetur coram deo iustus, & consequatur cœlestem hereditatem. Quare nihil nobis ad salutem magis necessarium est, ꝙ ut simus discipuli Christi, discamus Euangelion eius, cognoscamus officium eius, credamus in ipsum, inuocemus et glorificemus deum per ipsum, ut propter ipsum iustificemur & seruemur. Hoc est præcipuum studium, ad quod uocati sumus. Deinde etsi propter solum Christum per fidem consequimur coram Deo iustitiam & salutem, tamen quia uita nostra ducenda est in hominum cœtu, exigitur ut non solum simus discipuli Christi coram Deo, sed etiam ut cognoscamur ab hominibus, ꝙ simus discipuli Christi, quo & ipsi aut excitentur

tur ad agnoſcendum et glorificandum Chriſtum, aut confirmentur in fide Chriſti. In quo ergo cognoſcimur diſcipuli Chriſti? Quod eſt ſignum, quæ eſt nota, qua reliqui homines ſciant, nos Chriſtum uerum ſeruatorem agnoſcere? Hic nobis uerba ipſa Chriſti conſideranda ſunt. In hoc, inquit, cognoſcent omnes, q̃ diſcipuli mei ſitis. In quo? Obſerua, q̃ non dicat: In ædendis miraculis. Magnum quidem & illuſtre donum dei eſt, diuerſis linguis loqui, dæmonia eĩcere, claudos ſanare, & mortuos excitare, & teſtatur alias Chriſtus hęc ſigna ſecutura eos, qui in ipſum credunt, ſed & hi, qui non ſunt uere pĩi poſſunt aliquoties diuina uirtute miracula ędere, de quibus apud Matthæum cap. vĩj. dicitur: Multi dicent mihi in illo die domine, domine, nonne per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum Dæmonia eiecimus, & per nomen tuum multas uirtutes præſtitimus. Ac tum confitebar illis. Non noui uos. Diſcedite à me, qui operamini iniquitatem. Accedit huc, q̃ Chriſtus cõtulit quidem donum ędendorum miraculorum in Apoſtolos, & in alios quoſdam miniſtros Euangelĩj, ut miraculis, tanq̃ cœleſtibus teſtimonijs ueritas Euangelĩj illuſtraretur & confirmaretur, hoc autem donum non neceſſario ſequitur fidem in quouis priuato, & poteſt eſſe uir pĩſſimus ac maximæ in Chriſtum fidei, etiamſi nullum tale miraculum ędat, qualia Prophetæ & Apoſtoli ędiderunt, quemadmodum etiam ſcriptura teſtatur Ioannem Baptiſtam, quo non fuit maior inter homines, nullum ędidiſſe miraculum. Quare Chriſtus non dicit, diſcipulos ſuos cognoſcendos in ędendis miraculis, ideoq̃ monet, hoc nõ eſſe agendum Chriſtiano, ut excitet mortuos, ac ſentiat, ſe non poſſe Chriſtianum eſſe, niſi talia miracula ędat. Deinde, non dicit Chriſtus: Cognoſcent uos eſſe meos diſcipulos in hoc, q̃ ſitis alĩjs hominibus ditiores, doctiores, potentiores, & honoratiores. Non nego, quin & hęc ſint dona Dei, & quibus hęc diuina clemẽtia cõtigerunt, hi debent ipſis pie, cum gratiarum actione & obedientia uti, ſed non ſunt certę notę Chriſtianiſmi, nec exiſtimandũ eſt, te non poſſe Chriſtianum eſſe, niſi fueris aut diues, aut potens, aut honoratus. Quare non eſt in hoc ſtudium incumbendum, ut reliquos diuitĩjs & potentia antecellas. Prętera, Chriſtus non dicit: In hoc cognoſcent uos eſſe meos diſcipulos. Si ueſcamini uel piſcibus, uel carnibus in feria ſexta, aut ſi utamini uel longa, uel breui, uel nigra uel alba ueſte. Neque enim cibus, neque ueſtis commendat nos Deo. Quid ergo dicit? & quid illud eſt, quo diſcipulus Chriſti congnoſcitur? In hoc, inquit, cognoſcent oẽs, q̃ diſcipuli mei ſitis, ſi caritatẽ habueritis inter uos mutuã. Caritate dicit cognoſci diſcipulos Chriſti. Ac fieri quidẽ põt, q̃ etiã inẽ impios repiat magna caritas: Paulus ait. Pro bono for-

Mar. ultimo

taſſis aliquis etiam mori ſuſtinet, & tradunt Gentium hiſtorię de Damone & Pythia, ꝙ tanto amore & beneuolentiæ conſtantia ſeſe mutuo complexi ſint, ut cum Dionyſius tyrannus alterum extremo ſupplicio affecturus eſſet, alter ſeſe uadem tyranno pro eo dederit, donec domũ ꝓfectus res ſuas ordinaret. Sed uiciſſim & hic maluit ad pericu lũ redire, q̃ amici officiũ deſerere. Hoc eſt inſigne exemplũ amicitię, attamẽ non eſt in impijs Ethnicis nota pietatis in Deum. Habet quidem hęc impiorum amicitia ſua præmia coram hominibus, ſed quia eſt ſine cognitione Chriſti, impij homines non fiunt propter eam DOMINO deo noſtro accepti. Fieri autẽ non poteſt, ut uera pietas in deum, & uera cognitio Chriſti, nõ afferat ſecum mutuã inter pios caritatẽ & amicitiã. Quare, cum poſſit aliqua eſſe hoĩm caritas ſine fide in Chriſtum, fides aũt in Chriſtum nunq̃ poſſit eſſe ſine caritate, recte dicit, diſcipulos Chriſti in hoc cognoſci, ſi mutuã inter ſe caritatẽ habuerint, ideoq̃ hoc eſt pręcipuũ officium Chriſtianorũ in hac
Rom 13. terra, ut mutua dilectione ſeſe complectant. Nemini, inquit Paulus, q̃q̃ debeatis, niſi ut inuicem diligatis. Et mox: Conſummatio legis
1. Cor. 14. eſt dilectio. Et iterum: Sectemini dona potiora. Et adhuc excellentiorem uiam uobis oſtendo. Si linguis hominum loquar & angelorum, caritatem autem non habeam, factus ſum ęs reſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habeam prophetiam & nouerim myſteria omnia, omnemq̃ ſcientiam, & ſi habeam omnem fidem, adeo ut montes loco di moueam, caritatem autem non habeam, nihil ſum. Hic ergo propone mihi nunc duos hoĩes, alterũ tam illuſtri dono fidei prędituꝫ, ut poſſit uerbo ſuo montes in mare proĳcere, & mortuos excitare, ſed interim eſſe contemptorem & oſorem proximi, et ſi affectus fuerit iniuria, irreconciliabilem, alterum autem nullo prorſus dono ędendorum miraculorum ornatum, ſed plenum pietate, caritate, manſuetudine, & facillime reconciliabilem, etiamſi inſigni contumelia affectus fuerit. Vter horum, quęſo te, maior eſt & illuſtrior coram DOMINO Deo noſtro? Vter horum Deo acceptior eſt? Vter etiam maiora ędit coram Deo miracula? certe is, qui etſi non excitat mortuos, tamen cõplectitur pia caritate proximos. Ille enim alter audiet, quod ante dictũ eſt: Nunquam noui te. Diſcedite à me, qui operamini iniquitatem, hic uero audiet unà cum omnibus pijs: Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum paratum uobis ab exordio mundi. Chriſtus enim mutuam caritatem tanta ſeueritate exigit, ut malit officium oblationis, q̃ amicitię prętermitti. Si obtuleris, inquit, munus tuũ ad aram, & illic recordatus fueris, ꝙ frater tuus habeat aliquid aduerſum te, relinque hic munus tuum coram altari, & abi prius reconcilieris fratri tuo, & tum ueniens offer munus tuum. Quare hoc ſit maximum

omnium

omnium ſtudium, ut poſtq̃ cognouerimus Ieſum Chriſtum ueꝝ ſer uatorẽ noſtꝝ per fidem, nõ inuideamus, nõ odio proſequamur, non laceremus nos mutuo, non rixemur, non afficiamus uel iniuria uel cõ tumelia proximos, non fraudemus eos in negotijs, ſed bene fauea mus & faciamus eis, ut manifeſtam demus ſignificationem, nos eſſe ueros ac ſynceros diſcipulos Chriſti. Quod cum ita ſe habeat, perſe quamur nunc ea, quę de Petro ſequunt: Dicit ei Simon Petrus. Do mine, quo uadis? Dixerat enim Chriſtus antea, Filioli adhuc pauliſ per uobiſcum ſum. Quęretis me, & ſicut dixi Iudæis, quo ego uado, uos nõ poteſtis uenire. Hęc uerba excepit Petrus, et interrogat Ieſum, quo uadat. Reſpondit ei Ieſus. Quo ego uado, non potes me nunc ſe qui. Sequeris autẽ poſtea. Hæc intelligenda ſunt de morte, qua Chri ſtus abiturus erat ex hoc mundo. Interim autem ſignificat Chriſtus, Petrum nunc nõ morituꝝ cũ ipſo, ſed multis poſt annis. Dicit ei Pe trus, Domine, quare non poſſum te ſequi nunc? Animam meã pro te ponam. Reſpondit ei Ieſus. Animã tuam pro me pones? Amen amen dico tibi, non canet gallus, donec ter me negaueris. Habes hic tres, Chriſtum, Petrum, Gallum, qui & tria dicendi argumenta nobis ex hibent. Dicamus autem primum de Chriſto. In hoc magnum uides miraculum, q̃ non ſolum prouidet Petrum negaturum ipſum, ſed e tiam indicat tempus & numerum abnegationis. Hoc non minus eſt miraculũ, q̃ q̃ Chriſtus aliàs ſanauit claudos, & excitauit mortuos: Quare Petrus poſtea cõuerſus, & ex hoc atq̃ alijs miraculis de Chri ſto in fide ſua confirmatus, tanta conſtantia confeſſus eſt Chriſtum, ut maluerit & ipſe crucifigi, q̃ Chriſtum iterũ abnegare. Eſt & hoc admirandum, q̃ cum Chriſtus cognoſcat Petrum tam turpiter ipſum negaturum, non tamen abñciat eum à ſe, nec expellat, ſed potius oret pro ipſo. Ego pro te, inquit, oraui, ne deficiat fides tua. Hoc exem plo admonemur, ut non augeamus importunitate & duricia miſerias miſerorum, ſed ut curam ſalutis eorum ſuſcipiamus: Si occupatus fue rit homo, inquit Paulus, in aliquo delicto, uos qui ſpirituales eſtis, inſtaurate huiuſmodi ſpiritu manſuetudinis, conſiderans temetip ſum, ne & tu tenteris. Inuicem alñ aliorum onera portate, & ſic com plete legem Chriſti. Mirari & hoc quiſpiam poſſet, q̃ cum Chriſtus uideat futuꝝ, ut Petrus fœdiſſime corruat, non conſeruauerit ipſum pro maieſtate ſua, erectum, & cauerit, ne deſignaret tam horrendum crimen abnegationis, ſed conſiderandum nobis eſt, quòd Chriſtus uenerit in hanc horã, ut obediret diuinæ uoluntati, & ſuſciperet pec cata noſtra expianda doloribus tam animi, q̃ corporis. Spiritus ſan ctus autẽ ſignificauit iam olim per propheram Zachariam, q̃ Chri ſto ferenda eſſet defectio præcipuorum ſuorum amicorum: Percuti

am (inquit) pistorem, & dispergentur oues gregis. Quare, cum hęc sit magna pars passionis Christi, & Christus uenerit in hanc horam, ut iuxta diuinam uoluntatem expiaret passione sua peccata nostra, ma luit abnegacionem Petri obedienter ferre, (etsi nihil molestius potuit ei accidere) q̄ officium redimendi humani generis p̄termittere. Sed dicamus etiam de Petro. Animam inquit, pro te ponam. Quid? Petrus paulo post defecit a Christo. Ergo ne mentitur nūc contra animam suam, & aliud corde cęlat, aliud ore loquitur? Nihil certe minus, Quod uerbis dicit, hoc etiā serio in animo sua cogitat, ac postea, cum irruit gladio in armatam cohortem, p̄stare uidetur. Sed alia sunt, quę peccat. Habet quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam, zelus Dei est, q̄ cogitat se uitam potius amissurum, q̄ Christum deserturum. Hic est zelus, quem omnes p̄j habere debēt. Sed Petrus in hoc peccat, primum, q̄ putat Christum corporalibus uiribus defendendum, & sibi externa arma pro Christo suscipienda esse. Deinde, q̄ de suis uiribus ita confidit, ut se ueracem, Christum autem mendacem iudicet. Hęc non est uera scientia, non est uera cognitio Christi. Quare in Petro zelus quidē Dei est, non autē secundū scientiā. Quid ergo fuisset Petro faciēdum, cum audijt, Quo ego uado, non potes me nūc sequi. Et, Non canet gallus, donec ter me negabis? Hic debuisset Petrus cessisse sententię Christi, & suam imbecillitatē agnouisse, atq̄ Christo ad genua procidisse, ac rogasse eū, ut clemēter ipsū conseruet, ne tam fędum facinus designet. Fruamur igitur nos aliena insania, & discamus latētem nostrā impietatē ex uerbo Dei agnoscere, & diuinū auxiliū petere. Nam sacra scriptura arguit nos oēs impietatis, & peccati. Omnes, inquit, homo mēdax. Et, Non est qui faciat bonū, non est usq̄ ad unū. Hoc iudiciū spiritus sancti agnoscendū est humiliter. Etsi enim non sentimus in p̄sentia natiuam nostram impietatē, tamen ea latet in carne & sanguine, & coram Deo semper manifesta est. Quare cedendū est diuino iudicio, nō ut faciamus, sed ut agnoscamus impietatem, & ut agnita impietate, inuocemus clementiā DOMINI Dei nostri per Iesum Christum filium eius, quo condonetur nobis propter ipsum impietas, & reputemur coram Deo iusti. Postremo audiamus & Gallum. Nam Gallorum genus diuinitus creatū est, ut sint nocturni uigiles, ut uenientem diem cantu suo nuncient, & ut homines in opera excitent. Hic est mundanus & ciuilis eorū usus. Sed hoc loco, & postea in abnegatione Petri traditur etiam spiritualis eorum usus. Cantus eñ galli admonet Petrum de hoc uerbo Christi: Non canet gallus donec ter me negaueris, reuocat eum ad agnitionē suę defectionis, excitat ipsum ad suscipiendum opus pœnitentię, & nunciat ac ostendit ei lucem diei, in Iesu Christo. Quare utamur gal-

licinio

licinio, non tantum ad ciuilia opera, sed multo magis ad spiritualia, ut galli sint nostri nocturni contionatores, quibus admoneamur huius noctis, in qua Christus captus est, & Petrus Christum abnegauit, & excitemur ad agnoscendam tam nostram imbecillitatem, q̄ diuinam misericordiam in Iesu Christo ostensam, ut inuocemus deum patrem, quo conseruet nos perpetua salute in omnibus periculis, per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus benedictus in secula, Amen.

CAPVT XIIII.

HOMILIA XXIII.

QVM magna extent merita Ioannis Euangelistę in ecclesiam dei, hoc prę cipuum est, q̄ contiones domini nostri Iesu Christi diligentissime omnium conscripserit. Inter has autem contiones, etsi istę duæ, quę in his decimo quarto, decimo quinto & decimo sexto capitibus sequuntur, postremę fuerũt eaꝝ, quas Christus in his terris, in mortali sua carne, corã discipulis suis habuit, tñ his merito primas cõcedere, et eas inter prę cipua nostra κειμήλια cõseruare debemus. Christus em̃ habuit has contiones, cũ iam capiendus et ad crucẽ rapiendus esset, ac uoluit his ultimã suã uoluntatẽ significare. Non est aũt ignotum, q̄ sacrosancta & inuiolata habeatur hoĩs ultima uoluntas, & quãta cura conseruari soleãt postrema eius amici uerba, qui ita à nobis discedit, tanq̄ nunq̄ rediturus. Prę terea hę contiones Christi cõtinent res maximas. Consolant uniuersam ecclesiã in omnibus aduersis, siue corporalibus siue spiritualibus. Docent ueram fidẽ de domino deo nostro, uidelicet, de patre, filio & spiritu sancto. Docẽt ueꝝ usum passionis & resurrectiõis Christi filij dei, adeoq̄ continent summam totius Christianæ doctrinæ. Quare si nobis salus nostra curę est, debemus has contiones attentissimo animo excipere. Sumemus autem in manus priorem contionem quam Christus habuit, cum adhuc Hierosolymis in cœnaculo esset, in qua cõsolatur discipulos suos, imo uniuersam ecclesiam suam, ut in aduersis non despondeant animum, & exponit eis, quę contingant per ipsum beneficia his, qui uera ipsum fide amplectuntur. Et ait discipulis suis: Non turbetur cor uestrum. Credite in deum & in me credite. Hęc est consolationis propositio. Nam cum Christus non esset amplius uisibili specie & externo contubernio cum discipulis ac

ecclesia sua in his terris conuersaturus, dubium non erat, quin magnis periculis tam corporalibus, q̃ spiritualibus obiicerentur. Hactenus defendit eos Christus, ut nihil incommodi propter ipsum paterentur. Non esurierũt, non capti, non in carcerem coniecti, non in exilium eiecti fuerunt. Non possunt, inquit, filij sponsi lugere, quamdiu cum ipsis sponsus est. Et: Quando misi uos sine sacculo & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit uobis? At illi dixerunt, Nihil. Ac rursus: Cum essem cum eis, ego seruabam eos nomine tuo. Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis. Nunc aũt, postq̃ Christus profecturus erat per mortẽ in gloriam patris sui, & relicturus post se apostolos & ecclesiam in his terris, futurum erat, ut omnia calamitatum genera in ipsos incide rent. Necesse enim habent propter Christum persecutionem pati. Exuuntur omnibus facultatibus, eiiciuntur in exilium, ac occiduntur quoq;. Quòd si hęc non accidant propter Christum, necesse tamen habent communes humani generis ærumnas ferre, uidelicet paupertatis, ęgritudinis, iniurię, contumelię, ac tandem etiam mortis. Hæc sunt aduersa corporalia. Quid autem dicam de spiritualibus? Satan enim grassatur maxime omnium in pios obiectu magnitudinis peccati, horrore mortis, ac metu inferni, & perpetuæ damnationis. In his aduersis relicturus erat Christus ecclesiam suam post se, in terra. Quibus quid potest dici grauius, aut molestius? Quare Christus suscipit officium consolationis, ut declaret se in hoc uenisse, quo consoletur afflictos. Ac uide mihi rem admirabilem. In propinquo erat, ut Christus caperetur & crucifigeretur. Itaq; uidebatur ipse indigere consolatione. Sed ecce, multo magis de ecclesię, q̃ de sua ipsius cruce sollicitus est, ac in hoc præcipue studium incumbit, ut omnem dolorem & luctum ecclesiæ suæ absterget. Dicit enim in Esaia: Spiritus domini super me, eo q; unxerit me, ad euangelisandũ pauperibus misit me, ut mederer contritis corde, & prędicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem. Ac mox: Vt consolarer omnes lugentes, ut efficiam, quo lugentibus in Zion detur decor pro cinere, & oleum gaudij pro luctu. Etsi enim Christus etiam aliquoties terret discipulos suos, tamen in eo terrore meditatur consolationem & gaudium. Cum igitur hoc sit præcipuum officium Christi, ut consoletur ecclesiam suam, procedit nunc in medium discipulorum suorum, & ait: Non turbetur cor uestrum, sed credite in deum patrem meum, & in me filium eius. Impendent in uos magna pericula, & multa aduersa, tam corporalia, q̃ spiritualia, ideoq; turbabitur animus uester, & existimabitis uos perituros, sed bono animo sitis: Collocate omnem uestram fiduciam in deo, & in me filio eius. Hoc si feceritis, nihil uobis incommodi

commodi accidet, sed seruabimini in omnibus aduersis. Hæc uerba quamuis pauca admodum, satis essent ad excitandam in nobis animi fortitudinem & constantiam, si cogitaremus, quis esset, qui ea loqueretur. Loquitur enim ea, non uanus quispiam homo, sed Christus filius dei, natura eiusdem cum deo patre suo maiestatis. Et est ueritas ipsa, Quare proponit discipulis suis hanc consolationem, non honoris, ut dici solet, sed ueritatis gratia. Solenne enim est inter homines, ut nonnunq; alter alterum honoris & ciuilitatis gratia consoletur, etiamsi uideat de uita aut salute eius actum esse. Longe alia ratio est consolationis Christi. Non aliud loquitur, aliud sentit, sed quę loquitur, sunt certissima uoluntatis eius significatio. Et cohortatio eius, obtinet uicem præcepti, imo etiam uicem promissionis. Cum enim Christus uocat nos aliquo cohortatione sua, promittit nobis eo ipso suum auxilium, & pollicetur certissimam salutem. Quare etiamsi nihil aliud adderetur, tamen hęc pauca uerba Christi satis solatij afferrent pio animo. Sed Christus tantę est benignitatis, ut addat etiam huius cohortationis rationes, & refutet contrarias afflicti animi cogitationes. Cum enim Christus dicit: Non turbetur cor uestrum, sed credite in Deum & in me, & bene erit uobis, non dubium est, quin afflictis animis statim in mentem ueniant aliæ cogitationes. Quid? Admones nos ne turbemur. Quomodo autem fieri potest, ut tot undiq; malis impendentibus non turbemur? Ejciemur è domibus nostris, exuemur omnibus facultatibus nostris, pellemur in exilium, obijciemur morti. Atq; hęc quidē in hac terra nobis contingent. Quid autem post mortem? Hic incertiores sumus, quid de nobis futurum sit, q̄ in terra. Quę enim domus, quę mansio, quod hospitium nobis in altero seculo paratum est? Quo diuertemus? Num in cœlum, an ad infernum? Itaq; siue respiciamus in hoc externum seculum, siue in futurum, nihil certi nobis reliquum est, præter exilium, paupertatem, mortem, & interitum. Quis igitur propter tantas ęrumnas non turbaretur animo suo? Ad hęc respondet Christus, & refutat ea dicens: In domo patris mei mansiones multæ sunt: Quod si secus esset, dixissem uobis. Non simpliciter dicit. In domo patris mei mansiones multæ sunt, sed confirmat illud asseueratione. Si secus esset, inquiēs, dixissem uobis, hoc est, Profecto res ita se habet, quem admodum dixi. Nam si secus esset, tanto amore uos complector, ut nequaq; nos id cęlassem. Nunc autem scio nihil certius esse, quàm quod in domo patris mei multæ sint mansiones. Obseruabile dictum, quod ut recte intelligamus, uidebimus initio, quę & quanta

sit domus Dei patris, ut etiam cognoscamus, quid per mansiones intelligendum sit. Nam domus Dei patris in hoc loco, non est uel templum Hierosolymitanum, uel alia domus lapidea, aut lignea, Sed est cœlum & terra, imo quicquid est etiam ultra cœlum & terram. Salomon ait: Si cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto minus capiet te domus hæc, quam ædificaui? Et in Ieremia: Nunquid non cœlum & terram ego impleo dicit DOMINVS? Et in Esaia: Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Si cœlum, tanta uidelicet moles est sedes Dei, & terra scabellum eius, quanta, obsecro, est tota domus illa, in qua hæc sedes & scabellum posita sunt? Nec habet amplam quidem domum, uacuam autem, sed habet domum omni genere bonorum refertissimam. In terra habet omnia regna, omnes urbes & ciuitates, omnes thesauros diuitiarum, & quicquid est terrenorum bonorum. DOMINI, inquit, est terra & plenitudo eius, orbis terrarum & uniuersi, qui habitant in eo. Et iterum: Meæ sunt omnes feræ syluarum, iumenta in montibus & boues. Cognoui omnia uolatilia cœli, & pulcritudo agri mecum est. In cœlo autem habet omnem uitam, iustitiam, fœlicitatem, adeoq; quicquid est cœlestium & æternorum bonorum. En hæc est domus Dei, & hæ sunt mansiones seu hospitia in hac domo, uidelicet, omnia bonorum genera. Quare quod Christus dicit: In domo patris mei multæ sunt mansiones, hanc habet sententiam, Metuitis quidem, ne si diuellar à uobis, per mortem, & uos confiteamini nomen meum, expellant uos homines è domibus uestris, & ejciant uos in exilium. Itaque dubitatis, quo uobis sit diuertendum. Adhæc metuitis ne non solum ejciamini in exilium, uerumetiam ex ista corporali uita. Itaque dubitatis, quis locus, quæ mansio uos maneat in futuro seculo. Sed confidite, bono animo sitis. In domo patris mei multæ sunt mansiones. Ego habeo patrem ualde diuitem & locupletem, qui habet satis amplam domum, & multa hospitia in ea. Si in his terris ejciamini ex una domo, pater meus habet adhuc multas domos, quibus compensabit uobis unam illam domum. Nam pro una domo dabit uobis centum: Omnis, (inquit aliàs) qui reliquerit domos aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitæ æternæ sortietur hæreditatem. Si autem homines ejciant uos etiam ex hac corporali uita, ut nec cesse habeatis in aliud seculum migrare, ne hic quidem habetis quod uos turbet. In domo enim patris mei, in cœlesti regno multa sunt hospitia, in quæ obuijs, quod aiunt, ulnis, excipiemini. Non est uobis

bis metuendum, ne Patriarchæ & Prophetæ qui fuerunt ante uos, ſedes regni cœleſtis ita occupauerint, ut nulla uobis relicta ſit. Meus pater non eſt tam pauper paterfamilias, ut in domo cœleſtis regni ſui, unam tantum & alteram habeat ſedem aut manſiunculam, ſed habet innumeras, quibus uos excipere poſsit. Quare, cum tam diuitem habeam patrem, qui omnia, quæ uobis propter meum nomen auferuntur, liberaliſsime compenſare queat, bene uobis, quicquid acciderit, confidendum erit. Sed hic iterum obijciet quiſpiam: Quid iuuat nos, quòd tu habeas diuitem patrem, & quòd multæ ſint manſiones in domo eius, cum neſciamus, num Deus pater uelit diuitias ſuas nobiſcum communicare, & nos ad has manſiones recipere? Diues eſt Deus, ſed non dat nobis ſuas diuitias. Et habet multa hoſpitia in domo ſua, ſed quid ſi alijs potius, quàm nobis parata eſſent? Nos enim ſumus peccatores, & indigni, quos Deus bonis ſuis ditet, ac in tabernacula ſua recipiat. Chriſtus autem refutat confeſtim & hanc obiectionem. Sequitur enim: Vado paraturus uobis locum. Agnoſco confeſsionem ueſtram. Si enim Deus obſeruauerit peccata, quis ſuſtinebit? Quare recte facitis, quòd agnoſcatis uos propter peccata indignos beneficijs Dei, & cœleſti habitaculo. Sed ego propter hanc cauſſam uado nunc, paraturus uobis locum. Suſcipio paſsionem & mortem, ut uos dignos reddam, & reconciliem uos cum Deo patre meo. Mors enim mea eſt peccatorum expiatio, quæ parat uobis locum, hoc eſt, firmam & certam reddit ſalutem ueſtram, ac efficit uos dignos diuinis beneficijs, tam in hoc quàm in futuro ſeculo. Habes hic uerum uſum paſsionis & mortis Chriſti. Paſſus enim eſt Chriſtus, & mortuus, ut pararet locum apud Deum patrē credentibus in ipſum, ut reconciliaret eos cum Deo, & efficeret quo adoptarentur in filios Dei, & hæredes omnium cœleſtium bonorum, adeoque ut redderet ipſos de uera ac perpetua ſua ſalute certiſsimos. Quid ergo nunc metuis? cur adhuc dubitas, & dicis? Neſcio quid mihi in altero ſeculo paratum ſit? An non habes hic firmiſsimam certitudinem? Chriſtus non ſolum dicit, Deum patrem ſuum habere multas diuitias, & multas manſiones, ſed etiam addit, ſe impetrare obedientia ſua, ut Deus uelit nobiſcum, ſi crediderimus in Chriſtum, has diuitias liberaliter communicare, & nos in ſuas manſiones benеuolentiſsime recipere. Quare nullo modo committendum eſt, ut de ſalutis noſtræ certitudine dubitemus, ſed in hanc curam incumbendum eſt, ut Ieſum

Christum cognoscamus, & ipsum uera fide complectamur. Fieri enim non potest, ut qui Christum habet, non habeat etiam certissimam salutem. Sed est adhuc, inquies, quod perstringat oculos meos, Deus diues est, & locus certo paratus est, sed uia longior & tenebricosior est, q̃ ut queam in ea ambulare, & ad præstitutum terminum pertingere. Eundum enim mihi est per mortem. Mors autem tritissima quidem uia est, sed ita dura, & aspera, ut nemo possit in ea incedere, quin offendatur, & ita deuia, & insuper tenebris obscurata, ut nisi quis quasi manu ducatur, ad infernum magis quàm ad cœlum perueniat. Quo igitur me uertam? Respondet etiam ad hanc seu dubitationem seu obiectionem Christus. Et ait: Si abiero ad parandum uobis locum, iterum ueniam & assumam uos ad meipsum, ut ubi sum ego, & uos sitis. Hæc est obseruabilis promissio. Primum enim Christus promittit his uerbis se resurrecturum à morte, & rediturum ad discipulos. Iterum, inquit, ueniam ad uos. Manifestum autem est, quòd Christus post resurrectionem suam exhibuerit sese discipulis uiuentem, ac præbuerit se ipsis non solum uidendum, sed etiam contrectandum. Deinde promittit se semper, Ecclesiæ suæ in omnibus periculis affuturum, & conseruaturum eam. Assumam, inquit, uos ad meipsum, ut ubi sum ego, & uos sitis. Et aliàs: Ecce ego uobiscum sum, omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi. Et iterum: Pater, quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecum. Quęramus igitur ubi sit Christus. Ac inuenimus quidem ipsum in cruce, & morte, sed crucis, & mortis uictorem. Resurrexit enim, superatis omnibus doloribus mortis, tertia die, & consedit ad dextram Dei, quę dextera est summa Dei maiestas, omnipotentia, perpetua uita & fœlicitas. Quare cum Christus sit ad dextram Dei, manifestum est, q; sit in cœlesti maiestate, & in perpetua uita atque fœlicitate. Et cum palam affirmet de Ecclesia sua, q; sit ubi ipse est, quid reliquum dicemus, nisi q; etiam Ecclesia sit cum Christo domino suo in cœlesti maiestate? Benedictus, (inquit Paulus) Deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus, per Christum. Et iterum: Conuiuificauit nos una cum Christo, simulq; cum eo resuscitauit, & simul cũ eo sedere fecit inter cœlestes, in Christo Iesu. Quid ergo nunc de tua salutę dubitas? Crede in Christum, & Christus tecum erit, & tu cum Christo. Si obruit te paupertas, Christus tecum est, quia dixit: Ego uobiscũ sum, omnibus diebus seculi. Et tu cum Christo es, quia dixit. Vbi ego sum,

sum illic & uos eritis. Christus autem est in cœlestibus diuitijs. Quare habes & tu in Christo cœlestes diuitias. Si peccati iudicium te affligit, Christus tecum est, & tu cum Christo. Christus autem est in summa et perfecta iustitia. Quare habes & tu in Christo summam & perfectam iustitiam. Si te conturbant terrores mortis & inferni, Christus tecum est, & tu cum Christo. Christus autem est in uita & in cœlo. Necessarium igitur est, ꝙ & tu sis in uita & in cœlo. Caro longe quidem diuersa sentit, sed maior fides adhibenda est uerbo domini, & ueritati Christi, cꝫ sensui carnis. In die Parasceues magnæ non uidebas in Christo nisi crucē et mortem, sed in die Paschę, non uides in eo nisi uitam & gloriā. Quod in capite gestum est, hoc idem implebitur in membris. Si credimus, ꝙ Christus mortuus est, & resurrexit, sic & deus eos, qui obdormierunt per Iesum, adducet cum illo. Quare non sunt metuendę tenebrę mortis, sed quia mansiones certo paratæ sunt, confitendum est, ꝙ habeamus in morte non ductorem tantum, sed etiam conseruatorem filium dei, DOMINVM nostrum Iesum Christum, qui est una cum patre & spiritu sancto deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXIIII.

QVM Iesus Christus ex hoc mundo, passione & morte sua discessurus esset, suscepit contionē habendam, qua non solum Apostolos, qui prę sentes erant, uerumetiā uniuersam ecclesiam, quæ in ipsum prędicatione Apostolorum creditura erat, consolaretur. Non enim ignorabat euenturas esse pijs maximas quasꝙ afflictiones in hoc mundo, & ut ipse postea dicit, futurum, ut quemadmodum impij ipsum persecuti sunt, ita & eos, qui in ipsum credunt persequantur. Quare munit eos contione sua aduersus impendentia mala, & initio consolatur eos certitudine salutis. Mansiones, inquit, multæ sunt in domo patris mei, quas abeo ita paraturus, ut ijs nihil sit firmius, nihil certius, deinde consolatur eos promissione reditus sui, & conseruationis eorum. Iterum (inquit) ueniam, & assumā uos ad meipsum, ut ubi ego sum, & uos sitis. Quę cum ante satis à nobis exposita uidēt, progrediemur nunc ad perstringenda ea quæ sequuntur. Postꝙ enim Christus promisit se rediturum, con-

fert se ad explicandam suam maiestatem, ut ecclesia recte ipsum cognoscat, & accipiat ex hac cognitione ueram ac firmam in omnibus
,, aduersis consolationem. Dicit enim: Quo ego uado, scitis, & uiam
,, scitis. Etsi hęc uerba possunt de passione & morte Christi intelligi, (Dicitur enim & mors uia, qua Christus profectus est in gloriam patris sui) tamen quia Christus ipse mox interpretatur uiam de seipso. Ego sum, inquiens, uia, sciamus hāc esse sententiam: Quo ego uado, scitis, hoc est, Patrem scitis. Ad patrem enim uado. Et uiam scitis, hoc est, meipsum scitis, quia ego sum uia. Visum autem est ipsi paulo obscurius loqui, ut excitet discipulos ad interrogandum de sententia huius dicti, & habeat maiorem occasionem dicendi de sua maiestate. Nihil enim nobis magis necessarium est, & ut maiestatem Christi
,, bene cognitam, perspectamq; habeamus. Dicit ergo ei Thomas.
,, Domine nescimus quo uadis, & quomodo possumus uiam scire? Ex hac interrogatione habet Christus, quod uoluit, ideoq; respondet
,, Thomæ. Et dicit ei: Ego sum uia, & ueritas & uita. Nemo uenit ad pa
,, trem nisi per me. Si cognouissetis me & patrem meum utiq; cogno
,, uissetis. Hoc dictum non est postremum inter præcipuas γνώμας totius sacræ scripturę, ac dignissimum, cui dedicemus proprium diem & contionē. Tribuuntur aūt hic Christo tria epitheta, quæ sunt alta mente reponenda. Vnum est VIA. Alterum, VERITAS. Tertium, VITA. De his non est oscitanter cogitandum. Ac initio Christus uocatur VIA. Et qualis est uia? Num corporalis seu mundana, qua itur uel ad Romam, uel ad Babyloniam? Nihil minus, sed est uia spiritualis, ea uidelicet, qua itur ad Deum patrem. Sic enim statim ipse interpretatur. Nemo, inquiens, uenit ad patrem nisi per me. Si cognouissetis me, etiam patrem meum cognouissetis. Sed quid sibi hæc uerba uelint, paulo post Christus ipse clare exponet. Nos igitur nunc in his epithetis considerandis aliquandiu hærebimus. Ego sum (inquit) uia. Ad quem hominem, uel in quam urbem, aut regionem? Non quęrimus nunc, qua uia in terra sit ambulandum, sed qua sit in cœlum, ad deum patrem eundum. Porro ad deum patrem ire, est deum uere cognoscere, coram deo iustitiam consequi, deum uere inuocare, in mandatis seu uocatione dei ambulare, mortem uincere, & perpetuam in deo uitam ac fœlicitatem percipere. Quid enim deus aliud est, & omne cœleste bonum, omnis iustitia, uita & fœlicitas? Quare ad deum ire, est ad omne cœleste bonum, & ad omnem fœlicitatem ire. Quæ igitur est uia ad hunc finem perueniendi, & tanta bona consequendi? Nulla certe alia est, præter eum, qui hoc loco dicit: Ego sum VIA. Vno hoc nomine deuastantur omnes aliæ uiæ, quas homines ad deum, ad iustitiam corā deo, et ad regnū cœlorum

excogita-

excogitarunt. Cum Israelitæ egrederentur ex Ægypto ad terram Canaan, existimarunt imperiti hypocritę, eam esse ueram uiã ad deũ, & ad ingrediendum in regnum cœleste, præsertim cum in eo itinere lex Dei de cœlo promulgaretur. Hæc uia non fuit quidem inutilis, non autem duxit per se Israelitas ad Deum in cœlum, sed tantum in terram Canaan. Deinde postquam templum ædificatum esset in Hierusalem, putauerunt superstitiosi uiam ad templum, esse ueram uiam ad deum, ad iustitiam, & regnum cœlorum. Fuit quidem & suus huius uię usus, non autem fuit ea uia, qua peregrinatores ad templum, cõsecuti sunt per se iustitiam, & felicitatem. In Deuteronomio cap. quinto dicitur: Non declinabitis, neq; ad dextram, neq; ad sinistram, sed per VIAM, quam præcepit uobis DOMINVS deus uester ambulabitis, ut uiuatis, & bene sit uobis. Hic per nomen VIÆ intelligunt legem Mosi. Quare Iudæi existimauerunt, opera legis esse uiam, in qua, qui ambulauerint, iustificentur coram Deo & mereantur æternam uitam. Etsi autem magnus & necessarius est usus diuinę legis, tamen opera eius, prout ab hominibus fiunt, non sunt perfecta iustitia coram deo. Et lex ipsa si non aliud accesserit, ducit hominem potius ad iniustitiam & ad infernum, q̃ ad iustitiam & in cœlũ. Ostendit enim peccatum, & facit peccatum maiorem in modum peccans, ideoq; damnat & occidit homines. Quid Ethnici? Hi tot uias in cœlum excogitarunt, quot deos & sacra commenti sunt. Quid hypocritę in Christianismo? His uiæ sunt in cœlum, non solum ea opera, quę secundum legem dei facienda suscipiunt, uerumetiam quæ ipsi finxerunt, & instituerunt, Missæ, murmura precum canonicarum, peregrinationes, Ordines monastici, Rosaria, & infinita alia. Huc accedunt etiam Mahumetistæ, qui sentiunt decreta & instituta sui Mahumetis, esse rectam & compendiariam uiam ad deum, in omnia cœlestia bona. Fingunt & Anabaptistę, qui sic uocantur, hoc tempore nouam uiam in cœlum, uidelicet, si omnibus facultatibus tuis uenditis, & tecum acceptis, proficiscaris in Morauiam. Sed hę omnes uiæ, quas uel Ethnici, uel hypocritę, uel Mahumetistę, uel Anabaptistę excogitarunt, ducunt homines magis ad infernum, q̃ in cœlum. Sola una est uera & certa uia ad deum patrem, & in cœlum, Iesus Christus DOMINVS noster. Testatur quidẽ is hoc de se ipso: EGO sum, inquiens, VIA, nihil autem hoc testimonio uerius est. Primum enim Prophetæ testificantur de Messia seu Christo, q̃ sit uera consequendę salutis uia. In Esaia dicit Deus de Christo suo: Dedi te in fœdus populi, in lucem gentiũ, ut aperires oculos cęcorum, et educeres de conclusione uinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. Et iterũ: Dedi te in lucẽ gentiũ, ut sis salus mea usq; ad extremũ

terræ. Deinde Iesus filius Mariæ probauit cœlestibus signis, se esse uere hunc Christum, de quo prophetę sunt uaticinati. Quare testimonio eius nihil est nec uerius nec certius. Sed qua, obsecro, ratiõe Iesus Christus est uia ad deum, & ad regnum cœlorum? Num idcirco uia est, ꝙ exposuit legem dei, & docuit nos bona opera, atꝙ exhibuit absolutum recte uiuendi exemplum? Multum quidem hac in parte profuit, non autem proprie dicitur uia, ꝙ docuit legem, & proposuit in se exemplum uitę. Fuit enim lex per Mosen antea data, & per prophetas explicata, ut non dicam, ꝙ lex augeat peccatum & occidat. Exemplum autem eius, quanto absolutius & perfectius fuit, tãto minus possunt homines ipsum perfecte imitari. Sed idcirco uia est, ꝙ cum sit unigenitus filius dei, susceperit hominem, & omnes humanas imbecillitates, ac expiauerit passione & morte sua peccatum nostrum, & reconciliauerit nos cum deo patre suo, ut adoptemur in filios ac hęredes dei, & fruamur cum ipso omnibus cœlestibus bonis. Hoc nomine Iesus Christus est uia tam cognoscendi dei, cꝫ accipiendæ cœlestis hęreditatis. Sed operę p̃cium nunc est, ut cognoscamus, quomodo hęc uia aggredienda, & quõ in ea insistendum sit. Vociferantur enim, etiam hypocritę se agnoscere solum Christum pro uia, sed non recta aggrediuntur eam, nec uere in ea insistunt. Non credunt Christum esse uerum peccatorum expiatorem, sed putant merita suorum operum expiare peccata, Christum autem esse iudicem meritorum. Hoc non est Christum, sed sua ipsius merita habere pro uia. Nam tum demum recte ambulamus in hac uia, q̃ est Christus, cum amplectimur Christũ tali fide, ꝙ ipse solus sit expiator peccatorum nostrorum, & reconciliator noster coram deo, ut non propter nostra, sed propter ipsius tantum Christi merita adoptemur in filios & hæredes dei. Qui hac fide incedit, is recte in Christo, uera salutis uia, ambulat. Huic, inquit Petrus, omnes prophetę testimonium ferunt, ꝙ remissionem peccatorũ accepturus sit, per nomẽ eius, quisquis CREDIDERIT in eum. Sed de epitheto uiæ hæc in prędentia sufficiunt. Audiamus nunc & alterũ epitheton, quod est VERITAS. Multa autem sunt genera ueritatis. Mathematica suas habet ueritates, habent & politeia, & œconomia suas ueritates. De his autem ueritatibus in prędentia nihil loquimur, sed de ea ueritate, quę affert nobis ueram & perpetuam salutem. Acuidetur Christus hoc nomine respicere per antithesin ad umbras & ceremonias legis Mosi. In hac enim lege fuerũt Circumcisio, Sabbatum, Sacrificia Leuitica, discrimen ciborum, & aliarum obseruationum, q̃ imperiti putauerunt esse uera sacra, quibus mererentur gratiam Dei, & peruenirent ad deum ac regnum cœleste. Atꝙ hæc quidem sacra suo tempore suum habuerunt usum. Non fuerunt autem ipsa ueritas, sed tan-

sed tantum umbra & significatio ueritatis. Deseruiunt, inquit Apo- Hebr.8.
stolus, exemplari & umbræ cœlestium. Et iterum: Lex nihil ad- Hebr.7.
duxit ad perfectionem, sed erat introductio ad spem potiorem. Solus autem Iesus Christus est ueritas, quæ per sacra illa est adumbrata, & qua uere peruenimus ad gratiam Dei, & ad hæreditatem diuinorum bonorum. Nemo enim potest habere Deum uere propitium, nisi per Christum, & propter Christum. Nemo potest misericordiam Dei uere cognoscere, & ea uere confidere, nisi per Christum, & propter Christum, uidelicet, si crediderit, q̃ solus Christus sit reconciliatio, iustitia, & redemptio nostra. Quare solus Christus ueritas est, hoc est, uera illa uictima, uerum illud sacrificium, q̃d reconciliauit nos cum Deo, & propter quod Deus agnoscit credentes in Christũ, filios ac hęredes suos. Deinde Christus dicit etiã VERITAS per antithesin ad corporalia & terrena bona. Diuitię, sanitas corporis, diuturnitas uitæ, potentia, illustre nomen, sunt quidem dona dei, quibus ex fide utendũ est, non sunt autẽ uera bona, imo potius sunt nõnunq̃ possessoribus suis exitio. Solus Christus est ueritas, seu uerę bonum, quod si quis habet, is habet uerã & perpetuam fœlicitatem. Quare non sentiamus nos nostro functos officio, si studeamus consequi opes aut dignitates in hoc seculo, sed is demum recte facit suum officium, qui hoc unum agit, ut Christum per fidem ex Euangelio eius consequatur. Tertium epitheton est VITA. Tribuit & hoc epitheton Christo per antithesin ad uitam legis. In Leuitico libro dicitur: Custodite leges meas atq̃ iudicia, quę faciens homo, VIVET in eis. Et postquam Moses recitasset populo suo legem, addit: Testes inuoco hodie cœlum & terram, q̃ proposuerim tibi VITAM & bonum. Elige ergo VITAM, ut tu uiuas & semen tuum. In his locis lex dicitur VITA, ideoq̃ hypocritæ senserunt, se consequi ueram coram deo uitam, si facerent opera legis. Ac negari quidẽ non potest, quin homo consequeretur ex lege uitã, si legem perfecte impleret. Nunc autem nullus hominum potest eam perfecte implere. Lex em̃, inquit Paulus, est spiritualis, ego aũt carnalis, uenditus sub peccatum. Et iterum: Affectus carnis inimicitia est aduersus deum, nam legi dei non subditur, siquidem ne potest quidem. Quare fieri non potest, ut homo ex lege aut operibus eius consequatur uitã. Solus autem Iesus Christus est VITA nostra. Qui enim in ipsum credit, is primũ reputatur coram deo iustus propter Christum. Hoc demum est uere uiuere. Beati enim, quorum remissę sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Deinde conseruatur in morte ne pereat. Postremo resuscitatur à morte, in ęternam uitam. Non est igitur in alio quęrenda uera uita, pręterquam in Iesu Christo domino no- Leuit.18. Deut.30.

ſtro per fidem, nec in hoc ſtudium præcipue incumbendum eſt, ut conſeruemus corporalem uitam, ſed ut conſeruemus Chriſtum, ueram & ſempiternam noſtram uitam. Quod cum ita ſe habeat, manifeſtum nunc eſt, quid ſibi hoc uelit, quod ſequitur. Nemo uenit ad patrem, niſi per me. Si cognouiſſetis me, & patrem meum utiqne cognouiſſetis. Cum enim ſolus Chriſtus ſit uera uia ad patrem, perſpicum eſt, ꝙ nemo poſsit Deū cognoſcere, quàm clemens, & ꝙ miſericors ſit, niſi per Chriſtum, nemo itē poſsit Deo gratus & acceptus eſſe, niſi propter Chriſtum, adhęc, nemo poſsit clementia Dei confidere & nomen eius inuocare, niſi propter Chriſtū, deniq; nemo poſsit uel in hac corpali uita Deo gratum officium facere, uel ex hac uita, cęleſtium bonorum hęreditatem adire, niſi per Chriſtum. Hęc nobis ſcienda, hęc meditanda, hęc cogitanda, hęc facienda ſunt. Tria enim ſunt, ad quæ præſtanda uocati ſumus, uidelicet, ut recte credamus, ut bona obedienter faciamus, & ut mala patienter feramus. Si autem probe cognoſcimus Chriſtum eſſe uiam, ueritatem & uitam, rectiſsima erit fides, ſummns nimir cultus, quem deo poſſumus præſtare. Et quis ex hac cognitione, non accenderetur ad obediendum eius uocationi, à quo tot beneficijs obruimur? quis item aduerſa non patienter toleraret propter hunc, quem ſciat præſentē ſuum ac perpetuum eſſe ſeruatorem? Quare non eſt ullo modo committendum, ut ſinamus nobis ex animo, ex fide noſtra hoc dictum Chriſti excuti, ſed ſummo ſtudio adnitendum eſt, ut cōtinenti rccordatione eius inflammemus fidem, in nobis, & contineamus nos in officio, quo perueniamus ad ueram & perpetuam ſalutem in Ieſu Chriſto domino noſtro, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XXV.

TSI Apoſtolus Thomas prodidit imperitiam ſuam, cum ſermonem Ieſu Chriſti interpellaret. Domine, inquiens, neſcimus quo uadis, et quomodo poſſumus uiam ſcire? tamen fecit nobis gratiſſimum officium, ꝙ hac occaſione didicerimus & cognouerimus, quę ſit uera uia ad deum patrem, & ad omnia diuina ac cœleſtia bona. Tale officium præſtat nobis etiam Apoſtolus Philippus. Cum enim Chriſtus dixiſſet: Si cognouiſſetis me, & patrem meum utiq; cognouiſſetis, addit: Amodo cognoſcitis eum, & uidiſtis eum, quibus uerbis ſignificat Chriſtus, ꝙ cum Apoſtoli cognouerunt ipſum ex Euangelio ſuo, ac uiderunt ipſum doctrinam Euangelij ſui magnis ac multis miraculis confirmare, cognouerint etiā ac uiderint uerū deum, propterea ꝙ ipſe, qui hæc dixerit ac

rit ac fecerit, non tantum sit homo, sed etiam uerus Deus. Philippus autem non intelligit hæc uerba. Quare sicut antea Thomas, ita nunc & Philippus interrumpit sermonem Iesu. Et dicit ei: Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Hęc Philippi uerba, non sunt à nobis festinanter prætereunda. Quod enim Philippus loquitur, non est recens ab ipso excogitatum, sed est iam inde ab initio orbis terræ, tam à pijs quàm ab impijs magno semper desiderio expetitum. Multa enim & præclara dici solent de Deo, & tamen nullus unquam fuit, qui Deum uere uisibilem hominibus ostendere potuerit. Quare homines excitati sunt ut inquirerent. Primum formam, faciem, aut figuram Dei, Deinde mentem, animum & uoluntatem eius. Recte enim iudicauerunt, maximam hominis fœlicitatem, in cognoscendo & uidendo Deo consistere. Itaq; quod Philippus dicit: ostende nobis patrem, & sufficit nobis, (hoc est) nihil potest nobis nec iucundius nec fœlicius contingere, quàm si ostēderis nobis Deum, ut uideamus & cognoscamus eum, hoc idem omnes homines, qui modo honesta mente præditi, & diuinarum rerum studiosi fuerunt, (nam qui uentrem suum pro Deo colunt, his iucundius est bonum uinum, quàm uerum Deum uidere) magna semper cupiditate desiderarunt, nec tamen ullus hominum potuit hoc in his terris consequi, priusquā Iesus Christus filius Dei, ac uerus ipse Deus, homo factus est. Eua omnium nostrū mater, audiuerat Deum promisisse, q̄ uelit sese assumpta forma hominis mundo ostendere, & mundum redimere. Quare cum peperisset Caïnum, putauit se iam Deum ipsum uidere, & exclamauit possedi hominem, DEVM. Sed hęc opinio multum fefellit miseram mulierem. Non enim uidit Deum seruatorem, sed potius hominem, aut, ut ita dicam, Satanam, perditorem. Iacob patriarcha, profectus cum familia sua è Mesopotamia, uenit in Phanuel, & postquam colluctatus esset per noctem cum angelo usq; ad matutinum tempus, & accepisset ab eo benedictionē, ait, Vidi dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Quid? ergòne dicemus Iacobum uere uidisse faciem domini Dei? Sed Deus nondum assumpserat hominē. Quare etsi Iacob uidit speciem quandam uiri, qua Deus præsentiam suam testabatur, Ideoq; Iacob recte dixit: Se uidisse DOMINVM facie ad faciem, hoc est, aperto cognouisse pręsentiam Dei, tamen ea species non erat uere Deus. In Exodo uidit Moses rubum ardentem, & audit ex eo uocem dicentem: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. Et tamen rubus nec erat Deus ipse, nec uera Dei facies, sed tantum miraculum ostendens & testificans pręsentiam Dei. Non ignorauit aūt Moses, se non uidisse ueram Dei faciem. Quare, cum flagraret maximo desiderio uidendi Dei, dicit,

Exo.33. postea: Si inueni gratiam in cõspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te. Hęc plane cum uerbis Philippi conueniunt: Domine, ostende nobis patrẽ & sufficit nobis, sed audit Moses: Ostendam quidem tibi omne bonum, faciem autem meam uidere non poteris. Non uidebit me homo, & uiuet, hoc est, Assumam quidem hominẽ, & ostendam me hominibus uisibilem, hoc autem tanto tempore post futurum est, ut nullus hodie hominum uiuat, qui possit ætate sua ad id tempus pertingere. Quare nec tu, nec alius quispiam homo, qui nunc uiuit, poteritis me hominem factum, hoc est, faciem meam uidere. Esaias dicit se uidisse DOMINVM sedentem super solium excelsum et eleuatũ, ac audiuisse Seraphim acclamare ei, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dñs Deus Zebaoth, plena est omnis terra gloria eius. Hęc fuit quidem reuelatio gloriæ & maiestatis Christi ueri Dei, quemadmodum supra cap. xij. explicatum est, non autem fuit uera facies Dei, quia Christus qui est uerus Deus, nondum assumpserat hominem. Ac breuiter, etsi Patriarchæ & Prophetæ magno desiderio uidendę faciei Dei flagrarunt, tamen quia nondum erat tempus, quo Deus homo fieret, non potuerunt desiderium suum explere. Consecuti quidẽ sunt ueram salutẽ per fidem, quam adhibuerũt cœlestibus promissionibus de filio Dei, hoiem assumpturo, & liberaturo, ipsam aũt faciẽ filij Dei, quæ postea in homine ostensa est, non uiderunt. Vnde & Christus ad Apostolos suos ait: Vestri beati sunt oculi, quia uident, & aures uestrę, quia audiunt. Amen enim dico uobis, q̃ multi Prophetę & iusti desiderarunt uidere, quę uidetis, & non uiderunt, & audire, quę auditis, & non audierunt. Atq̃ hęc quidem de Patriarchis & Prophetis. Dicamus etiam de Ethnicis aut gentibus alienis à populo Dei. Nam & hi tenebantur desiderio uidendi Dei, sed quia caruerunt uerbo Dei, ideo finxerunt sibiipsis uarias Dei formas. Alius putauit se faciem Dei uidere, cum uidebat statuã quandam Iouis aut Mercurij. Alius credidit se faciem Dei uidere, cum uidebat Crocodilum, aut felem, aut aliud genus animantis. Alius existimauit se uidere faciem Dei, cum uidebat heroa quendam aut Monarcham, uidelicet, Alexandrum Magnum, aut Neronem, aut Domitianum, quibus etiam tam uiuis q̃ mortuis instituti sunt diuini honores, sed hi impiissime erraruerunt. Non enim uiderunt faciem Dei, sed aut lignum, aut lapidem, aut argentum & aurum, aut bestiam, aut bellatorem quendam, aut monstra potius hominum, q̃ homines. Consideremus etiã gentium Philosophos, qui propter eruditionem uoluerunt uideri plus sapere, q̃ uulgus hominum. Hi noluerunt tam rudes uideri, ut mutarent, sicut uulgus, gloriam immortalis Dei, in imaginem mortalis hominis, aut uolatilium, quadrupedium, & reptilium, quemadmodum

modum Paulus ait, ſed extulerũt ſeſe, altius ad inueſtigandam ipſam cœleſtem Dei faciem & maieſtatem. Quid ergo factum eſt? Cum diu multũq; faciem Dei ſuo ingenio ſcrutarent, eò tandem uenerũt, ut alij prorſus negarent eſſe Deum, alij ingenue faterent, non poſſe humano captu comprehendi, quid ſit Deus. Simonides interrogatus à Hierone Siculo, quidnã, aut qualis eſſet Deus, petijt ſpatiũ unius diei ad deliberandũ, deinde petijt biduum, ac poſtea ſæpe ſpatiũ deliberandi duplicãs, & rogatus, quid ſibi uellet hæc procraſtinatio, reſpõdit ingenue: Quo diutius cogito, eò res mihi obſcurior uidetur. Vides tam pios q̃ impios flagraſſe ſtudio uidendæ & aſpiciendæ diuinæ faciei, ſed hoc non potuit, ante Chriſtum natũ, ulli hoim contingere. Quod de uidenda facie Dei diximus, hoc idem dicendũ erit de inueſtiganda & perſcrutanda uoluntate Dei. In Eccleſia Iudæorum fuit propitiatorium, è quo Deus ſe cum Moſe collocuturꝰ, & uoluntatem ſuam manifeſtaturꝰ recepit. Inde, inquiens, præcipiam, & loquar ad te de medio duorꝰ Cherubim. Hoc propitiatorium fuit quidem diuinitus inſtitutũ, non aũt in hunc uſum, ut ex eo uera & perpetua diuinæ uoluntatis manifeſtatio prodiret, ſed ut ex eo ſignificarent nonnulla ad tempus quæ ad Rempub. Iſraeliticã pertinerent, & ut eſſet adumbratio ueri propitiatorij, è quo tandem Deus manifeſte cum hominibus collocuturus, & uoluntatẽ ſuam perpetuam clare expoſiturus eſſet. Eſt & Lex diuinitus per Moſen data, ut reuelaret uoluntatẽ Dei. Sed quid? Lex reuelat magis iratam, q̃ clementem Dei uoluntatem. Lex, inquit Paulus, oſtendit pc̃tm̃, operatur iram, & occidit. Quare ad conſequendam ſalutem, non eſt ſatis cognoſcere uoluntatẽ Dei ex lege. Quid aũt dicam de Ethnicorum commentis, quibus conati ſunt uoluntatem Dei perſcrutari? Hi em̃ obſeruarunt magno ſtudio ſomnia, auguria, auſpicia, & extiſpicia, ut ex iplis uoluntatem Dei cognoſcerent. Vocarunt aues, deorum linguas, q̃ exiſtimauerint, aues ſignificare hominibus mentem Dei uel uolatu, uel garritu, uel etiam paſtu. Habuerunt & Tripodes, è quibus putarunt ſe haurire cognitionem diuinæ uoluntatis. Nec ex his tantum, ſed etiam è calculis, uirgis, lignis, lapidibus, frumento & farina, uoluntatem Dei perſcrutari conati ſunt. Sed hæc fuerunt uaniſsima commenta, quibus magis Satan illuſit mentibus impiorum, q̃ Deus patefecit ſuam uoluntatẽ. Quid igiẽ faciemus? aut quo nos uertemus, ut uideamus faciem Dei, & cognoſcamus uerã ac perpetuã eius erga nos uoluntatẽ? Hic audiendum nobis eſt, quid Ieſus Chriſtus reſpondeat Philippo. Dicit ei Ieſus: Tanto tempore uobiſcũ ſum, & non cognouiſti me, Philippe, QVI VIDET ME, VIDET PATREM. Et quomodo tu dicis: Oſtende nobis patrem? En hoc loco perſpicue docemur, ubi ui-

deamus Deum, & cognoſcamus uoluntatem eius. Qui me uidet, inquit Ieſus Chriſtus, uidet patrem. Quid ergo? Num Deus habet oculos, manus, pedes, & alia membra, ſicut homo? Manifeſtum quidem eſt, quod Deus ſit natura ſua incorporeus, ſed qui uidet Ieſum Chriſtum, is eum uidet hominem, quo cum coniunctus eſt in unitate perſonæ uerus & æternus Deus. Vnde & ſequitur: Non credis, q̃ ego
,, in patre ſum, & pater in me? hoc eſt. Ego & pater ſumus quidem duę diſtinctę perſonę, ipſe pater, ego filius, ſed ſumus unus tantum uerus & æternus Deus. Non ſumus unum tantum animi concordia, quemadmodum homines amici inter ſe unum ſunt, ſed ſumus unum eſſentia, & natura. Ex quo & illud ſequitur, quod infertur: Verba, quæ ego loquor uobis, à meipſo non loquor. Pater autem in me manẽs, ipſe facit opera, hoc eſt, Cum pater & ego ſimus unum eſſentia, clare ſequitur, q̃ etiam ſimus unum uolũtate & operatione, ideoq̃, quę ego loquor, nõ ſunt ſolius hominis, ſed ueri Dei uerba, & quę ego facio, non ſunt ſolius hominis, ſed ueri Dei facta. Quid ergo nunc amplius de conſpicienda facie Dei requiris? Vide Ieſum Chriſtum, crede in Ieſum Chriſtum, & uides uerum Deum ipſum, atque credis in uerum Deum. Vt enim Ieſus Chriſtus eſt uerus Deus, ita extra eum non eſt alius Deus. Sunt quidem aliæ duæ perſonæ in diuina natura, Pater et ſpiritus ſanctus, non eſt autem alius Deus, prꝛter Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum. Hunc deſiderarunt uidere Patriarchę & Prophetæ, ut uiderent faciem Dei. Ac uiderunt quidem ipſum fide, non autem potuerunt eum, pro ratione temporis, uidere, quemadmodum uiderunt eum Apoſtoli, & quemadmodum etiam nos ipſum ex reuelato eius Euangelio uidemus. Nunc enim, propius adeſt nobis ſalus, ut Paulus ait, q̃ tum cum credebamus. Deinde, quid amplius de perſcrutanda uoluntate Dei ſollicitus es? Perſcrutare uoluntatem Ieſu Chriſti, audi Euangelion Ieſu Chriſti, & habebis omnem arcanam Dei uoluntatem, quatenus quidem ꝛternæ tuę ſaluti neceſſarium eſt, cognitam atq̃ perſpectam. Non enim uult, nec poteſt cognoſci uerus Deus, niſi in filio ſuo Ieſu Chriſto. In hoc ſe manifeſtaturum, & cum hominibus collocuturum, promiſit iam antea per Moſen. Non inueniatur, inquiens, in te, qui ſciſcitetur ariolos, & obſeruet ſomnia & auguria, non ſit maleficus, nec incantator, nec conſulat phytones, nec diuinos, nec quærat à mortuis ueritatem. Vnde ergo quęret eam? Sequitur. Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi DOMINVS Deus tuus, IPSVM AVDIES. Et mox dicit DOMINVS Deus ipſe: Ponam uerba mea in ore eius, loquiturq̃ ad eos omnia, quæ præcepero illi. Hic Propheta eſt Ieſus Chriſtus filius Dei, quemadmodum Apoſtolica doctrina interpretatur.

terpretatur. Quare qui uult audire Deum ipsum loquentem, & uolũtatem eius cognoscere, is Iesum Christum, qui est uerus Deus, & in cuius ore uerba Dei posita sunt, audiat necesse est. Quod Moses de Christo contionat, hoc idem pater ipse, uoce è cœlo sonanti, de Christo testificatur. Cum enim Iesus Christus baptisaretur à Ioanne, & postea glorificaretur coram tribus discipulis in monte, dixit Deus clara uoce de ipso. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est, HVNC AVDITE. Non est igitur uel in cœlum conscendendum, uel trans mare currendum, uel in eremum secedendum, uel angelus de cœlo expectandus, uel acutis humanę rationis cogitationibus inhęrendum, ut Deum uideas, & uoluntatem eius cognoscas, sed uide, audi, disce, cognosce Iesum Christũ, & uidebis atq; cognosces uerum DOMINVM Deum nostrum. Cum ergo Iesus Christus sit uerus Deus, & oĩa dicta ac facta eius, sint uere dicta atq; facta Dei, operæprecium est nunc cognoscere, quæ Iesus Christus dixerit & fecerit, ut ex ipsis cognoscamus, quę Deus ipse uelit, ac faciat. Dicamus autem primum de dictis eius. Verba, inquit, quę ego loquor uobis, à meipso non loquor. Hęc ita dici uidentur, perinde ac si per uerba, intelligenda essent facta, more hebręo, præsertim cum sequatur: Pater autem in me manens, ipse facit opera, ut sit sensus. Quæ facio, non à meipso facio, sed pater in me manens, facit ea. Hoc quidem non absurde dicitur, sed commodius uidetur, ut sentiamus Christum loquitam de dictis, quàm de factis suis. Cum autem nobis hoc loco sermo est de dictis Christi, non loquimur de uniuerso genere dictorum eius, sed tantum de eo genere, propter quod hominem assumpsit, & in hanc terram missus est. Multa dixit Iesus Christus de lege, de uera sententia legis, decq; futura Iudęorum calamitate, quę etsi sunt uerissima & diuinissima, tamen hoc non fuit officium illud, propter quod Christus præcipue in hanc terram uenit. Proprium autem officium eius est, prædicare Euangelion, q̃ ipse solus sit uerus Messias, & q̃ propter ipsum solum contingat hominibus salus. De his dictis sermo nunc est, quæ & perspicue in Apostolicis scriptis extant. Dixit enim: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos: Dixit: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Dixit item: Ego sum resurrectio & uita, Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet: Et omnis, qui uiuit & credit in me, non morietur inęternum. Dixit multa id genus alia, quemadmodum Euangelistę testantur. Quid ergo ad ista dicemus? Putas ne, cum hæc audis, te audire humana somnia? Nihil certe minus. Ipsam enim DEI uocem audis, qua tibi uoluntas

Dei aperte exponit. Cum ergo Christus dicit: Ego reſocillabo uos, manifeſte cognoſcimus, hanc eſſe Dei ipſius uoluntatẽ, ꝙ uelit hoĩes in afflictionibus ſuis iuuare. Cum Chriſtus dicit: Deus dedit filium ſuũ, ut oĩs qui credit in eum non pereat, clare intelligimus, hanc eſſe Dei uoluntatẽ: ꝙ uelit hoĩes ſeruare. Cum dicit: Omnis qui credit in me, non moritur, perſpicue docemur, hanc eſſe Dei uoluntatẽ, ꝙ uelit homines liberare in morte, & dare eis ꝙternã uitam. Atꝙ hęc quidem de dictis Chriſti. Conſideremus nunc etiam facta eius. Sunt aũt uaria genera factorum eius, quę oĩa non eſt huius loci percurrere. Eiecit uendentes & emẽtes flagellis é templo, maledixit ſterili ficui. Hęc ſunt quidem diuina facta, & ſuo quodam conſilio à Chriſto peragenda ſuſcepta, nos autem loquimur nunc de ĩjs factis, ad quæ ſuſcipienda Chriſtus pręcipue in hanc terram miſſus eſt. Ea aũt ſunt, quę Chriſtus ipſe apud Lucam ex Eſaia cõmemorat. Miſeris adnunciare Euangelion, ſanare contritos corde, prędicare captiuis remiſſionem, redde
Act.10. re cęcis uiſum, & liberare uinctos. Dicit & Petrus de ipſo: Obambulauit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo. Non ſolum enim ſanauit ęgrotos corpore, ſed quod longe omnium maximũ eſt, ſanauit ægrotos mente, ſuſcepit peccatores humaniſsime, & remiſit eis peccata gratis, mera clemẽtia & miſericordia. Confide, inquit, fili: Remittuntur tibi peccata tua. Et ad mulierem: Remittuntur tibi peccata tua, fides tua te ſaluam fecit, uade in pace. Ac poſtremo omnium ſuſcepit turpiſsimam mortem, ut ſua morte peccata noſtra expiaret, mortẽ uinceret, & ueram ac perpetuã uitam nobis pararet. Ex his Chriſti factis, manifeſte obſeruari & cognoſci poteſt, ꝙ uolũtas Dei huc ſolum propẽdeat, ut benefaciat, remittat pctã, ſeruet periclitãtes, et ducat eos per mortem, in perperuam uitam ac fœlicitatem. Quare, qui flagrat deſiderio uidendi Dei, & cognoſcendæ uoluntatis eius, neceſſe habet, ut leſum Chriſtum uideat, & tum dicta tum facta eius cognoſcat. Sic eñ & uerus Deus uidetur, & certiſsima Dei uoluntas cognoſcitur. Non uidet Deum, nec cognoſcit uoluntatem eius, uel Idolatra Ethnicus, uel Turca, uel Iudæus, uel hypocrita, propterea quo'd hi partim non agnoſcunt Chriſtum, partim aperte contemnunt eum, & execrantur, partim non requirunt officium euis. Nos autem, quibus Chriſtus & officium eius, per Euangelion cognita ſunt, uidemus uerum Deum per fidem, & cognoſcimus uoluntatem eius. Ac multa quidem ſunt, in quibus uidemur eſſe à Deo deſerti. Alius præmitur onere paupertatis, alius affligitur grauitate morbi, alius conturbatur horrore mortis, & hæc ita ingraueſcere ſolẽt, ut Deus uideatur non ſolum à nobis diſceſsiſſe, uerumetiam nos abieciſſe, ſed bene adhuc habet, ſi Chriſtum per fidem habemus,

fieri

fieri enim non potest, ut ibi non sit Deus, ubi Christus est. Ego, inquit, in patre sum, & pater in me. Nec sentias, quubi Christus est, ibi sit quidem Deus, sed iratus, durus, inexorabilis, contemptor, & condemnator. Talis quidem est Deus, ubi non est cognitio Christi. Vbi autem Christus per fidem cognoscitur & habetur, ibi Deus non est, nisi clemens, misericors, liberator & seruator, etiamsi humano captui & sensui longe aliud uideatur. Quid ergo? inquis, Si Deus non est desertor eius, qui habet Christum, cur Christus ipse clamat in cruce: Deus meus, Deus meus, ut quid me deseruisti? Si Deus deseruit Christū, quomodo non desereret etiã eos, qui Christum per fidem habẽt? Sed Psalmus ipse è quo hic clamor Christi sumptus est, interpretat quales fuerit hęc desertio, Christus enim sic desertus fuit à Deo, ut non iuuaretur externo aliquo miraculo, sicut sępenumero patriarchę adiuti, & è periculis erepti erant. Sicut Dauid, Elias, Ezechias et alij. Vnde sequitur in psalmo: In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt & liberasti eos, uidelicet externis miraculis. Non autem sic erat desertus, ut nullo modo, ac ne spirituali quidem & cœlesti modo adiuuaretur & conseruaretur. Nam tunc Deus maxime omnium de Christo filio suo sollicitus fuit, & curauit eum extollendum in summam sublimitatem. Audis quidem clamorem Christi in cruce, Deus meus, ut quid me deseruisti. Sed considera mihi huius clamoris euentum, Christus enim paulo post tanta gloria resurgit à morte, ut consideat ad dextram Dei, & consequatur nomen supra omne nomen, ut in nomine eius omne genu se flectat cœlestium, terrestrium, & infernorum. Hoccine est à Deo deseri? Nihil certe minus, sed est uere à Deo conseruari. Nec hoc uni tantum Christo cõtigit. Christus enim in hoc desertus est à Deo, ne eriperetur à cruce externo miraculo ut per crucem & mortem reconciliaret nos cum Deo, & impetraret, ut quicunqꝫ in ipsum credit, nunquam deseratur à Deo, etiamsi humano sensui uideatur desertus. Quare ponamus maximum nostrũ studium in cognoscendo & retinendo Christo per fidem, ut uerum Deum cognoscamus, & ab ipso uere conseruemur, per Iesum Christum dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXVI.

QVę hactenus contionatus est de seipso Iesus Christus, etsi ueriſsima sunt, uidentur tamen humana conditione maiora & excellentiora. Dixit enim, se esse uiam, ueritatem & uitam. Dixit: Qui me uidet, uidet & patrem. Dixit: Ego in patre sum, & pater in me. Quibus uerbis p̃dicat se non tm̃ hominẽ sed etiã uerũ ab ęterno Deum esse. Cum igit hęc ampliora sint, q̃ quę

absq; certis & firmis testimonijs ab hominibus agnoscantur, addit nunc Christus testimonia, quibus probat se uere illum esse, quem
„ prędicauit. Credite mihi, inquiens, quod ego in patre sum, & pa-
„ ter in me, alioqui propter ipsa facta credite. Dixi me esse uerũ deum, aliam quidem personam á patre, Sed quod ad naturam, essentiam, & maiestatem attinet, eundem plane deum. Non ignoro hoc uerbum uideri admirabile, & parum fidei facere, si ab homine, qui nulla externa maiestate prędituſ sit, dicatur. Ego uero hoc, non uerbis tantũ dico, uerum etiam testificor factis. Quare si uobis non faciunt fidẽ mea uerba, faciãt eã mea facta. Quę ergo sunt facta illa, quę Christus hoc loco in testimonium allegat? Nihil hic obscuri dicitur, Christus enim loquitur de miraculis suis, quæ tam in uita sua corporali quàm post resurrectionem per Apostolos suos ędidit. De his factis aliàs quoq; dicit. Opera quæ dedit mihi pater, ut perficiam ea, ipsa, inquam opera, quę ego facio, testificantur de me, q; pater miserit me. Et iterum, Opera quæ ego facio nomine patris mei, hæc testimonium reddunt de me. Postquam enim Iesus Christus baptisatus est a Ioanne, non solum suscepit officium prædicandi Euangelij, uerumetiam ędidit plurima & maxima miracula. Aquam mutauit in uinum, ęgros restituit sanitati, cæcis restituit uisum, leprosos mundauit, paralyticos sanauit, mortuos excitauit, & id genus multa miracula fecit, de quibus dicit: Si mihi non creditis, operibus credite. Sed quid? inquies. An non Prophetę ędiderunt etiam miracula? An non & Ægyptiaci magi ędiderunt miracula? Quid, q; & impostorum & Satanæ quædam miracula commemorentur? Surgent, inquit Christus, pseudochristi, & pseudoprophetę, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi. Si ergo miracula probant personę diuinitatem, dicemus ne uel prophetas uel etiam pseudoprophetas esse ueros Deos, q; ędiderint miracula? De hac re etiam aliàs diximus, sed quia hic locus nos admonet, dicamus & nunc quędam, ut miraculorum ratione recte cognoscamus. Nam, quę sunt uere diuina miracula, ea non in hunc usum ęduntur, ut per se probent diuinitatem eius personę, quę ędit miracula sed ut commendent doctrinam eius, non ut nouam doctrinam aduersus uerbum dei antea probatum, iustituant, sed ut ueterem doctrinam uerbum dei renouent, restituant, conseruent, ac impleri testificentur. Proponamus igitur nobis duos illos heroes, qui ędendis miraculis prę omnibus alijs in toto orbe terrarum illustres fuerunt, ut cognoscamus rectum usum miraculorum. Alter fuit Moses, Alter Iesus Christus. Quanta enim miracula ædiderit Moses in Ægypto & deserto manifestius est ex scriptura, quàm ut debeat hoc loco multis com-

Miraculorũ ratio.

tis commemorari. Hæc igitur miracula non teſtificabantur Moſen eſſe natura Deum, ſed teſtificabantur doctrinam eius, eamq; non nouam, ſed ueterem iam antea confirmatam. Moſes enim docebat in Ægypto, ꝙ iam inſtaret tempus, quo Iſraelitæ egreſſuri eſſent liberi ex Ægypto, in patriam ſuam terram Canaam. Hæc doctrina de liberatione Iſraelitarum ex Ægypto, & de accipienda terra Chanaan, idq; eo tempore, quo Moſes in Ægyptum uenit, non fuit noua, ſed ante multos annos promulgata, & confirmata. Dictum eſt enim diuinitus ad Abrahamum. Semen tuum futurum eſt peregrinum in terra non ſua, & ſubijciẽt eos ſeruituti, & affligent QVADRINGENTIS annis. Gen. 15
Veruntamen gentẽ cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo, & poſthęc egredientur cum magna ſubſtantia. Et mox: Generatione quarta huc reuertentur. Hæc eſt doctrina, quæ ſub Abrahamo diuinitus promulgata, & cœleſtibus teſtimonijs confirmata erat. Quo autem tempore Moſes uenit in Ægyptum, complebantur quadringenti anni, & erat iam quarta Generatio ab Abrahamo. Hic ex una parte ędebat Moſes miracula, ex altera autem Magi Ægyptiaci. Ac Moſes quidem prędicabat eam doctrinam, quæ quondam diuinitus erat inſtituta, & à patriarchis, quaſi per manus, poſteris ipſorum tradita. Magi autem obſiſtebant huic doctrinæ, & contendebant eam eſſe mendacem. Cum igit̃ tam Moſes ꝙ Magi ęderent miracula, ad teſtificandam doctrinã ſuam, quibus miraculis fides erat adhibenda? Conſidera doctrinam, & manifeſte uidebis, quę miracula ſint uerę diuina. Magi docebant noua aduerſus ueterem, & probe confirmatam doctrinam Dei. Moſes autem docebat ueterem doctrinam. Quare Moſis miracula erant uere diuina, Magorum autem Satanica, in hoc uero diuinitus permiſſa, ut Deus tentaret quemadmodum lex loquitur, Iſraelitas, num dilí- Deut. 13.
gerent ipſum in toto corde & tota anima ſua. De Ieſu autem Chriſto, nihil notius eſt in toto orbe terrarum, ꝙ ꝙ ædiderit plurima & maxima miracula. Etſi autem Chriſtus eſt uerus ab ęterno Deus, tamen hęc miracula, non teſtificabantur per ſe, per ſe inquam, diuinitatem eius, ſed teſtificabantur doctrinam eius. Quid ergo docuit? Docuit ſe eſſe uerum Meſſiam ſeu Chriſtum, & uerũ ab æterno Deum. Hęc doctrina non erat noua. Sed iam ante diuinitus per patriarchas & prophetas ꝓmulgata. Ab initio eñ orbis terrę diuinitus promiſsũ fuit, ꝙ uenturus eſſet Meſſias, qui liberaturus eſſet humanũ genus à ꝓpetuo ſuo interitu. Prȩterea prędicatũ erat, ꝙ hic Meſſias nõ ſit tñ homo, & filius Dauidis, ſed etiã ſit uerus deus, & naturalis filius dei, quẽadmodũ aliàs oſtendimus. Adhęc definita erat familia inᵗ Iſraelitas, ex qua Meſſias hõ naſceret, definitũ erat tẽpus q̃ naſceret, defini-

tus erat etiam locus natiuitatis, definitę erant & alię circumstãtię, quę certo demonstrarent personam Messię. Venit igitur Iesus filius Marię, & cum manifestissimum esset, ꝙ omnes illę circumstãtię, quibus prophetę Messiam descripserunt, conuenirent in ipsum solum, ædidit miracula, quibus non uoluit nouam doctrinam constituere, sed ueterem confirmare, & impletionem eius testificari. Porro, quemadmodum Mosi restiterunt magi Ægyptiaci, ita etiam fuerunt pseudochristi, qui signis & prodigijs suis restiterunt Christo. Vt enim nunc nihil dicam de his pseudochristis, qui post diuulgationem Euangelij per Apostolos in orbem terrę, iactarunt se esse Christos, ac populi liberatores, ꝗs Ioannes Antichristos uocat, en accipe tibi Spiritus impostores, qui hactenus tam interdiu ꝙ noctu in domibus tumultuari soliti fuerunt. Hi adiurati, clara interdum uoce adiuratoribus respondebunt, ac dixerũt se huius uel illius animam esse, pati autem intolerabiles dolores. An nõ hoc uidetur miraculum? Audiamus igitur, quæ fuerit horum spirituum doctrina, ut & de miraculis eorum iudicare possimus: Docuerũt enim, Ignem esse purgatorium, in altero seculo, in quo animę mortuorum expient peccata sua, & posse animas ex eo igni sacrificijs Missarum redimi. Hęc autem doctrina, non solum est recens conficta, sed etiam pugnat ex diametro cum ueteri doctrina Euangelij Christi. Euangelion enim docet, ꝙ solus Christus sit expiatio peccatorum nostrorum, & quòd qui crediderit in Christum, habeat æternam uitam. Qui uero non crediderit, sit perpetuo damnatus. Quare hæc spirituum miracula non sunt nisi impostura Satanæ, qui cum sit mendax & homicida, hoc unum agit suis miraculis, ut decipiat & occidat homines perpetua internitione. Dices autem: Si miracula uere diuina non probant personę diuinitatem, sed doctrinam, quid est quod Christus allegat nunc sua miracula, ad testificandam suam diuinitatem? Dicit enim. Credite mihi, quod ego sim in patre, & pater in me, hoc est, ꝙ sim uerus deus, alioqui propter facta ipsa credite. Diximus, miracula per se quidem non probare diuinitatem personę, sed quia doctrinam eamꝙ ueterem probant, idcirco consideranda est doctrina ipsa, ut intelligamus quid miracula per doctrinam probent. Moses & prophetæ non docuerunt se ipsos esse Messias & deos, sed Messię ueri dei seruos, ideoꝙ miracula ipsorum non probant ipsos esse Messias, ueros deos. Iesus autẽ filius Marię docuit se esse Messiam, uerum deum, iuxta prophetarum oracula: Cum igitur hęc fuerit doctrina Iesu, recte & apte allegat miracula ad probandam ueram & ęternam suam diuinitatem. Sed de miraculis hactenus. Habes autem unum argumentum, quo Iesus probauit ueritatẽ suæ doctrinę, adeoꝙ suę maiestatis, quam doctrina adnunciauit. Audiamus nunc & alterum argumentũ. Sic enim sequitur: Amen, amen

Matth. 24 & 1. Ioann. 2.

Missa pro defunctis.

dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & ma « «
iora his faciet, quia ego ad patrem uado. Hoc est aliud testimonium « «
maiestatis Iesu Christi, quod Christus eo libentius cõmemorat, quia plurimum facit ad consolationem discipulorum, quam in hac contione instituit. Ac uide mihi, quanta grauitate hoc dictum commendet: Amen, amen (inquiẽs) dico uobis. Certe obseruabile sit, necesse est, quod Christus etiam iuramento asseuerat. Non solum ego, inquit, ędidi multa & magna miracula, sed iuro etiam per meipsum, ꝙ efficiam, ut qui in me credit, faciat & ipse talia opa, adeoꝙ his maiora. Sciamus ergo quomodo hęc, quæ Christus promittit, impleta sint. Ac initio, quod hic dicit Christus ante mortem suam, hoc repetit & confirmat post resurrectionem suam. Dicit enim apud Marcum: Signa *Mar. 16.*
eos, qui crediderint, hęc subsequentur. Per nomen meum dæmonia ejcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si quid letale biberint, non nocebit eis. Super ęgrotos manus imponent, & bene habebunt. Quæ autem & ante & post resurrectionem suam Christus promiserat, ea tanta maiestate publice peracta sunt, ut omnes homines aspectu eorum obstupuerint. Marcus iterum dicit: Postꝙ Iesus receptus est in cœlum & consedit à dextris Dei, discipuli egressi, prędicauerunt ubiqꝙ domino cooperante & sermonem confirmante, per SIGNA subsequentia. Et in Actis apostolicis dicitur: Obortus est *Act. 2.*
omni animę timor, multaqꝙ prodigia & signa per Apostolos ędebantur. Et iterum: Per manus Apostolorum ędebantur signa & prodigia *Act. 5.*
multa in populo. Ac mox: Magis accrescebat credentiũ DOMINO multitudo uirorum simul ac mulierum, ita ut in plateas exportarent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabbatis, ut uenientis Petri uel umbra obumbraret aliquem illorum. Conueniebat autem & multitudo uicinarum ciuitatum Hierosolymam, afferens ęgros ac uexatos à spiritibus immundis, qui sanabantur OMNES. Non commemorabo nunc, quos claudos Apostoli sanauerint, quos mortuos excitauerint, illud tantum addam, quod scriptura de Paulo recitat: Virtutes, *Act. 19.*
inquit, nõ uulgares ędebat Deus per manus Pauli, ita ut etiam super infirmos deferrentur à corpore eius sudaria & semicincta, & recederent ab eis morbi, & spiritus mali egrederentur. Vere igitur ac manifeste impletum est, quod Christus hoc loco dicit: Amen amen dico uobis, Qui in me credit, opera quę ego facio, & ipse faciet. Sed quid, obsecro, illud est, quòd addit, MAIORA his faciet? Quomodo potuerunt Apostoli maiora facere opera, ꝙ Christus fecit? aut demonstra nobis, ubi ea fecerint? An non Christus cõdidit hunc mundum, & omnia, quę in eo sunt? Num credentes in Christum possunt maiorem & præstantiorem mundum, ac plures & excellentiores creaturas

condere? Sed quis non exibilaretur, qui hoc affirmare auderet? Dicam de minoribus q̄ꝑ est huius mundi creatio operibus. Christus restituit cęcis uisum, & excitauit mortuos. Quid maius aut excellentius potuerunt efficere Apostoli? Considerandum igitur est, q̄ Christus non loquatur hic de operibus immensę suæ maiestatis, quæ arcano modo omnipotenter facit, sed loquatur de operibus externi sui ministerij, quo inter Iudęos in carne fungebatur. Nam si de operibus inperscrutabilis omnipotentię Christi dicendum est, creauit Christus uniuersum mundū, conseruat mortuos in uita, & resuscitabit eos in extremo die. His operibus nullus uel Patriarcharum, uel Prophetarū, uel Apostolorum, uel Monarcharum, quamuis potentissimorꝝ, maiora, imo ne ęqualia quidem facere potest. Quare non fit hic de his operibus sermo. Si autem de ministerio Christi, (Vocat enim & Paulus eum ministrum circuncisionis, & Christus ipse affirmat, se non missum, nisi ad oues perditas domus Israëlis) dicendum est, scimus eum, cum adhuc in his terris corporalem uitam ageret, publico officio prędicandi Euangelij inter Iudæos functum esse. Quod igitur ad hoc externum officium attinet, Apostoli maiora fecerunt opera, (non autē sua, sed Christi uirtute, quemadmodum mox sequitur) q̄ꝑ Christus ipse fecit. Primum enim, in die pentecostes locuti sunt Apostoli & reliqui credentes uarijs linguis, quarum tamen nullam, pręter uernaculum humano modo didicerant. Nam cum Græcis loquebant̄ grece, cum Arabibus, arabice, cum Romanis, latine. Audimus eos, inquiūt, sua quisq̄ lingua, in qua nati sumus. Hoc tam inauditum fuit miraculum, ut omnes obstupescerent, ac mirarentur supra modum. Christus autē, cum fungeretur suo officio prędicandi Euangelij inter Iudęos, nunc̄ꝑ sic uarijs linguis locutus fuerat, sed etsi poterat pro sua maiestate etiam angelorum lingua loqui, tamen contentus fuit Euangelion una tantum eaq̄ uernacula sua lingua adnunciare. Deinde Apostoli protulerunt prędicationem Euangelij longius & latius, q̄ꝑ Christus, & plures etiam ad fidem Euangelij conuerterūt, q̄ꝑ Christus ipso suo externo ministerio conuertit. Nam Christus prædicauit Euangelion in una tantum Galilęa & Iudæa, Apostoli aūt peruagati sunt prędicatione sua totū orbem terrarꝝ. In omnem, inquit, terram exiuit sonus eorꝝ, & in fines orbis terrę uerba eorꝝ. Et Christus paucissimis Iudęis persuasit, ut ipsum pro Christo agnoscerent, imo cum raperetur ad crucem, omnes ab eo defecerunt. Apostoli autem adduxerunt ministerio suo ad fidem Euangelij, non solum plurimos Iudęos, uerumetiam innumeras Gentes. Addam & hoc, Christus non persuasit Iudęis, ut uel traditiones pharisaïcas abolerent, uel libros earum traditionum aut aliarꝝ impietatum cōbureret, Apostoli aūt persuaserunt Euā

gelij

gelij prædicatione Gentibus, ut Idola ſua abijcerent, & libros, in quibus continebatur impia doctrina, quamuis magno pretio æſtimatos, igni abſumendos traderent. In Epheſo multi erant, qui fuerãt curioſa & magica ſectati. Hi poſtquam audiuerunt Euangelion ab Apoſtolo Paulo, non ſolum abominati ſunt in corde ſuas ueteres impietates, ſed etiam contulerunt libros, & combuſſerunt eos coram omnibus, quos tamen libros manifeſtum erat ualere quinq; myriadibus argenti, hoc eſt, quinq; millibus aureorum Coronatorum. Hæc & id genus alia, ſunt opera illa, de quibus Chriſtus ait: Amen amen dico uobis, qui in me credit, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, ac maiora his faciet. Sed quid? inquies. Scio quidem Apoſtolos Chriſti tanta opera feciſſe, & miracula edidiſſe, num aũt Chriſtus de Apoſtolis tm̃ loquit? An non clare dicit. Qui in me credit? Hoc certe non tm̃ de Apoſtolis, ſed de omnibus in Chriſtum credentibus intelligendũ eſt. Videmus autem nõ omnes in Chriſtũ credentes, poſſe edere miracula. Quid ergo adhæc dicemus? Quid aliud diceremus, q̃ q̃d res ipſa loquitur, uidelicet, q̃ hæc dicta quidẽ ſint ad Apoſtolos, & de illis tantum, qui, cum Chriſtus contuliſſet in ipſos admiranda dona ſpiritus ſancti in die Pentecoſtes, & paulopoſt, prædicauerunt Euangelion eius tam inter Iudæos, quam inter Gentes, non autem ſentiendum eſt, q̃ tanta dona ſpiritus ſancti, collata ſint in ipſos, propter ipſos tantum, ſed maxime omnium propter uniuerſam Eccleſiam Chriſti. Non pro eis, inquit, rogo tãtum, ſed & pro ijs, qui credituri ſunt per ſermonem eorum in me. Et Paulus: Vnicuiq; noſtrum, inquit, data eſt gratia iuxta menſuram donationis Chriſti. Quapropter dicit: Cum aſcendiſſet in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus. De quibus autem donis præcipue loquatur ſpiritus ſanctus, mox exponit Paulus: Dedit, inquiens, alios quidem Apoſtolos, alios uero Prophetas, alios Euangeliſtas, alios Paſtores ac Doctores. In quem uſum? Num ut hi ſoli fruantur ſpiritu ſancto, & beneficijs Chriſti? nequaquam. Sed dedit hæc dona, propter Eccleſiã ſuam. Sequitur enim: Vt ſancti inſtaurentur ad opus miniſterij, ut ædificetur corpus Chriſti, donec perueniamus omnes in unitatẽ fidei & agnitionis filij Dei. Vides miniſterium Euangelij inſtitutum, & miraculis ornatum fuiſſe, non propter ipſos tantũ miniſtros, ſed propter uniuerſam Eccleſiã. Quare, etſi, cũ Chriſtus dicit: Qui in me credit, opa quę ego facio, & ipſe faciet, ac maiora his faciet, loquit tm̃ de Apoſtolis, & his credentibus, qui initio reuelati Euangelij poſt reſurrectionẽ Chriſti admirandis donis ſpiritus ſancti ad confirmandã ueritatẽ p̃dicationis Euangelij ornati fuerũt, intelligit tm̃ uniuerſam Eccleſiã, ac unũquemuis piũ in ipſum credentẽ, fruiturę beneficijs ſu-

is, ad quę commendanda, instituta fuerunt miracula, & factuꝝ longe maiora ac pręstantiora opera, q̄ aut si claudū sanaret, aut mortuū excitaret. Hęc em̄, & id genus alia miracula, magna quidē sunt, & illustria, ac fuerunt initio ad confirmandum ministeriū Euangelij necessaria, non est autem necessarium, ut unusquisq; pius talia externa miracula ędat. Nam qui per Euangelion ad credendum in Christum uocantur, hi ad opera longe maiora, q̄ ad ędenda externa miracula uocātur. Ac manifestū est, q̄ hi, qui credunt in Christum, maxima opera faciant. Primum enim, cōsequuntur remissionē peccatoꝝ et iustitiam coram Deo. Hoc certe maius opus est, q̄ sanare claudum, aut cęco restituere uisum. Deinde inflammant̄ caritate erga proximum, quod opus superat, teste Paulo, donum linguarum, & aliorꝝ miraculorum. Adhuc excellentiorē uiam, inquit Paulus, ostendo uobis: Si linguis hominum loquar & angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum æs resonans, aut cymbalum tinniens. Postremo uincunt mortē & flammas inferni, & accipiunt ęternam uitam, ut unà cum Christo domino suo regnent in perpetua fœlicitate. Hoc opus superat omnia genera miraculorum. Et tamen, qui hæc opera faciunt, sunt homines natura sua imbecilles, et in hoc seculo contēptissimi. Quid igit̄ est, q̄ ipsos tam potentes faciat? Vnde Apostoli tātas uires acceperunt, q̄ sanauerint claudos, & excitârint mortuos? Vnde reliquis tanta uirtus accidit, q̄ uincant non solū afflictiones huius corporalis uitę, uerum etiā mortem & infernū? Hoc docet Christus, cum addit: Quia ego uado ad patrem. Quid? an Christus, priusq̄ mortuus est, & resurrexit, ac ascendit in cœlum, non fuit apud patrem? Cur ergo ante dixit: Ego in patre sum, & pater in me? Hic considera mihi, q̄ Christus iuxta diuinam suam naturam, unius & eiusdem est naturæ ac maiestatis cū patre suo, ideoq; nunq̄ ab eo aut discesit aut abfuit. Si autem posueris tibi ob oculos humanitatem eius, tunc etiamsi humanitas coniuncta est cum diuinitate in unitate personę, tamen in diebus carnis suę, dicitur a patre abfuisse, propterea q̄ susceperat humanas imbecillitates, & tradiderat sese morti obnoxium, postq̄ autem mortuus est & resurrexit, dicitur ad patrem iuisse, propterea quòd per mortē & resurrectionē ingressus sit in regnū cœleste, & consederit ad dextrā patris, ut non solum intercederet pro nobis, ac redderet nobis patrē placatum, uerumetiā ut dñaretur diuina maiestate & omnipotentia tā in cœlo q̄ in terra. Cum ergo dicit: Maiora his faciet, quia uado ad patrē, sensus est: Ego etsi morior nūc, tamē non pereo morte, sed iterum resurgam, & accipiā summā potestatē in regno patris, ideoq; non solum impetrabo, ut uobis pater faueat, uerumetiā efficiam, ut maiora opera faciatis, q̄ ego externo meo ministerio feci. Hactenus nondū

fui

sui glorificatus. Nõ igitur mirũ est, quòd uix ea effecerim, quę Prophe ta quispiam faceret. Postq̃ aũt resurrexero à morte, ita glorificabor, ut uestro ministerio, multo plura et maiora effecturus sim, q̃ ego ante meo ministerio efficere uisus sim. Vnde & apud Matthæũ ascensurus in cœlum ait: Data est mihi oĩs potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete oẽs gẽtes, Baptisantes eos in noĩe patris et filij et spiritus sancti, docentes eos seruare oĩa quęcũq̃ p̃cepi uobis. Et ecce: Ego uobiscũ sum oĩbus diebus usq̃ ad cõsummationẽ seculi. Non est igit̃ existimandũ, q̃ Christus deseruerit ecclesiã suã, quia abiuit ad patrẽ, sed potius sentiendũ est, q̃ iam primũ recte & inseparabiliter sese cum ecclesia abitione sua coniunxerit, atq; adeo, qcquid nobis periculorũ & calamitatũ imminet, credendũ est, rem recte se habere, q̃ Christus abierit ad patrẽ, et sedeat ad dextrã dei. Non em̃ sedet ibi otiosus et ignauus rerũ spectator, sed sedet ut rex in regio throno, oĩa administrãs, & oĩa gubernãs. Nec sedet ibi solus, sed recipit ad se oẽs in ipsum credentes. Omnia, inquit Paulus, subiecit sub pedes illius, & dedit eum caput super oĩa ipsi ecclesię, quę est corpus illius, cõplementum eius, qui oĩa in oĩbus adimplet. Et mox: Deus, qui diues est in misericordia, cõuiuificauit nos unà cum Christo, simulq̃ cum eo resuscitauit, & simul cũ eo sedere fecit inter cœlestes. Hic palàm affirmat Paulus, Christum duxisse secũ credẽtes in ipsum, ad dextrã Dei, quẽadmodũ & Christus ipse supra dixit: Si abiero ad parandũ uobis locum, iterũ ueniam & assumã uos ad meipsum, ut ubi ego sum, & uos sitis. Quare si uel morbus, uel mors etiã ipsa minatur nobis exitium, meminisse debemus maiestatis nostrę per Christum partę, ut bene in oĩbus malis confisi, uictoriã cœlestis uitę reportemus, per Iesum Christum dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXVII.

EXposuit Christus duo factorũ genera, quibus ueritatem doctrinę suę, hoc est, diuinitatẽ suam probauit. Alia em̃ sunt Miracula, quę ipse in carne sua ędidit. Alia sunt miracula, quæ Apostoli in nomine eius, postq̃ acceperunt spiritum sanctum, ædiderunt. Addit ergo nunc tertium diuinitatis suę argumentũ, & dicit: Quicquid petieritis nomine meo, hoc faciam, ut glorificet̃ pater per filium. Si quid petieritis per nomen meũ, ego faciã. Dixi antea: Vos maiora opera facturos, q̃ ego fecerim. Quod cũ mea uirtute & potentia fiat, perspicuũ est, me esse uerũ deum, sed ut apertius intelligatis meã diuinitatẽ, ego non solũ efficiã, ut maiora faciatis opera, q̃ ego feci, sed eti

am efficiam, quicquid meo nomine petieritis. Omnes inuocantes patrem meo nomine ita exaudiam, ut quicquid petierint, cõsequentur: Si autem Christus exaudit inuocantes patrem suo nomine, & facit eos uoti sui cõpotes, quid aliud reliquũ est, q̃ quòd ipse sit in patre, & pater in ipso, hoc est, q̃ sit uerus & omnipotens Deus? Nisi eñ esset Deus, eiusdem naturæ, maiestatis, & omnipotentiæ cum patre, nõ posset inuocantes in omnibus ijs, quæ petunt, iuuare. Porro hoc dictum Christi non tantũ docet diuinitatẽ Christi, sed etiã erudit nos de uera inuocatiõe. Ac ne quis existimaret Christo temere excidisse, repetit hoc loco iterum, ac postea tertio: Amen, amen, inquiens, dico
Ioan. 16. uobis, quæcunq̃ petieritis patrem in nomine meo dabit uobis. Quare debemus hoc dictum magna obseruantia considerare & tenere, ut discamus ex eo recte orare, ac Deum ita inuocare, ut quicquid petierimus, impetremus. Manifestum enim est, q̃ Deus uocet nos ad orationem & inuocationem, mandatis suis. Iubet nos nomen suum uenerari, hoc certe est iubere, ut nomen ipsius inuocemus. Et: Inuoca me, inquit, in die tribulationis. Et: Petite, & accipietis. Sunt etiam multa alia dicta, quę iubent nos semper orare, nec unquam defatigari. Manifestum etiam est, q̃ Deus inuitet nos ad orationem & inuo-
Luc. 18. cationem promissionibus suis. Antequam clamauerint, inquit, ego exaudiam, adhuc loquentibus ipsis ego audiam. Et iterum: Quicunque inuocauerit nomen DOMINI, saluus erit. Manifestum & hoc est, q̃ necessitas nostra urgeat nos ut oremus, & inuocemus DOMINVM. Sed hoc opus, hic labor est, ut RECTE oremus, ne oratio nostra fiat nobis in peccatũ, & repellamur à Deo. Sumamus igitur hoc dictum Christi in manus, imo in mentẽ & animum nostrum, ut cognoscamus ex ipso rectum modum orandi & inuocãdi Dei. Quicquid petieritis, inquit, nomine meo, hoc faciam. Primum omnium considerandum est uerbum PETENDI. In oratione enim seu inuocatione, petendum est aliquid. Oratio debet esse PETITIO. Ergo non orãt, qui alienata mente, uerba tantum recitãt. Deinde quod dicit, QVICQVID, uel Quodcũq̃, nihil excipit, q̃d non sit petendũ in oratiõe. Omnia, quę exigit nostra necessitas, petenda sunt. Enumerant aũt duplicia bona q̃bus humana necessitas indiget. Alia sunt corpalia, ut sanitas corporis, alimẽta, et id genus reliqua. Alia sunt spiritualia et cœlestia, ut sunt, Remissio pc̃tõr̃, iustitia, conseruatio in morte, & æterna beatitudo. Cum ergo dicit: Quodcunq̃, nihil horũ bonorũ excipit, sed uult, ut inuocemus Deum in indigentia tam corporalium, q̃ spiritualium bonorũ. Pręterea considerandum etiã erit, QVIS sit inuocandus. Hoc quidẽ loco nõ addit, PATREM, sed postea cap. xvi. diserte ait Christus: Quæcunq̃ petieritis PATREM. Non remittit nos

sit nos Christus ad inuocandos uel Patriarchas, uel Prophetas, uel Apostolos, uel Martyres, uel alios sanctos mortuos, sed ad Deum patrem uiuum. Ergo, inquis, nec filius, nec spiritus sanctus sunt inuocandi? certe sunt, quia unus est Deus pater, filius & spiritus sanctus. Quare qui uere inuocat patrem, is etiam inuocat filium & spiritum sanctum. Et tamen suus est personarum diuinitatis ordo. Pater enim à nullo est genitus, & est origo diuinitatis. Filius est à patre genitus, & habet ab æterno suam diuinitatem à patre. Spiritus sanctus procedit ab utroq; patre uidelicet & filio. Ergo iuxta hunc personarum ordinem, inuocandus est Deus PATER, per Filium, ut det nobis SPIRITVM sanctum. Itaque hypocritæ, qui inuocant sanctos mortuos, non orant pie, sed impie, quòd eum inuocationis honorem, qui soli Deo debetur, tribuant creaturis. Deinde addit Christus, MEO NOMINE. Orandus enim & inuocandus est Deus pater Nomine Christi. Cognoscendum igitur est, quid sit nomine Christi orare, sed ut hoc explicemus, Primum omniũ uidendum erit, quis sit Christus, & quod sit officium eius. Christus autem est unigenitus filius Dei, qui assumpsit hominem, ut reconciliaret cum Deo patre suo humanum genus, ac impetraret, ut Deus adoptaret in filios suos, & in hæredes cœlestium bonorũ, omnes eos, qui fide sua ipsum agnoscunt. Nihil enim erat miserius, nihil calamitosius homine, quippe cui propter peccatum Deus ita iratsceretur, ut abiecerit eum non solum in omnes corporales afflictiones, uerumetiam in perpetuam internitionem. Sed filius Dei misertus hominis, induit hominem, ut expiaret peccatum eius, & pacificaret eum cum Deo patre, quo ab interitu seruaretur. Nec uanum fuit institutum filij Dei. Nam cum Deus impo suissset ei crucem & mortem, ac ipse suscepisset eam obedientissime, intantum delectatus est hac obedientia, ut iurauerit se propter ipsum omnibus credentibus in ipsum propitium fore, & seruaturum eos in morte ad æternam beatitudinem. Iurauit, inquit scriptura, DOMINVS, & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos inæternum, secundum ordinem Melchisedec, hoc est, propter te ero placatus inæternum omnibus ijs, qui te fide accipiunt. Quare Deum patrem in nomine Christi inuocare, est credere, quòd Deus sit nobis propitius, remittat nobis peccata, uelit nobis benefacere, ac in omnibus periculis seruare propter Christum filium suum, & ex hac fide petere, ut necessitati nostræ, pro qua eum inuocamus, succurrat. Itaque is dicitur uere in nomine Christi orare, qui inuocat auxilium Dei, non propter merita suæ ipsius iustitiæ, sed propter merita Iesu Christi, seruatoris nostri. Non uere inuocãt deũ Ethnici, nõ Turcæ, nõ Iudæi, qui nunc sunt, nõ hypocritæ, quia alij non requirunt Christũ, alij contẽnunt, & cõuitijs

proſcindũt eum, alĳ etſi uident ipſum colere, tñ aut ignorãt, aut non
rant officiũ eius, ideoq; non inuocãt Deum in nomine Chriſti. So-
lus aũt is uere Deum inuocat, qui agnoſcit Chriſtum, & credit q; De
us ſit ipſi propitius ac reſpiciat & exaudiat ipſum in petitione ſua pro
pter Chriſtum. Omnino em̃ neceſſaria eſt in inuocatiõe FIDES. Om
nia, quæcunq;, inquit Chriſtus, petieritis in deprecatiõe CREDEN
TES, accipietis. Et iterum: Omnia poſsibilia CREDENTI. Et Iaco-
bus: Si quis ueſtrum, inquit, indiget ſapiẽtia, poſtulet à Deo, qui dat
omnibus affluenter, & non improperat, & dabit ei. Poſtulet aũt in FI
DE, nihil hæſitãs. Qui em̃ hæſitat ſimilis eſt fluctui maris, qui á uen
to mouetur & circũfertur. Non ergo ęſtimet homo ille, q; accepturus
ſit aliquid à domino. Habes perſpicue, q; in oratione exigat FIDES,
quæ certe non eſt dubitatio, ſed certiſsima ac firmiſsima perſuaſio, de
his rebus, quę accipiendę promittunt. Primũ igitur, cũ inuocamus de
um, debemus certi eſſe p̃ fidem, q; Deus faueat nobis, & adoptauerit
nos in filios ſuos, propter Ieſum Chriſtũ. Hęc fidei certitudo ſi abfue
rit, uaniſsima eſt oĩs oratio, imo ne oratio quidẽ eſt. Deinde debemus
per fidem certi eſſe, q; Deus uelit nobis clementer dare eam rem, pro
qua ipſum inuocamus. Quid? inquies. Quomodo poſſum eſſe certus
uel de fauore Dei erga me miſerum peccatorẽ, uel de accipiẽdis ĳs re
Ro 8. bus, quas peto, cum Paulus dicat: Quid oremus, ſicut oportet, neſci-
mus? Scio quidem Euangelion proponere Chriſtum propitiatorem
humani generis, & expiatorẽ peccatorũ, ſed incertus ſum, an iſte expi
ator ad me quoq; priuatim p̃tineat. Inuenio in Euãgelicis ſcriptis no-
men Petri, Andreæ, Pauli & aliorũ ſanctorũ. Ad hos ſcio Chriſtum
pertinere, ſed quia non inuenio meum nomen exp̃ſſe in ſacris literis,
ualde dubito, num deus fauore ſuo me cõplectatur. Quid aũt dico de
rebus ipſis, quas peto? quomodo de ĳs poſſum certus eſſe, cũ intelli-
gam nõnullas earũ ne quidẽ promiſſas mihi eſſe? Quo igit̃ me uertã?
Non alò te uertas, q; ad Chriſtum ipſum, & Euangeliõ eius. Etſi em̃
non inuenis nomen tuũ in Euangelio Chriſti, externis literis manda-
tum, tñ ſi inuenis te per fidẽ in Chriſto ipſo, inuenis etiã te nomina-
tim ſcriptũ in libro cœleſtis uitę. Chriſtus em̃ non inſtituit tantũ pub
licam & generalẽ p̃dicationẽ Euangelĳ ſui, qua omnibus in cõmu-
ne promittat fauorẽ Dei, & adoptionẽ in filios Dei, ſed inſtituit etiã
ſacramenta, baptiſmũ uidelicet & cœnã dñicam, quibus unũquemq;
utentem ipſis certificet, q; Deus complectat̃ ipſum priuatim fauore
ſuo, & adoptet eum in filium ſuum, ideoq; & ſinguli baptiſantur,
& ſingulis datur cœna dominica, ut unuſquiſq; certo ſciat, Chriſtum
non ad alios tantum, ſed etiam ad ſe ipſum pertinere. Atque hæc qui
dem diximus de certitudine fauoris Dei per Chriſtum, quæ certi-

tudo

ſudo primum omnium in oratione requiritur. Quod autem Paulus ait: nos neſcire, quid orare debeamus, ut oporteat, & quod de incertitudine rerum, quę oratione peti ſolent, abñcitur, ſciendum eſt, quod Paulus non loquatur de rebus, quę proprie ad regnū Chriſti pertinent, & quę per uerbum DOMINI expreſſe promiſſæ ſunt, Sed loquitur partim de rerum circumſtantiis, quas pater poſuit in ſua poteſtate, partim de rebus corporalibus, de quibus non extant certę promiſsiones Dei. Nam quędam ſunt (ut ſupra indicauimus) res ſpirituales, quæ proprie ad regnum Chriſti pertinent, quales ſunt: Remiſsio peccatorum, Iuſtitia, Liberatio in morte, & uita æterna. De his extat manifeſtum Euangelion Chriſti. Ad has res nobis conferendas uenit Chriſtus in hunc mundum. Quod igitur ad has attinet, non neſcimus, ſed perſpicue cognoſcimus, quid orandum ſit. Nec eſt de uoluntate Dei dubitandum, ſed firma fide petendum, ut remittantur nobis peccata, & ſeruemur in morte ad uitam propter Chriſtum. Hęc eſt, inquit, uoluntas eius, qui miſit me, ut omnis, qui uidet filiū, & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego ſuſcitabo eum in nouiſsimo die. Quare in petitione remiſsionis peccatorum, & ſalutis propter Chriſtum, non eſt addendum: Si DOMINVS uoluerit, ſed potius dicendum eſt: Quia certo ſcio te DOMINE, uelle credenti remittere pctā, & ſeruare eū in morte propter Chriſtum filiū tuum, idcirco peto, ut hęc dona tua mihi contingant. Quædam ſunt res corporales, quę non proprie pertinent ad regnum Chriſti, ſed ad utilitatem & neceſsitatem huius corporalis uitę, qualis eſt, Sanitas corporis, alimentum corporis, liberatio ex hoc uel illo morbo, aut periculo corporis, externa uictoria, Benedictio frugum in agris, Conſeruatio domus ne abſumatur incendio, & multa id genus alia. In his rebus, ſi habemus certam & expreſſam promiſsionem Dei, non eſt de uoluntate Dei dubitandum, nec in oratione addendū: Si DOMINVS uoluerit, qppe qꝺ uoluntas dñi nobis iam per promiſsionem nota ſit. Cū Iſraëlitę in exitu de Ægypto ꝓmerentᷤ ab hoſtibus, et cōſiſterēt ad mare rubrū, audit Moſes à Dño: Extēde manū tuā ſup mare et diuide illud, ut gradianᷤ filij Iſraël in medio mari ꝑ ſiccū. Hic certa eſt ꝓmiſsio, qꝺ deus uelit Iſraëlitas illęſos ꝑ mare traducere et ſeruare. Nō igitᷤ dubitādū erat Moſi et alijs pijs de uolūtate dei, ſed ſine omni tergiuerſatiōe orandū, ut deus ipſos per hoc mare illęſos traduceret. Ad Ioſua dicit: Ecce dedi in manu tua Ieriho & regem eius, oēsqꝫ fortes uiros. Hic manifeſte promittit duci Ioſuæ uictoria ſup Ieriho & regē eius. Quare Ioſua, q̄d ad hāc rē attinet, nō neſciuit, ſed ꝑſpicue cognouit, qd eſſet orandum. Si autem in rebus corporalibus, non extat certa & ſpecialis, ſed tantū generalis promiſsio diuini auxilij, ibi tum ſcimus

quidem Deum nos seruaturum, ideoq; salus confidenter petenda est per Christum, nescimus autem, quo modo uelit nos seruare, ideoq; si prescribimus Deo modum seruandi, reñciendum, id est in uoluntatem Dei, & quod Christus in sua oratione dicit: Non sicut ego uolo, sed sicut tu uis, idem etiam nobis usurpandum erit. Quod diximus, explicabimus exemplis, ut rectã orandi rationẽ teneamus. Laboras grauissima febri, & inuocas Deum, ut te huius morbi grauitate liberet. Quid ergo faciendum est, ut recta & pia sit inuocatio? Habes quidem generalem salutis promissionẽ, q̃ cum credis in Christum, Deus sit te seruaturus propter Christum, non extat aũt certa promissio, q̃ Deus uelit te ex hac febri, & hoc tempore, & per has, quibus uteris, medicinas liberare. Quare orandus est quidem Deus certa fiducia, ut seruet te clementer, sed in petitione liberationis ex hac febri, & conseruationis in hac corporali uita, respiciendum erit in manũ DOMINI, & addendum: Non sicut ego uolo, sed sicut tu uis, & agnoscis mihi in bonum adiumento esse. Alius habet agrum frumentis plenum, & metuit in periculosa tempestate, ne grando noceat. Quomodo ergo hic orare debet? Extat promissio Dei de pane quottidiano. Et: Nouit pater cœlestis, q̃ his omnibus opus habeatis. Non autem extat promissio, q̃ Deus uelit hoc frumentum, quod hoc tempore est in agro, seruare, & nobis per hoc frumentum panem dare. Orandum igitur est certissima fiducia, ut Deus faueat nobis propter Christum, & tueatur nos. Hæc enim uoluntas Dei per Euangelion notissima est, sed quia non est uerbo Dei reuelatum, q̃ Deus uelit hoc frumentum, hoc tempore à grandine seruare, & homo non in solo pane uiuit, sed in omni uerbo, quod egreditur de ore Dei, idcirco orandum quidem est, ut Deus hoc frumentum tueatur, sed uoluntas nostra subñcienda est uoluntati Dei, & addendũ: Non sicut ego uolo, sed sicut tu uis. Hęc certe obedientia exigitur nobis in his rebus, de quibus nõ habemus certas Dei promissiones. Quę obedientia placet Deo tam mirifice, ut si eam præstiterimus, largiatur nobis non tantum promissa, uerumetiam ea, quæ non sunt manifeste promissa. Dauid eñcitur in exilium à suoipsius filio. Non dubitabat quidem Dauid in hac afflictione se Deo curæ esse, sed nesciebat, nũ rediturus esset ab exilio incolumis ad regiũ suum thronũ in urbem Hierosolymã. Quare subñcit se diuinæ uoluntati, & ait: Si inuenero gratiam in oculis DOMINI, reducet me, & ostendet mihi arcam, sin autem dixerit mihi: Non places, p̃sto sum, faciat q̃d bonũ est corã se. Hac obediẽtia Deus ita delectabat, ut magno gl'ia eũ regno suo restituerit. In Daniele tres adolescẽtes, q nolebãt adorare statuã, p̃ducunt in fornacẽ ignis cõñciẽdi. Et audiũt: Quis est deus q eripiet uos de manu mea? Quid ergo face-

rent

rent adolescentes? Certa promissio Dei extabat, q̃ Deus uelit omnes pios in periculis adeoq̃ in morte ipsa seruare, non autem extabat promissio, q̃ uelit hos adolescentes seruare illæsos in hoc igni, ut diutius uiuant corporalem uitam. Quare inuocant quidem Deum, ut tueatur ipsos, sed quia non habent certam promissionem, de externa liberatione ex hoc igni, subñciunt se diuinæ uoluntati, & respondent Regi: Non oportet nos de hac re tibi respõdere: Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, Rex, q̃ deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti, non adoramus. Hęc est insignis obedientia, quæ & Deo ita placuit, ut etsi non promiserat eis manifeste externam liberationem, tamen seruauerit eos mirando modo illęsos. Sed de fide, quę est habenda in oratione satis nunc dixisse uidemur. Redeamus igitur ad id quod exponendum suscepimus, uidelicet, quid sit in nomine Christi orare. Ostendimus enim, q̃ orare in nomine Christi, sit inuocare Deum patrem ex hac fide, q̃ Deus sit nobis propitius, & agnoscat nos filios suos, propter Iesum Christum. Hoc enim est Deum adorare in spiritu & ueritate, quemadmodum aliàs Christus docet. Ex hoc autem facile intelligi potest, q̃ non solum Turcę & alñ impij, qui Christum perfricta frõte damnant, sed etiam hi, qui aut inhonesta & scelerata, aut honesta, sed ad impium & inhonestum usum ac finẽ petunt, non inuocẽt Deũ in noie Christi. Adulter orat, ut fortunatus sit in explenda animi sui cupiditate. Impostor orat, ut fœliciter succedãt nugę suę. Hę sunt impię & sceleratę preces. Helluo orat, ut Deus benedicat frumento & uino. Et hactenus honeste quidem orat, sed quia hunc finem sibi proponit, ut helluetur, scelerate orat. Hoc certe non est in nomine Christi, sed in nomine Satanę orare. Christus eñ non est autor impietatis & sceleꝝ, sed est autor omnis pietatis & iustitię. Quare, ne nomen Christi blasphemia afficiatur, petenda sunt in nomine Christi, pia & honesta, idq̃ ad pium & honestum usum ac finem. Postremo cum Christus ait: EGO FACIAM, etsi perspicue tribuit sibi maiestatem & potentiam diuinitatis, in eo, quòd recipit & promittit seipsum omnia ea facturum & daturum, quæ nomine eius petuntur, tamen non exponit interim, quibus modis sit ea, quæ promittit, faciurus. Dicit aliàs: Non est uestrum nosse tempora & articulos temporum, quos pater in sua ipsius constituit potestate. Sic & Christus filius Dei patris constituit in sua manu eos modos, quibus faciat, quod nomine eius petitur. Nam cum inuocamus Deum, ut conferat auxilium suum in aduersis, solet aliquoties alium liberandi modũ caro, alium spiritus præscribere. Laborat quispiam, exempli gratia,

graui morbo,& inuocat Deum per Christum,ut ipsum hoc morbo liberet.Hic caro petit,ut liberetur cito,externo etiam sensu.Spiritus autem,qui nouit sententiam Dei,& intercedit,ut Paulus ait,pro nobis, gemitibus inenarrabilibus, petit, ut is qui Deum inuocat diutius morbo afflictetur, & tamen liberetur,hoc est,conseruetur,ne in morbo pereat. Intelligit enim spiritus, q̃ diurnus morbus afferat pio sua commoda,quę caro intelligere non potest. Alius quispiam premitur onere paupertatis, & orat Deum per Christum,ut faciat ipsum diuitem.Hic caro præscribit alium modum tribuendarũ diuitiarum, petit,ut detur ipsi multa pecunia. Spiritus autem alium,prout DOMINO uisum fuerit,modum cogitat, uidelicet, ut is nullam consequatur pecuniam,sed in sua externa paupertate maneat, & tamen conseruetur,ne in paupertate intereat. Videt enim huic pio,externas diuitias magno fore incommodo. Datus est quondam Paulo stimulus,in carne, angelus Satanę, qui ipsum colaphis cederet. Hęc erat Paulo maxima afflictio. Rogauit igitur ter DOMINVM, ut hunc angelũ Satanæ ab ipso abigeret. Hic alium modum abigendi Satanę prescribebat caro,alium spiritus. Caro uolebat extrinsecus & sensibiliter ab hac afflictione liberari. Spiritus autem qui intelligebat, quid Paulo uere prodesset,petijt,ut hęc afflictio Paulum diutius excrutiaret, sed ita,ut in ea conseruaretur. Quid ergo factum est? Christus uere exaudiuit orationem Pauli,non quidem iuxta sensum carnis,sed iuxta sensum spiritus,& ait: Sufficit tibi gratia mea, nam uirtus mea per infirmitatem perficitur. Exaudit enim Christus in oratione spiritum,non carnem, quippe q̃ sciat spiritum intercedere pro sanctis SECVNRo.s. DVM DEVM. Quare si credimus in Christum,& inuocauerimus patrem in nomine Christi,dubitandum non est,quin uere exaudiantur preces nostræ,sed interim non est aduersus Deum murmurandũ, si non percipiamus impletionẽ precum iuxta carnalem sensum. Qui enim scrutatur corda, audit inenarrabilem gemitum spiritus. Sed de his hactenus. Audiamus nunc quo cõsilio facturus sit Christus, quic quid nomine suo petitur. Dicit enim: Vt glorificetur pater per filiũ. Supra dixit: Deus glorificabit filium hominis. Et postea orat: Glorifica filium tuum. Nunc autem dicit, q̃ filius glorificet patrem. Quid ergo est, q̃ pater glorificat filium,& uicissim filius glorificat patrẽ? Hoc nimirum est, q̃ natura unus tantum sit Deus, duę autem distinctę personę, PATER & FILIVS. Ac quidem filius glorificat patrẽ Euangelio,miraculis,obedientia,passione & morte sua,quia testificatur Deum esse clementissimũ,et misericordissimũ,qui remittat peccata gratis sine ullo humanorũ meritorũ respectu, ac ita faueat credentibus in Christum, ut adoptet eos in filios,conseruet eos in morte, & det

det eis cœlestem hereditatem. Hæc est maxima omnium gloria Dei, quæ illustratur Euangelio Christi. Pater autem uicissim glorificat filium, quia non solum ornat eum dono ædendorum miraculorum, uerumetiam excitat eum tertia die à morte, iubet eum sedere ad dextram suam, mittit nomine suo spiritum sanctum, & subiicit ei omnia, quæ sunt in cœlo & in terra. Quibus rebus pater palàm declarat, & testificatur, ꝙ filius sit uerus & omnipotens ab ęterno Deus. Qua maiestate, qua gloria, quid potest excellentius dici? Cum igitur cognoscamus per filium, ꝙ pater nobis sit propitius, et uicissim cognoscamus etiam per patrem, ꝙ filius sit uerus Deus, agite amicissimi, tribuamus utriq; suum honorem, per spiritum sanctum, ut inuocantes Deum magna animi fiducia, consequamur cœlestem salutem per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXVIII.

HACTENVS Iesus Christus, seruator noster à Thoma & Philippo excitatus, exposuit Ecclesię diuinã suam maiestatem, & commendauit eam fide suscipiendam, Philippe, inquiens, qui me uidet, uidet & patrem meum. Et iterum: Non credis, ꝙ ego in patre sum, & pater in me? Quę cum pro huius loci ratione satis perspicue explicata sunt, reuertitur nunc Christus ad cohortationem & consolationem, quam in principio huius capitis instituit. Et ait: Si diligitis me, præcepta mea seruate. Hęc ut recte intelligamus, cognoscendũ erit quę sint præcepta Christi. De qua re, etsi aliàs sæpe diximus, tamen & hic locus monet, ut pauca de ea dicamus. Sciamus igitur Christum non imposuisse Ecclesię suę præcepta Mosi. Per Mosen enim, inquit Ioannes, lex data est, per Iesum Christum autẽ gratia & ueritas. Quare Christus non dicit: Si diligitis me, seruate præcepta Mosi, sed seruate præcepta MEA. Videamus igitur, quę præcepta Christus discipulis dederit. Ac primum præcepit eis, ut credant Euangelio suo, ut credant in ipsum, ꝙ sit uerus ille Messias, quem Prophetæ promiserunt, & ut confiteantur ipsum coram hominibus, & adnuncient Euangelion ipsius, in toto orbe terrę. Credite, inquit, in Deum & in ME credite. Et iterum: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille. Et postea: Ite in uniuersum mundũ, & prædicate Euangelion omni creaturę. Deinde præcepit eis, ut seinuicẽ diligant. Præceptum nouũ, inquit, do uobis, ut diligatis uos mutuo, sicut ego dilexi uos. Quę autem Apostolis sunt præcepta, hæc etiam sunt præcepta uniuer-

ſę Eccleſiæ Chriſti, unicuiq; uidelicet, in ſua uocatione. Vnuſquiſq; enim, qui tenetur cupiditate conſequendę ſalutis, & fruendi beneficij Chriſti, debet credere in Ieſum Chriſtum, q̄ ipſe ſolus ſit iuſtitia & redemptio eius, & ex hac fide nomen Chriſti pro ſua uocatione glorificare, deinde debet etiam proximum ſuum pia dilectione complecti, & ei pro ſua uirili benefacere. Hęc ſunt pręcepta, quę Chriſtus ab uniuerſa Eccleſia ſua exigit. Quare qui diligit Chriſtū, incumbet in hoc ſtudium, ut his pręceptis obſequatur. Hic nunc perſpicue uidere potes, qui ſint oſores Chriſti, non dico inter Turcas & Iudęos, ſed inter Chriſtianos ipſos. Sunt enim, qui gloriantur, ſe non ſimpliciter eſſe Chriſtianos, uerumetiam uicarios Chriſti, & defenſores fidei Chriſtianę, interim tamen perſequuntur doctrinam Chriſti, & tanto odio piorum ardent, ut cupiant eos ferro, flamma, & quouis ſupplicij genere extinctos. Non igitur ſunt amatores, ſed oſores Chriſti, nec ſunt fidei Chriſtianę defenſores, ſed quantum in ipſis eſt, deuaſtatores. Porro, etſi ſeruare pręcepta Chriſti, maxime ſalutare eſt, tamen multis & magnis conſtat periculis. Nec dubium eſt, quin cum Chriſtus hęc diceret, uenerit Apoſtolis in mentem eorum periculorum, quę ſeruantibus præcepta Chriſti accidere ſolent. Quid? Tu iubes quidem nos pręcepta tua ſeruare, in te credere, & Euangelion tuum prędicare, quis autem te abeunte, tuebitur nos in ijs periculis, quę nobis in hac tua uocatione obuenient? Dictum eſt olim de Satana, q̄ cū tu conteras caput eius, ipſe uiciſsim mordeat calcaneum tuum. Quare ſi ſenſerit caput ſuū Euangelio noſtro peti, cooriet in nos totis ſuis uiribus. Nam quemadmodum uoluit ſtatim ab initio creationis ſuæ te inuadere, & è throno maieſtatis tuę te proturbare, ita ſemper te poſtea in Patriarchis, in Prophetis, & alijs pijs crudeliter perſecutus eſt. Non dubitamus igitur, quin & hoc tempore, ſi in te crediderimus, & Euangelion tuum ad deſtruendam potentiā eius prędicauerimus, graſſaturus ſit aduerſum nos omni genere crudelitatis. Primum em̄ excitabit aduerſus nos Iudæos & Gentes, qui non ſolum ejcient nos in exilium, uerumetiam trucidabunt nos. Deinde, etiamſi non omnes trucidemur, tamen Satan affliget nos internis & ſpiritualibus perſecutionibus. Obijciet nobis in conſcientia, & exaggerabit peccata noſtra, concutiet nos horrore perpetuę mortis, exufflabit in nobis flammas inferni ignis. In tātis anguſtijs, q̄d faciemus? quo nos uertemus? aut quis erit, te abeūte & nos deſerente, tutor ac defenſor noſter? His ſeu cogitationibus ſeu tēntationibus reſpōdet Chriſtus, & ait: Ego rogabo patrē, et aliū paracletū dabit uobis, ut maneat uobiſcū inęternū, ſpiritum ueritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non uidet eum, nec ſcit eum. Vos autem cognoſcitis eum, quia apud uos manet, & in

& in uobis erit. Obseruabilis promissio, quæ affert Ecclesię Christi maximam consolationem. Scio quidem (inquit) ꝙ post discessum meum maneant uos multæ & graues afflictiones, sed bene confidite, ego curabo ut me abeunte mittatur uobis alius paracletus, hoc est, consolator, tutor & defensor, qui non discedat à uobis, ut ego nunc discessurus sum, sed maneat semper uobiscum, quo præsente satis tuti eritis in omnibus aduersis. Sed cur non perstringimus singulas huius promissiõis partes? Primum igitur, Rogabo, inquit, patrem. Quid? Ante dixit se facturum, quicquid nomine suo petatur, quo significauit, se esse uerum Deum. Nunc autem dicit, se rogaturum patrem. Quomodo hæc conueniunt? An non minor est qui rogat, eo qui rogatur? Filius autem natura & maiestate æqualis est patri. Quomodo ergo dicitur patrem rogare? Num in diuinitate una persona aliam rogat? Minime oĩm. Vnus enim est Deus, una est maiestas patris, & filij & spiritus sancti. Sed Christus loquit̃ hoc loco iuxta suã humanitatem ut quẽadmodũ antea docuit se esse uerũ Deum, ita nũc doceat, se esse etiã uerũ hoĩem. Itaq;, ut recte de Iesu Christo sentiamus, credendũ est, ꝙ in ꝑsonę unitate, sit et uerus Deus, & uerus homo. Sed quando rogauit Christus patrẽ? Recensetur quidẽ in cap. xvij. huius Euangelistę insignis & memorabilis oratio, qua Christus cõmendat Apostolos & Ecclesiam suam tutelæ patris, non est autem sentiendum, ꝙ Christus orauerit pro Ecclesia in hac tantum corporali uita, ante passionem & mortem suam, sed orat & intercedit pro ea, etiam post resurrectionem suam, iam in dextra patris sui sedens. Psalmus uocat eum, sacerdotem inæternum. Sacerdotis autem est, pro populo orare. Cum igit̃ Christus sit perpetuus sacerdos, perspicuum est, ꝙ etiam perpetuo pro Ecclesia sua oret. Sed & Paulus ait: Christus est qui mortuus est, imo qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui & INTERCEDIT pro nobis. Quis autem existimare posset, orationem filij Dei esse uanam & irritam? Quis iudicaret patrem non exaudire eius orationem, de quo ipsemet testificatus est: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est? Quare sentiamus Ecclesiam, hoc intercessore, ita tutam esse, ut nullis aduersis, ac ne morte quidem ipsa opprimi queat. Sed quid rogat Christus patrem? Vt det seu mittat alium paracletum (hoc est) consolatorem & defensorem. Quid ergo ad hoc dicemus? An Christus non est ipse satis potens, qui consoletur & tueatur suam Ecclesiam? Certe nihil ei uirium deest, sed significat se deinceps non acturum uitam apud Ecclesiam suam, externa & uisibili conuersatione. Quo enim tempore Christus egit externam uitæ consuetudinem cum discipulis suis, diligenter curauit, ne quid aduersi ipsis accideret, et si quid accidisset, liberarẽtur?

Phariſæi calumniabantur eos, ſed Chriſtus defendebat, & refutabat calumnias. Deerat cibus, ſed Chriſtus parabat cibum mirando modo, Deerat pecunia, ſed Chriſtus iubebat Petrum ex ore piſcis pecuniam accipere. Periculum erat, ne diſcipuli unà cum Chriſto à Iudæis caperentur, ſed Chriſtus tuetur eos in medio etiam hoſtium. Si me (inquiens) quæritis, ſinite hos abire. Ac breuiter, teſtantur Apoſtoli ipſi, ꝙ quamdiu cum Chriſto uitam in terris egerunt, & in uocatione eius ambulauerunt, nihil unquam ipſis defuerit, etiamſi emiſerat ipſos aliquoties ſine ſacculo, pera, & calciamentis. Nec hoc beneficium Apoſtolis tantum contigiſſet, ſi Chriſtus diu huius externæ uitæ munere functus eſſet. Tanta enim fuit prærogatiua corporalis eius præſentię, ut ſi ſemper in terris uitã egiſſet, ſemper etiam ſuos coràm defendiſſet. Nunc autem non erat Chriſto diutius manendum in hac corporali uita, ſed abeundum erat per mortem in uitam ſpiritualem, & regnum ſuum cœleſte. Quare recipit ſe impetraturum ſua uice alium tutorem & defenſorem, qui non diſcedat, ſicut ipſe, ſed qui ſemper maneat cum Eccleſia. Videamus ergo quis ſit ille tutor. Dabit, (inquit) uobis alium tutorẽ. Quem? addit ſpiritum ueritatis. Et paulo poſt: Spiritum ſanctum. Hæc initio obſeruabis, ꝙ Chriſtus oppo nat ſpiritum ueritatis per antitheſin ſpiritui ſatanæ. Hic enim ſatanæ ſpiritus factus eſt princeps huius mundi propter peccatum, & eſt ſpiritus mendax atq; homicida. Seducit homines falſa doctrina, intrahit eos in omnia genera turpitudinis, & conęcit ipſos in perpetuum interitum. Chriſtus autem promittit Eccleſię ſuę alium ſpiritum, cuius etiam proprietates deſcribit. Primum enim non eſt ſpiritus mẽdacij, ſed ueritatis, quia ducet uos, ut poſtea exponit, in omnem ueritatem, illuſtrabit & confirmabit piam doctrinam, deinde nõ eſt ſpiritus turpitudinis, ſed ſpiritus ſanctus, qui inflammabit corda credentiũ omni ſanctitate & pietate. Poſtremo non eſt ſpiritus horrificus, occiſor, & perditor, ſed eſt ſpiritus conſolator, uiuificator & ſeruator. Inquiramus igitur, ubi & quando is ſpiritus datus ſit Eccleſiæ, & quomodo maneat cum uniuerſa Eccleſia perpetuo. Fuerunt quondam hæretici, quos uocarunt Manichæos, Hi nugati ſunt autorem ſectę ſuę fuiſſe eum paracletum, ſeu conſolatorem, quem Chriſtus hoc loco promiſerit, Sed hi unà cum ſuo paracleto digna factis ſuis receperunt, & turpiter perierunt. Paracletus enim, cuius Chriſtus mentionẽ facit, non eſt homo quiſpiam, ſed ſpiritus ſanctus. Quare uidendum erit, ubi & quando ſpiritus ſanctus datus ſit diſcipulis. Ac teſtatur quidem ſcriptura, ꝙ Chriſtus, poſtq; reſurrexiſſet à mortuis, in die Paſchæ flauerit in diſcipulos, ac dixit: Accipite ſpiritũ ſanctũ. Hęc fuit inchoatio exhibitionis ſpiritus ſancti & donorũ eius. In die aũt Pentecoſtes effudit

effudit Christus in omnes discipulos suos spiritū sanctū tam opulen te, & tā manifeste, ut apparuerint mirando modo in singulis discipu lis linguę, quasi igneę, et locuti fuerint Apostoli uarijs linguis, ac ędi derint mox magna & insignia miracula. Hic est ille paracletus, tutor & defensor, quem Christus hoc loco promisit. Videamus ergo quæ beneficia attulerit discipulis Christi. Primū em̄ spiritus sanctus certi ficauit eos de ueritate Euāgelij Christi. Vnde et Christus uocat eum spiritū ueritatis, & postea: Ducet, inquit, uos in omnē ueritatē. Dein de spiritus sanctus ad confidendū nomen Christi, animos eorę ita ac cendit et inflammauit, ut cum ante de Christo corā seruulis & ancillis ne hiscere quidē auderēt, post, accepto spiritu sancto intrepide corā regibus & principibus Christum adnunciauerint. Pręterea excitauit eos, ut professionē suā obedientia uerbi Dei, innocentia & sanctitate uitæ excellenter ornarent. Deinde in afflictione, ac in morte etiam ipsa ita consolatus est ipsos, ut ea non solum obedienti & fidendi, ue- Act. 5.
rumetiam lętanti animo exciperent. In Actis Apostolicis, dimittun tur Apostoli à Concilio cęsi. Hi autem ibant à conspectu concilij gau dentes, ꝙ digni habiti essent, ut pro nomine Christi contumelia affi cerentur. Vnde his tanta lætitia? certe non aliunde, ꝙ è spiritu san cto, qui admonebat ipsos, ꝙ contumelia propter Christum ab homi nibus accepta, summa esset coram Deo gloria. In Philippis, ciuitate Macedoniæ coniecti fuerunt Paulus & Silas in carcerem, & pedes eorum stricti sunt ligno. Et tamen in his uinculis orabant & lauda bant Deum. Hæc laudatio opus erat spiritus sancti, qui docebat eos, ꝙ uincula propter Christum essent coram Deo liberatio. Paulus pro fecturus ad Hierosolymam, admonitus fuit à fratribus, ne susciperet hanc profectionem, propterea quòd manerent eum Hierosolymis uincula. Respondet autem Paulus: Ego uero non solum uinciri, sed & mori paratus sum Hirosolymis pro nomine domini Iesu. Vnde huic tanta animi alacritas & promptitudo moriendi? profecto hoc est donum spiritus sancti, qui subiecit Paulo, ꝙ mors in Christo sit uita & fœlicitas. Petrus iam cruci affigendus, petijt, ut capite in terrā uer so & pedibus in sublime eleuatis crucifigeretur, asserens se indignū, qui crucifigeretur, ut dominus suus. Hæc est insignis animi magnitu do, quę non est ex carne Petri nata, sed à spiritu sancto donata. Is e nim posuit Petro ob oculos mentis suæ, ꝙ quo maior esset obedien tia eius, in suscipienda morte, ex uocatione Christi in terris, eo excel lentior maneret ipsum maiestas apud Christum in cœlis. Quę cum ita se habeant, res ipsa testatur, quòd hęc promissio, qua Christus hoc loco recipit se discipulis impetraturum alium consolatorem, qui maneat semper cum ipsis, manifestissime sit impleta. Sed dices. Si

tunc datus est Ecclesiæ Christi consolator spiritus sanctus, cum in die Pentecostes apparuerunt linguæ igneæ, & Apostoli locuti sunt uarijs linguis, ac ædiderunt miracula, quomodo dicitur, ꝙ maneat cum Ecclesia inæternum, cum perspicuum sit, ꝙ his temporibus nec appareant linguæ igneæ, nec loquantur credentes in Christum uarijs linguis, quemadmodum Apostoli locuti sunt, nec ædant etiam talia miracula? Hic considerandum est nobis, quòd linguæ & miracula non ad hunc usum data fuerunt, ut perpetuo manerent in Ecclesia, hęc enim non sunt spiritus sanctus ipse, sed data sunt, ut testarentur præsentiam spiritus sancti, & instituerent ac confirmarent ministerium Euangelij Christi, & sacramentorum eius, quod ministerium perpetuo usq; ad nouissimum diem in Ecclesia manendum esset, & per quod spiritus sanctus efficax esse uellet. Solenne enim est, ut quæ durabilia esse debent, publicis cerimonijs consecrentur. In lege Mosi, Reges & summi Sacerdotes consecrabantur publica unctione & alijs ritibus. Ac hi quidem ritus suo tempore fieri desinunt, res autem ipsa perpetuo durat, dum persona Regis & Sacerdotis hac uita fruitur. In nostra politia, connubium uiri & mulieris consecrari solet publicis cerimonijs, quę quidem cerimonię transeunt, cõnubium autem semper manet, quamdiu coniuges non moriuntur. Sic & Christus misit Ecclesię suæ spiritum sanctum in die Pentecostes, & consecrauit ministerium spiritus sancti, quod est, Euangelion Iesu Christi, & sacramenta eius, publicis cerimonijs, uidelicet, linguis igneis, sermone diuersarum linguarum & alijs miraculis. Hæ cerimoniæ desierunt suo tempore fieri. Spiritus autem sanctus, & organon eius, per quod est in Ecclesia efficax, nunquam usque ad nouissimũ diem desinent, sed manebunt, iuxta promissionem Christi, in Ecclesia perpetuo. Hæc est petra, qua fundata est Ecclesia, aduersus quam ne portę quidem inferi pręualebunt. Non enim sentiendum est, quòd spiritus sanctus ita in Ecclesia maneat, & operetur, ut nullo organo utatur, ac unicuiuis in angulo sedenti, aut in deserto uitam ociose agenti illabatur. Non negamus quidem, quin spiritus sanctus pro sua omnipotentia & maiestate, possit etiam sine externo organo efficax esse, ubicunque uoluerit, nos autem loquimur nunc de ordinaria eius operatione, quam certe exercere solet per organon Euangelij Christi, & sacramentorum eius. Nam cum Christus emitteret Apostolos suos, dicit: Prędicate Euangelion omni creaturę. Et addit: Qui crediderit, uidelicet, Euangelio, & baptisatus fuerit, saluus erit. Manifestum autem est, quòd salus sit opus spiritus sancti. Cum igitur Chri-

stus

ſtus dicit: Credentes Euangelio, & accipientes baptiſmum conſequi ſalutẽ, perſpicue ſignificat Euangelion et ſacramẽta eius eſſe organõ, quo ſpiritus ſanctus ferat credentibus ſalutem. Paulus ad Romanos ſcribens: Euangelion, inquit, eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Et iterum: Fides ex auditu eſt, auditus autem per uerbum Dei. Non eſt autem obſcurum, ſicut ſalutem, ita & fidem eſſe opus & donum ſpiritus ſancti, quę cum dentur per Euangelion ſeu uerbum Dei, negari non poteſt, quin uerbum Dei ſit organon, quo ſpiritus ſanctus eſt in Eccleſia Dei efficax. Hic nunc perſpicuum eſt, quid faciendum ſit his, qui indigent ſpiritu ſancto, hoc eſt, nobis omnibus. Omnes enim ſpiritu ſancto indigemus. Nam alius premitur onere paupertatis, & ſollicitatur à ſpiritu Satanæ, ut non inuocet Deum, nec maneat in uocatione Dei, ſed abijciat iuſtitiam, & det operam nugis ac impoſturis. Hic ergo indiget ſpiritu ſancto, qui contineat ipſum in officio pietatis, & iuſtitiæ. Alius affligitur morbo, & ſollicitatur à Satana ad uirulentiam, & ad maledicentiam, aut etiam ad inuocandum auxilium Magorum, hoc eſt, Satanæ, ut dicat illud impiorum: Flectere ſi nequeo cœlos, acheronta mouebo. In hac afflictione neceſſaria eſt opera ſpiritus ſancti, qui ægrotum conſoletur, & conſeruet in obedientia Dei. Alius concutitur horrore mortis, & iubet eum ſpiritus Satanæ de ſalute ſua deſperare. Is indiget ſpiritu ſancto, qui conſeruet ipſum in fide. Ac breuiter, cum omnes ſimus natura peccatores, & peccatum multos in nobis fructus tulerit, ſollicitamur à ſpiritu Satanæ, ut abijciamus omnem ſpem ſalutis noſtrę, & tradamus nos uoluntati eius captiuos. In his, & omnibus alijs tentationibus indigemus ſpiritu ſancto, quo cognoſcamus peccatum nobis eſſe remiſſum, & nos adoptatos in filios Dei, ut fide confirmati, uincamus Satanam, & conſequamur cœleſtem hæreditatem. Quid ergo faciendum nobis eſt, ut accipiamus ſpiritum ſanctum? Supra oſtendimus, quod organon ſpiritus ſancti ſit Euangelion Chriſti & ſacramenta eius, quod & miraculis ita confirmatum eſt, ut etſi hoc tempore non apparent linguæ igneæ, tamen manet ſpiritus ipſe ſanctus, qui uires ſuas per hoc organon in Eccleſia ſemper exercet. Quare audiendũ eſt uerbum Dei, cognoſcẽdum eſt Euangelion Chriſti, conſideranda eſt cœleſtis doctrina, reuocandus eſt in memoriam baptiſmus, quem in nomine Chriſti accepimus, utendũ eſt ſacramento Cœnæ dominicæ, & iterum atq; iterũ intuendũ eſt acri & intenti animo in Euangeliõ Chriſti, quo ſpiritus ſanctus inueniat in nobis organon ſuũ, & habeat occaſionẽ exercendi

in nobis operis sui, & ferendæ nobis perpetuæ salutis. Porro, quod Christus de paracleto, & spiritu ueritatis, addit, Quem mundus, inquiens, non potest accipere, quia non uidet eum, nec nouit eum. Vos autem cognoscitis eum, quia apud uos manet, & in uobis erit, diuidit uniuersum humanum genus, in duos ordines, quorum alterum uocat Mundum, hoc est, maximã, & prestantissimã hominũ in hoc mundo partem, alterę uocat suos discipulos, hoc est, Ecclesiã suam, quę in hoc mũdo abiectissima oĩm uidet. Ac de mundo quidem dicit, q̃ non possit consolatorẽ, spiritũ ueritatis accipere. Et addit causſam, quia non uidet eum, hoc est, non delectat eo, (Videre em̃ hebraica phrasi hoc loco, significat delectari) nec nouit eũ, hoc est, non curat, non requirit eũ. Nam homes huius seculi natura sua ita carni immersi sunt, ut si qs indiget consolatore, non curet, nec delectetur spirituali, sed tantũ carnali consolatore. Si quis, exempli gratia, eget pecunia, non afficitur prædicatione Euangelij, qua promittitur ei diuina gratia, & auxiliũ de cœlo, quę est spiritualis consolatio, implens animum indigentis, sed requirit diuitem quendam mercatorem, qui crumenam impleat pecunia. Pecuniam, inquam, petit, quam creditori numeret, non spiritum, quo de diuina clementia bene confidat. Alius quispiam graui morbo laborans, non hoc agit, ut accipiat medicinam spiritus, qua cõseruetur salus eius coram Deo, etiamsi corpus afflictetur & intereat, sed requirit tantum medicinam carnis, qua externis doloribus liberetur. Hippocratem aut Galenum uocat, quo carnalem sanitatem consequatur, non spiritum sanctum, quo cœlesti sanitate donetur. Præterea, homines huius seculi natura sua ita sunt obnoxij Satanæ, qui est mendax, & pater mendacis, ut non nisi mendacio & hypocrisi delectentur. Quare, etiamsi proponitur eis uera spiritus sancti doctrina, de consequenda uera iustitia coram Deo, tantum abest, ut eam agnoscant, ut & ipsam crudelissime persequantur, & mendacia sua, quo quomodo possunt, tueantur. Atq; hoc quidem est ingenium huius mundi. Aut enim immersi carni, non nisi carnalia curant, aut si uideri uolunt se curare spiritualia, sectantur potius spiritum mendacij, q̃ spiritum ueritatis. Vos autem, inquit, cognoscitis eum. Qui enim in Christo renati sunt per fidem, hi etsi sunt in mundo, tamen quemadmodum postea dicitur, non sunt de mundo. Qui autem de mundo non sunt, hi non carnem sed spiritum sectantur, & non mendaci, sed uera doctrina delectantur. Quare donantur etiam diuinitus spiritu sancto, qui ita in ipsis manet, ut conseruet eos æterna uita. Quod autem Christus hoc loco discipulis suis contionatur, hoc in die Pentecostes manifeste impletum est, & adhuc impletur, implebiturq; usq; ad nouissimum diem. In die enim Pentecostes

cōstes missus est spiritus sanctus, qui instituit & confirmauit magnis miraculis prædicationem Euangelij Christi, qua prędicatione uteretur pro organo in Ecclesia, ad regenerandos, iustificandos, consolandos, & seruandos omnes credentes Euangelio. Quid ergo factum est? Mundus non accepit hunc spiritum. Maxima enim pars Iudęorū & Gentium prædicationem Euangelij, quę erat prędicatio spiritus sancti, non solum abominabantur, uerumetiam persequebantur. Soli Apostoli, & alij quidam ex Iudæis & Gentibus agnoscebant Euangelion Christi, apud quos etiam spiritus sanctus suum habebat hospitium. Prædicatur & hoc tempore Euangelion Christi in mundo, & spiritus sanctus proponit sese manifeste omnibus accipiendum, sed uides quid accidat. Paucissimi uere agnoscunt hunc spiritum, & sequuntur eum. Alia turba tam principum q̄ uulgi suas res agunt, & hi quidem, iuxta Euangelicam parabolam, abeunt in uillas & ad negotiationes suas, illi autem tenent seruos domini, & contumelijs acceptos occidunt eos. Quare non offendamur paucitate credentium Euangelio, & multitudine incredulorum ac impiorum, sed confirmemus ex hoc uaticinio Christi fidem nostram, ut etiamsi fractus illabatur orbis, spiritus tamen DOMINI nos conseruet, per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXIX.

VLTI superuacaneum & inutile existimant, consolatoriam contionem, quā Christus post nouissimam cœnam ad Apostolos suos habuit, longa & copiosa explicatione, Ecclesię hoc tempore obtrudere. Dicunt enim Apostolos, ad quos hęc consolatio ptineat, iam olim suis periculis defunctos, & sentiunt ad uitam recte instituendam utilius esse prędcepta ad bona agenda, q̄ consolationes ad mala & aduersa sufferenda tradere. Sed hi ne sapiendo, nihil se sapere produnt. Hęc enim contio, quam Christus in discessu suo ad Apostolos habuit, non ad Apostolos tantum, sed etiam ad uniuersam Ecclesiam pertinet, quemadmodum supra ostendimus, & Christus palām postea in precibus suis declarabit. Ad uitam autem recte instituendam, necessaria quidem sunt præcepta uitę, ad seruanda autem prędcepta, & faciendum officium, maxime omnium iuuant diuinę promissiones & consolationes. Extat uitæ prędceptum: Non fureris. Cum autem ægestas, exilium, fames, & aliæ calamitates soleāt homines ad furta, nugas & impostura impellere, quis mi

gis uocat & excitat homines ad obediendum huic præcepto, q̃ qui diuinis ipſos promiſsionibus in ęgeſtate & fame conſolatur? Extat præceptum aliud: Non aſſumas nomẽ DOMINI Dei tui in uanum. Sed quia graues morbi ſollicitant ægrotos ad uirulentas execrationes, quibus graſſentur tam in Deum, q̃ in homines, certe magnum operęprecium ad obediendum huic præcepto confert, qui ægrotum in morbo ſuo, uerbo Dei conſolatur. Quare ſentiamus nos tunc maxime ad uitam recte inſtituendam erudiri, cum nobis conſolationes ex uerbo Dei in aduerſis proponuntur. Hæc paucis præfari hoc loco uolui, ut ſciamus hanc conſolatoriam contionem Chriſti nobis maxima omnium obſeruantia excipiendam eſſe. Ac ante quidem promiſit Chriſtus ſe, cum iam abiturus ſit, miſſurum alium conſolatorem, ſpiritum uidelicet ueritatis, qui ſemper in Eccleſia ſua maneat. Quid ergo? dicent fortaſsis Apoſtoli: Num ſpiritum conſolatorem ita mittes, ut ipſe tu nõ amplius ad nos reuertaris, nec te nobis conſpiciendũ prębeas? Quid igitur toties nobis de reſurrectione tua diſſeruiſti? quid paulo ante dixiſti: Si abiero, iterum ueniam, & aſſumam uos ad
„ meipſum? De hoc reſpondet Chriſtus, et ait: Non relinquam uos or-
„ phanos, ueniam ad uos. Adhuc puſillum, & mundus me iam non uidet, uos autem uidetis me, Quia ego uiuo, & uos uiuetis. Hic initio Chriſtus ſignificat diſcipulos abitu ſuo orphanos ſeu pupillos futuros, & quia hęc contio pertinet ad uniuerſam Eccleſiã, ſignificat etiã Eccleſiã fore in hoc mundo orphanã. Quo uocabulo innuit eos maximis calamitatibus obĳciendos. Non em̃ obſcurę eſt, quantę ſint miſerię orphanorę in hoc mundo. Si his aliqua hęreditas à parentibus relicta eſt, patet direptionibus potentũ. Si nulla, neceſſe habẽt ęgeſtatẽ ſuam mendicitate ſuſtentare. Et uix ulla habetur ratio uitæ iplorę inſtituendę, adeoq̃ quia mors abripuit eis parentes, tam deſerti ſunt ab alĳs hominibus, ut Deus ipſe de cœlo curam eorum ſuſcipiat. Vnde & uocat ſe patrem orphanorum, & ſeueriſsima minatur ſupplicia his, qui noceant ipſis. Tales orphani fuerunt Apoſtoli, poſtquam Chriſtus rapiebatur ad crucem, imo etiam poſtquam emiſsi ſunt in orbem terræ ad prædicandum Euangelion. Cum Chriſtus adhuc præſens cum ipſis eſſet, ſeruabat & cuſtodiebat eos, ne aliquid mali ipſis accideret. Poſtquam autem abĳit per mortem, in regnum ſuum, magiſtratus ciuilis erat, tueri Apoſtolos, ſed hic præcipuus erat, qui perſequebatur ipſos. Nec habebant quicquam præſidĳ in cognatis & affinibus ſuis, adeoque in tota terra, quocunque deflectebant oculos, uidebant aduerſarios. Talis orphana eſt & Eccleſia Chriſti, in hoc mundo. Regnum enim eius de hoc mundo non eſt. Deberent aũt eam tueri amici eius, hoc eſt, miniſtri Eccleſię & ciuilis magiſtratus,

magistratus, sed illi solent fieri lupi, qui gregem domini impia doctrina ac etiam externa tyrannide dilaniant, quemadmodū exempla Pontificum testantur, hic uero tantisper Ecclesiam tutandam suscipit, dum inuenit in ea aureos & argenteos calices eliquandos. Talis orphanus est & priuatus quisque pius, qui cum pietatem serio sectatur, innumeris aduersis obiicitur, in quibus aut nullos aut paucissimos habet, qui ipsum uel ope uel consilio iuuent. Et rapitur uel tandem ad mortem, ac inferni dolores, qua in re non tantum ab amicis, uerumetiam ab ipsis, si quos adhuc habet, parentibus suis deseritur. Hoc est uere esse orphanum. Cum igitur Christus uideat, quid de Apostolis & Ecclesia sua futurum sit, uidelicet, ꝙ in hoc mundo calamitatibus, in modum orphanorum, obruantur, suscipit ipsos cōsolandos, & ait: Non relinquam uos orphanos. Scio uos omni humano præsidio, uelut orphanos, destituendos, sed bono animo sitis, non deseram uos, non relinquam uos orphanos. Quem ergo constitues nobis patrem, aut tutorem? Num Romanum Pontificem? Iactant quidem Romani Pontifices se, in Petro, constitutos esse Ecclesiæ tutores, sed hac iactātia nihil est uanius, quippe ꝙ Christus ne Petrum quidem ipsum tutorem et seruatorem, sed tantum ministrum Ecclesiæ constituerit. Nū Romanum Imperatorem? Is debet quidē esse diaconus Ecclesię Christi, uires autem eius non sunt tam potentes, ut queant Ecclesiam in incursu mortis & Satanæ seruare. Quem ergo dices esse orphanę Ecclesię patrem ac tutorem? Supra dixit: Dabit uobis alium consolatorem, spiritum ueritatis. Nunc autem dicit: se non tantum missurum spiritum sanctū, sed etiā ego ipse (inquit) redibo ad uos, & suscipiā uos tutandos. Ad uos, inquam, redibo, non ad mundum. Paululum adhuc temporis supereſt, quo homines huius seculi me uideant, postea nunc̄ꝫ amplius uisuri. Vos autem me uidebitis, Vobis me manifestabo, ut non solum meam præsentiam coràm uideatis, sed etiam meum auxilium, ac salutem reipsa sentiatis. Sciamus igitur quomodo Christus redierit ad discipulos & Ecclesiā suā, ut cognoscamus corā Deo nihil esse Ecclesia tutius ac munitius. Primū, Christus redijt ad suos, Resurrectione. Postc̄ꝫ em̄ resurrexit à mortuis, non continuo abscondit sese in regnum patris sui, nec etiā exhibuit sese manifestum toti populo, quemadmodum Petrus loquit̄, sed selegit sibi quadraginta dies, in quibus ostēderet sese manifeste discipulis suis, & testificaretur non solum se uere à mortuis resurrexisse, uerumetiam mortem à se uictā, & Ecclesiā secum perpetuo uicturam. In his quadraginta diebus, Apostoli fuerunt, propter præsentiam Christi, tutissimi, nec dubitamus, quin maiori gaudio & lætitia, ex presentia & colloquio Christi domini sui affecti sint, quàm si communi omniū gentium suffra- Act. 1.

gio ad ſuſcipiendas in hoc ſeculo regias maieſtates uocati fuiſſent. Deinde, poſtq̃ Chriſtus aſcendiſſet in cœlum, rediit ad Eccleſiam ſuam, miſſo ſpiritu ſancto, & confirmato Euangelio ſuo. Non enim ſentiendum eſt, q̃ Chriſtus ita in cœlum aſcenderit, & ſpiritum ſanctum miſerit, ut ipſe quidem otioſus in hoc corporali cœlo ambulet, ſinat autem in terris prędicationẽ Euangelij, quæ eſt opus ſpiritus ſancti, temere ferri. Hę ſunt pueriles, ne qd grauius dicã, de Chriſto cogitationes. Sed ideo aſcendit in cœlum, & ut Paulus ait, ſuper omnes cœlos, ut omnia impleret, ac pręſens Eccleſiam ſuam, per ſpiritum ſanctum, gubernaret, & ſeſe totum, unà cum omnibus bonis ſuis, per Euangelion, credentibus donaret. Ecce ego, inquit, uobiſcum ſum, omnibus diebus uſq̃ ad conſummationem ſeculi. Porro, quæ bona, & quem fructum Chriſtus pręſens afferat & cõferat in Eccleſiam ſuam, perſpicue exponit, cum addit: Quia ego uiuo, & uos uiuetis. Hoc eſt obſeruabile dictum, quod debet nobis eſſe commendatiſsimum, & inter ea dicta Chriſti reponendum, quę uere uocantur, Euangelion, & nobis cœleſtẽ ſalutem adnunciant. Multi em̃ ſunt, qui cum audiũt diuitias, & maieſtatem Chriſti explicari, exiſtimant, rem Chriſti eandem habere rationem, quam habet res alicuius diuitis mercatoris, aut regis mundani. De quo dicere ſolent: Quid mihi prodeſt, q̃ hic ſit diues & opulentus, cum non ſit tam liberalis, ut in me ſuas opes conferat? Quid me iuuat, q̃ ipſe fruitur multis bonis, ego uero omnibus malis ſim obnoxius? Homines enim natura ſunt illiberales, & quę bona poſsident, ea ſe non alijs, ſed ſibi tantum poſsidere putant. Sed Chriſtus longe aliter eſt affectus. Dicit enim: Ego uiuo, & uos uiuetis, hoc eſt, Mea uita ueſtra eſt. Quare ſi ego uiuo, fieri non poteſt, quin & uos uiuatis. Quæ ergo eſt uita illa, qua Chriſtus uiuit? Non fit hic ſermo de hac corporali et caduca uita. Hęc enim uita, non eſt uera uita, ſed eſt potius efflatio uitę, & meditatio mortis. Non enim tũc primũ efflamus uitam aut animã, cum quinquagenarij aut ſexagenarij ex hac luce demigramus, ſed incipimus animam efflare, cum in utero matris concipimur, & in hoc mundo naſcimur. Quis igitur diceret hanc corporalem & caducam uitam, eſſe ueram uitam? Chriſtus autem loquitur de uera uita. Porro, uerę uitę nomine uenit primum, iuſtitia. Iuſtitia enim fit, ut uiuatur coram Deo, Chriſtus autem eſt uere & perfecte coram Deo iuſtus. Quare iuxta hoc dictum Chriſti: Ego uiuo, & uos uiuetis, recte ſequitur, q̃ cum Chriſtus ſit uere iuſtus, etiam nos, qui credimus in Chriſtum reputemur uere corã Deo iuſti propter Chriſtum, quia Chriſtus donat ſe credenti, cum omnibus ſuis bonis, & Deus pater ratam habet hanc donationem. Dicit enim de Chriſto: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum

placitum est. Et Paulus affirmat Deum tradidisse filium suum pro nobis. Quomodo igitur fieri posset, ut non & cum eodem omnia nobis donet? Deinde uitę nomine uenit Cōseruatio in morte. Christus autē in morte ita conseruatus est, ut non potuerit in ea detineri. Quare iuxta hoc dictum Christi: Ego uiuo, & uos uiuetis, recte sequitur, ꝙ cum Christus conseruatus sit in morte, necesse sit, ut & nos, si credimus in Christum, conseruemur in morte, ne pereamus. Prętera, nomine uitæ, uenit Resurrectio à morte, ęterna uita & fœlicitas. Christus autem uere à mortuis resurrexit, & ingressus est in regnum patris sui, ad æternam uitam & fœlicitatem. Cum igitur Christus dicat: Ego uiuo, & uos uiuetis, optime sequitur, ꝙ cum Christus à morte resurrexerit, & intrauerit in ueram & ęternam uitam ac fœlicitatē, etiam nos, qui credimus in Christum, & sumus membra corporis eius per fidem, resurrecturi simus à morte ad cœlestia & sempiterna gaudia. Sed ut hoc paulo apertius explicetur, addit: In illo die uos cognoscetis, ꝙ ego sum in patre meo, & uos in me, & ego in uobis. Nihil potuisset de communione, quam Christus in bonis suis habet cum credentibus, clarius dici. In illo die, (inquit) hoc est, cum resurrexero à mortuis, & misero spiritū sanctū. Primū declarabo maiestatē meā, ut manifeste cognoscatis, ꝙ sim in patre, ꝙ sim uerus ab æterno filius Dei, adeoꝙ natura Deus ipse. Deinde testificabor per Euangelion meum, ꝙ uos in me sitis, & ego in uobis, hoc est, ꝙ & uos sitis filij Dei, & hæredes æternæ salutis. Porro, cum dicit spiritum sanctum testificari, ꝙ ipse sit in patre, & nos in ipso, intelligendum est pro uniuscuiusꝙ conditione. Nam cum dicitur Christum esse in patre, significat Christum esse uerum & naturalem ab ęterno filium Dei, quia hęc est propria maiestas Christi. Cum uero dicitur, nos esse in Christo, significat nos quidem esse filios Dei, sed adoptiuos, quia hęc est conditio nostra, non ut simus natura, sed adoptione filij Dei: Accepistis, inquit Paulus, spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater. Idem spiritus testatur unà cum spiritu nostro, ꝙ simus filij Dei. Et iterum: Vbi uenit plenitudo temporis, emisit Deus filium suum, factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos, qui legi erant obnoxij, redimeret, ut adoptione ius filiorum acciperemus. Quod igitur Christus dicit, Spiritum testificari, quòd simus in Christo, & Christus in nobis, duo significat. Alterum, quòd simus adoptiui filij Dei propter Christum, in quem credimus. Alterum, quòd simus membra Christi, qui est Ecclesię suæ caput. Ac illud quidem manifeste testatur, nos esse hæredes omnium cœlestium bonorum, Si filij, inquit Paulus, ergo & hęredes. Hęredes quidem Dei, cohęredes autem Christi. Et iterum: Iam non es seruus sed filius. Quod si fi-

lius,& hęres Dei per Christum,hoc autem clare docet, omnia Christi bona ad nos pertinere,& nos in Christo possidere perpetuã iustitiã & salutẽ. Cum eñ audis, ꝙ Christus sit in nobis, & nos in Christo,quęso te cõsidera quid sit Christus,& qd nos simus,ut & cognoscas,quãta beneficia à Christo accipiamus. Quid enim est Christus? Perfecta est iustitia, uita, salus & fœlicitas. Quare cum Christus est in nobis,erunt profecto & hæc omnia ita in nobis,ut de ipsis in iudicio Dei gloriari audeamus. Quid autẽ nos sumus? Peccatum sumus, miseria,paupertas,mors & infœlicitas. Hæc sunt nostra, si ita dicere licet, bona quę ad Christum afferimus. Sed quid? Num hęc locum habent in Christo? num possunt Christo nocere? Nihil certe minus. Christus suscepit quidem supplitia peccati, suscepit calamitates,mortem,& horrores inferni. Hęc autem non potuerunt Christum opprimere,sed necesse habuerunt Christo cedere, & sese in captiuitatem eius tradere. Quare fieri non potest, ut & nobis in Christo existentibus nocere queant. In Christo enim uictore & triumphatore ita absorbentur, ut ne uestigium quidem eorum reliquum sit mansurum. Hic uide mihi nunc quanta sit fœlicitas eorum,qui uere in Christum credunt. Si percelluntur iuditio peccati,bene confidant, quia Christus iustus est.Ergo & ipsi iusti sunt.Si affliguntur paupertate, bono animo sint,quia Christus diues est. Ergo & ipsi diuites sunt. Si concutiuntur horrore mortis & inferni,nihil de salute sua dubitent,quia Christus uiuit,& regnat. Ergo & ipsi uiuunt,ac regnabunt cum ipso in perpetuũ. Hæc nobis sunt meditanda, hęc sunt cogitanda, ut ab ea spe,ad quam uocati sumus,non dimoueamur ullis aduersis,sed in officio nostro contineamur per Iesum Christum DOMINVM nostrum,qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXX.

CHRISTVS promisit hactenus discipulis suis magna & multa benefitia allaturũ. Dixit: Ego uiuo, & uos uiuetis. Dixit: Ego in uobis sum, & uos in me. Hæc & id genus alia promissa cõplectuntur maiora benefitia, cꝫ quę humana ratiõe cõprehẽdi queãt. Nunc igitur exponit Christus, quas debeant proprietates habere hi, qui cupiunt benefitiorum suorum participes esse. Etsi enim Christus proponit se uniuerso mundo fruendum, tamen pauci sunt, qui fructũ eius accipiũt. Videamus ergo quę sint proprietates eorum, qui benefitijs Christi fruuntur. Qui habet, inquit, pręcepta

præcepta mea, & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a patre meo, & ego diligã eum, & apariã ei meipſum. Quod dicit, hanc habet ſententiam: Nemo accipit benefitia Chriſti, niſi qui DILIGIT eũ. Quare nec Iudęi, nec Turcę fruunt benefitijs Chriſti, ꝙ non ſolum non diligant Chriſtum, uerumetiam extremo odio eum proſequantur, & extinctum cupiant. Nec hypocritę inter Chriſtianos fruuntur benefitijs eius, ꝙ etſi iactant gloriam Chriſti ſermonibus ſuis, tamen dant multas ſignificationes, ꝙ non diligant Chriſtum. Amabo igitur te, commemora nobis, quis diligat eum uere. Hic audi mihi Chriſtũ ipſum: Is, inquit, diligit me, qui HABET MANDATA MEA, ET SERVAT ea. Hęc eſt proprietas eorũ, qui diligũt me. Habent mandata mea, & ſeruãt ea. Si mea mandata nõ habeant, & non ſeruent, ꝓſpicuũ eſt, ꝙ non diligant me, etiamſi plurimũ de me glorientur. Etſi aũt ſæpe dictum eſt ſupra de mandatis Chriſti, tamen ut hoc dictũ Chriſti recte intelligamus, etiã nunc quędam dicenda ſunt. Cum enim Chriſtus loquitur de mandatis ſuis, non loquitur de lege Moſi, uel cerimoniali, uel iuditiali, uel etiam Decalogo, ſed loquitur de ſuo Euangelio, quo primũ mandauit, ut diſcipuli credant in ipſum, ꝙ ſit uerus Meſſias, & propitiatio noſtra. Deinde mãdauit eis, ut hoc Euangelion etiam ipſi adnuntient, & profiteantur coram uniuerſo mundo, nec ſinant ſe ullis aduerſis à fide & confeſſione nominis ſui deiici. Poſtremo mandauit eis, ut ſe mutuo diligant, quẽadmodum ipſe eos dilexit. Hęc ſunt mandata Chriſti, quæ qui facit, palàm ſignificat, ſe Chriſtum uere diligere. Non ſolũ aũt dicit: Qui prȩcepta mea HABET, ſed diſerte addit. Et SERVAT ea. Euãgeliõ enim Chriſti, non ſolum audiendũ & ſciendum eſt, uerumetiã reipſa, fide uidelicet, & fidei fructibus ſeruandũ. Quid ergo fiet diligenti Ieſum Chriſtum? Diligetur, inquit, à patre meo. Hoc maius beneficium eſt, ꝙ humana mens capere poteſt. Dilectio enim Dei patris ergo eũ, qui diligit filium eius Ieſum Chriſtum, non eſt tantum generalis illa dilectio, quã deus habet erga omnes creaturas ſuas, nec eſt tam frigida, ꝙ hominum dilectio erga ſeinuicem eſſe ſolet, ſed eſt ardentiſsima, & uere paterna. Sic enim diligit eum, qui diligit Chriſtum, ut initio ſit ei clemens & propitius, ac remittat ei peccatum propter Chriſtum. Poſtea, adoptet eum in filium ſuum. Adhæc, exaudiat eũ in omni petitione & oratione ſua, & tueatur ipſum in omnibus aduerſis. Ad extremũ, ſeruet eũ in morte, & excitet ipſum ad æternã uitam ac fœlicitatẽ. Hæc eſt uere paterna dilectio, quæ nobis contingit propter Chriſtum. Quare, ſi quis uoluerit cœleſtẽ hęreditatẽ capere, hic neceſſe habet Chriſtum diligere & mandata eius ſeruare. Porro, non ſolum PATER, ſed & EGO, inquit, diligam eum, & manifeſtabo ei

meipſum. Ad cœleſtiũ benefitiorũ cumulũ etiã hoc accedit, qꝺ Chriſtus ipſe diligat diligentẽ ipſum, et manifeſtet ſe ei. Hęc manifeſtatio affert ſecum omnem cœleſtem hæreditatem. Hęc, inquit, eſt æterna uita, ut cognoſcant te ſolum uerum Deum, & quẽ miſiſti, Ieſum Chriſtum. Et Paulus ait, Chriſtus factus eſt nobis à Deo ſapiẽtia, iuſtitia, ſanctificatio et redemptio. Quare, cui manifeſtatur Chriſtus, ei manifeſtatur diuina ſapientia, & redemptio. Dicit & alibi Paulus: In Chriſto ſunt omnes theſauri ſapientię ac ſcientiæ reconditi. Cui igitur Chriſtus patefit, ei patefit diuinę ſapientię & ſcientię theſaurus. Quomodo ergo patefacit, quomodo manifeſtat ſe Chriſtus? Poſtꝙ abductus eſt à diſcipulis ſuis, & in crucem ſublatus, manifeſtauit ſe eis reſurrectione ſua, qua perſpicue cognouerunt maieſtatem & fœlicitatem eius, deinde manifeſtauit ſe eis, miſſo ſpiritu ſancto, quo inſtituit & confirmauit prædicationem Euangelij ſui, & ſacramenta eius, baptiſmũ uidelicet, & Cœnam dominicam, quibus manifeſtat ſe credentibus, in hoc ſeculo, uſꝙ ad nouiſſimum diem. Hęc ſunt organa, quibus Chriſtus manifeſtus nobis proponitur. Hęc ſunt facies & forma Chriſti, qua eum uidere & cognoſcere poſſumus. Poſtremo manifeſtabit ſe in nouiſſimo die omnibus piis, ut cognoſcant eũ, ſicut eſt, & fruantur in ipſo perpetua fœlicitate. Sed admiratur Iudas, qd illud
» ſit, qꝺ Chriſtus manifeſtaturus ſit ſeſe, non mundo, ſed diſcipulis: Di
» cit enim ei Iudas, non ille Iſcariotes, (ſed frater Iacobi, Lebbęus, cog-
» nomento Thaddęus) Domine, quid factum eſt, qꝺ manifeſtaturus es
» nobis teipſum, & nõ mundo? Quid? De Chriſto ſcriptũ eſt, qꝺ ſit dominaturus in toto orbe terrarũ. Quomodo ergo nos pauci te uidebimus, & non potius tota hominum multitudo? Quid? Iſrael eſt populus Dei. Annas & Caiaphas ſunt ſummi Pontifices. Quomodo ergo nobis potius abiectis hominibus, q̃ illis Illuſtribus apparebis? Num nos Publicani & piſcatores ſoli erimus Eccleſia Dei? Soli ne nos ſapiemus, & oẽs alij deſipiẽt? Quid? An nõ iudicaturus es uniuerſum mundũ? quomodo ergo nos ſoli te uidebimus, & nõ etiã mundus? Interrogatio obſeruatu digniſſima, ut hac occaſiõe diſcamus, quę ſit uera
» Eccleſia Chriſti. Reſpondit eĩ Ieſus & dixit ei: Si qs diligit me, ſer-
» monẽ meũ ſeruabit, & pater meus diliget eũ, & ad eum ueniemus, &
» manſionẽ apud eũ faciemus. Qui nõ diligit me, ſermones meos non
» ſeruat. Repetit Chriſtus plane eadẽ, quę ante dixit, ut clarius explicet, qui ſint uera Eccleſia eius. Eſt aũt hęc ſentẽtia, Iuda qd interrogas, iam expoſui, ſed uideo te non intelligere meũ ſermonẽ. Dicam ergo iterũ, ut ſi nihil aliud hoc tẽpore adſequeris, ſaltem uerba ipſa conſerues. Nam ſenſum eorum ſpiritus ſanctus poſtea reuelabit. Ego dominabor quidem in uniuerſo mundo, & mundus uidebit me in nouiſſimo die, non fruentur autem omnes homines meis benefitijs, nec omnes

homines erunt meus populus,& uera Ecclesia. Sed hi soli erunt uera Ecclesia,& fruentur meis benefitijs,qui diligunt me,& seruant meos sermones. Meus enim pater non respicit potentiam,sapientiam,uestitum, aut aliam externam laruam huius mundi, sed respicit dilectionē seu fidem in me,& obseruationem sermonis mei. Quid ita? Quia ser- « mo,quem auditis,non est meus,sed eius,qui misit me patris. Doceo: « Me esse uerum Messiam,& unigenitum filium Dei, Contionor,omnem,qui in me credit,consequi ueram & æternam salutem. Hunc sermonem non excogitaui somnio quodam carnali, sed est mandatum Dei patris mei. Hic me misit in hunc mundum,ut quicquid id sit rei, publice doceam. Ego,iuxta psalmum, constitutus sum rex ab eo sup Zion montem sanctum eius,ut prędicem præceptum eius,quod mihi mandauit,uidelicet: Filius meus es tu,ego hodie genui te. Quare nec ego nec pater meus ueniemus, & mansionem faciemus apud eos, qui externa tantum potentia,aut alia humana specie illustres sunt,sed faciemus mansionem apud illos, qui diligunt me, & seruant meam contionem. Obseruabile dictum: Dilectio,qua Christum complecteris,& obseruatio Euangelij eius efficiunt, ut pater & filius diuertant ad te,& fiant hospites tui. Primum ergo consideranda erit horū hospitum maiestas: Pater enim & filius sunt uerus & omnipotēs Deus,creator cœli & terrę. Quæ excellentior maiestas dici potest? Deinde consideranda sunt benefitia eorum, quę cum ijs, qui ipsos excipiunt hospitio,communicant. In terris,multi sunt principes ac domini, qui quanto sunt potentiores,tanto sunt grauiores & molestiores his, ad quos diuertunt, & qui eos hospitio accipiunt. Denicq; rependunt aliquoties pro hospitio pessimam gratiam. Deus autem pater & filius,ut sunt potentissimi,ita sunt & beneficentissimi. Quocunq; diuerterint,eo secum adducunt spiritum sanctum, qui est cœlestium & diuinorum benefitiorum dispensator. Quid enim, cum tales ac tantos habes hospites, metuis? aut quibus rebus eges? Siue enim incurrunt in te aduersa,habes defensores & tutores, siue desunt tibi ea, quæ ad salutem tuam necessaria sunt, habes omnium bonorum thesaurum. Hic est remissio peccatorum. Hic est Adoptio,hic est uictoria in morte,hic est ius æternę uitæ. Quæ bona si affuerint, quid incommodi afferret uel paupertas,uel morbus,uel mors ipsa? Certe si hæc bona possederis,paupertas,diuitię erunt,morbus erit sanitas,mors erit uita. Nec est,ꝙ te huius rei uel cura uel dubitatio teneat, tantum in hoc studium incumbendum nobis est, ut patrem,filium & spiritum sanctum,in hospitium nostrum accipiamus,& acceptos non turpiter ejiciamus,sed reuerenter eos tractemus & diligenter retineamus. Accipimus autem eos hospitio per dilectionem seu fidem in Christum.

Si quis diligit me, inquit, sermonē meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionē apud eum faciemus. Testificat hoc & baptismus. Qui em̄ in Ecclesia Christi baptisatur, is baptisatur iuxta mandatum Christi, in nomen patris & filij & spiritus sancti, hoc est, baptismo sanctificatur in patris & filij & spiritus sancti hospitiū, ut cum credit in Christum seruatorem suum, fiat hęres omnium cœlestium bonorū. Sed quomodo retinemus hos hospites, ne nos deserāt? Accipimus eos fide, retinemus eos obediētia fidei, & honestate uitę: An nescitis, inquit Paulus, ꝙ corpus uestrum tēplum est habitātis in uobis spiritus sancti, quē habetis à Deo, & nō estis ipsi uestri iuris? Nam empti estis pretio. Glorificate igit̄ Deum in corpore uestro, & in spiritu uestro, quę sunt Dei. Et iterū: Vos tēplum estis Dei uiuentis, quēadmodum dixit Deus: Inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorū deus, & ipsi erūt mihi populus. Templo aūt dei nihil cōuenit cum prophanis actionibus. Fugiamus igit̄ omnē prophanā turpitudinē, & cōferamus omnem curā nostrā in studiū pietatis & honestatis, ut deus maneat in nostro hospitio, et cōseruet nos in oībus piculis, uera & perpetua salute per Iesum Christum Dn̄m nostrū, q̄ est unà cum patre & spū sancto deus bn̄dictus in secula, Amē.

1. Cor. 6.

2. Cor. 6.

HOMILIA XXXI.

ETsi Christus haud obscure hactenus significauit regnū suū nō fore mundanū, sed spirituale et cœleste, tn̄ tāta est discipulorū ruditas, ut etiā perspicua nō intelligāt. Cum em̄ essent ebrij cogitationibus de mundano regno, somniabāt externā tm̄ & terrenā fœlicitatē in Christo. Quare etsi Christus clare dixit se abiturū, morte ad patrē, & rediturū quidem, hoc est, resurrecturū à morte, non aūt omnibus hominibus cōspicuum fore, quo manifeste docuit regnū suum non esse mundanum, tn̄ discipuli non intelligunt uerba Christi, nec possunt ulla ratiōe cognoscere, quid sibi hęc cōtio Christi uelit. Quam ignorantiā Iudas palam prodit, cum interrogat, quid illud sit, ꝙ Christus dixerit manifestaturū se ipsis & nō mundo. Postq̄ igit̄ Christus repetijt priorē suā exhortationē, qua monet eos, ut diligāt ipsum, credant in ipsum, & seruēt contionē suam. Sic em̄ futurū esse, ut habeāt hospites, patrē & filiū, addit nūc. Hęc locutus sum uobis, apud uos manēs.

" Paracletus aūt ille, q̄ est spiritus sanctus, quē mittet pater noīe meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis oīa, q̄cunq̄ dixi uobis. Quę

" Christus dicit, cū ijs, quę ante dicta sunt, ita cōueniunt. Multa quidē perspicue exposui uobis de meo regno, ꝙ non sit mundanū. Vos aūt uestris somnijs de mundano regno prius ebrij, non intelligitis nunc uerba mea. Quare mittā uobis paracletum, spiritum sanctum, qui sit interpres meorum uerborū, & illustret mētes uestras, ut meas contio-

nes

nes recte intelligatis. Hic ergo initio considerandum est, ꝙ Christus manifeste contionet de tribus personis in una diuina natura, & distinguat eas, suis officijs. Pater, inquens, mittet. Habes unã personã, uidelicet Patris, cui tribuit officiũ mittendi spiritus sancti. Et addit: Mittet MEO noie. Habes alterã personã, uidelicet, Filij, cui tribuit officium merendi, ꝙ & meritus sit, ut dona spiritus sancti hominibus dent, & ꝙ illustret spiritu sancto. Meo, inquit, noie, hoc est, meo merito, & propter me, ut me illustret. Addit & de Spiritu sancto. Paracletus, inquiens, qui est spiritus sanctus: Habes tertiã personam, cui tribuit officiũ suggerendi & interpretandi uerba Christi. Hę sunt tres personæ in una diuina natura. Quod mysteriũ, etsi nõ possumus humana ratione cõprehendere, possumus tñ dono spiritus sancti credere, donec in futuro seculo Deum ipsum, ut est, ꝓfecte cognoscamus, quę cognitio summa erit, & ęterna fœlicitas ac beatitudo. Deinde, cũ Christus hoc loco promittit spiritum sanctum discipulis, non intelligentibus suam contionẽ, haud obscure significat, piam doctrinã non posse percipi humana ratione, sed necessariũ esse spiritũ sanctum. Quare, cum dictũ sit, Pater cœlestis dabit spiritum sanctũ poscentibus se, diligenter orandum est, ut spiritus sanctus illustret mentes nostras, ut uerum uerbi Dei sensum recte intelligamus. Sciamus ergo nunc, quãdo hęc, Christus hoc loco de mittẽdo paracleto seu spiritu sancto ꝓmittit, impleta sunt. Fuerunt aũt quondã insani hoies, qui nõ ueriti sunt dicere paracletũ discipulis in Euãgelio ꝓmissum nõ esse datum Apłis, sed Montano, aut Manichęo. Qua furia, qđ potest magis insanũ dici? Et tñ sunt inter Põtificios hypocritas, qui & ipsi nõ uerent docere spiritum sanctũ non patefeciſſe oĩa Apostolis, sed multa reseruasse patefacienda scrinio pectoris Pontifitȷ, quemadmodũ et inter ueteres fuerunt, ꝙ existimarũt paracletum docuisse Apostolos fidẽ, posteros aũt eorę, disciplinã. Sed ut illi Montanistę unà cũ suo furore perierũt, ita hi Pontifitȷ unà cũ suis somnijs euanescẽt. Fieri em̃ non põt, ut mendatia ꝑpetuo cõstent. Nam q̃d ad cõpletionem ꝓmissiõis Christi de spũ sancto attinet, ꝑspicuum est, ꝙ Apostolis et alijs discipulis datus sit spũs sanctus in die Pentecostes, magnis & stupẽdis miraculis. Cuius spũs sancti uirtute effectũ est, ut Apłi non solum clare intelligerẽt contiões Christi, quas ante audiuerãt, uerũetiã ęderẽt in noie Christi magna miracula, et uulgarẽt Euãgeliõ Christi in totũ orbẽ terrę. Sed qđ? Num solis Apostolis & ijs discipulis, qui in die Pentecostes cum Apostolis congregati erant, ꝓmissus & datus est spiritus sanctus? ac non etiam uniuersę ecclesię Christi? Datus quidem est spiritus sanctus magna externorum miraculorum pompa Apostolis & alijs initio reuelati Euãgelij etiam post Pentecosten, Promissus autem est, ac

Lu. 24

Cataphrygæ

Tertulianus de uelandis uirginibus.

datur etiam, quamuis sine externa miraculorum pompa, uniuersæ Ecclesię Christi. Ecclesia enim non posset in tantis, & tam diuturnis afflictionibus constare, nisi spiritus sanctus eam gubernaret & conseruaret: Rogabo, inquit, patrem, & alium consolatorem dabit uobis, ut maneat uobiscum inæternum. Et iterum: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationē seculi. Vbi autem Christus est, ibi spiritus sanctus sit, necesse est. Et in oratione sua dicit Christus: Non pro eis tantum rogo, sed & pro ijs, qui crediturí sunt per sermonem eorum in me. Hic intercedit Christus non pro Apostolis tantū, sed etiam pro uniuersa Ecclesia, ut donetur spiritu sancto, & conseruetur. Putas autem intercessionem Christi uanam & irritam esse? Dicit & Paulus: Si quis spiritū Christi non habet, hic nō est eius. Ac mox: Accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater. Quare spiritus sanctus non est tantum Apostolis datus, sed datur etiam uniuersæ Ecclesiæ Christi. Hic nunc uociferantur Pontifitij, q̄ cum ipsi sedeant ad gubernacula Ecclesiæ, habeant etiam spiritum sanctum, & quicquid docuerint, sit oraculum spiritus sancti. Spiritus sanctus, inquiunt, promissus est Ecclesiæ, & nō deserit Ecclesiā. Nos autem sumus capita, & præcipua pars Ecclesię. Manifestum igitur est, q̄ quicquid statuimus, hoc sit ut sacrosanctum, & ab ipso sancto spiritu statutum, obseruandum. Itaq; sentiunt, q̄ quicquid uel iuxta humanam rationem & prudentiam constituerint, uel etiam per febrim somniauerint, debeat ab omnibus pro spiritus sancti oraculo agnosci. Primum igitur considerandum est, q̄ non cōtinuo is cœtus sit Ecclesia Christi, qui se Ecclesiā esse iactat, sicut & non omnes, qui sunt ex Israel, sunt Israel, neq; qui sunt semen Abrahę, statim omnes filij: Nam Ecclesia Christi ea est, (quemadmodum Christus eam ante definiuit) quæ diligit Christum, & seruat sermones suos. Quare is cœtus, qui non seruat Christi sermones, non est uera Ecclesia Christi, etiamsi iactet Ecclesiæ titulum. Deinde considerandum est, quale sit officium spiritus sancti. Nam spiritus sanctus ad hunc usum promittitur & datur, non ut doceat, & instituat noua, quæ pugnēt cum doctrina Christi, & obscurent Christum, sed ut explicet ea, quæ Christus docuit, & illustret Christū. Dicit enim: Spiritus sanctus docebit uos OMNIA. Quæ? num noua, & aliena à mea doctrina? Minime oim, sed Quæcunq; EGO dixi uobis. Et iterum: Pater, inquit, mittet eum MEO nomine, hoc est, ut ME illustret. Manifestum igitur est, q̄ ea quæ pugnant cum uerbo Christi, cum doctrina Euangelij eius, & quæ obscurant ipsum, non sint spiritus sancti statuta. Pugnant aūt cū Euangelio Christi, Abrogatio unius speciei, ut uocant, in sacramento Cœnæ dominicæ, Missa pontifitia, ad expianda peccata uiuorum & mortuo-

mortuorꝝ, Doctrina põtificia de purgatorio, de ordinib. monasticis, & multa id genus alia. Obscurãt aũt Christũ, humanę traditiões de cibo, uestitu, & alijs rebus. Quare fieri nõ potest, ut spiritus sanctus sit huius doctrinę & traditionũ autor. Habes publicũ offitiũ spũs sancti in ecclesia, uidelicet, ꝙ doceat Euangeliõ Christi, & suggerat ea, quę Christus p̃dicauit, hoc est, ꝙ instituat in ecclesia ministeriũ prędicandi Euãgelij, et cõseruet illud, quo Christus publice illustreť: Dedit, inquit Paulus, alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios pastores ac doctores, ad instaurationem sanctorꝝ, in opus administrationis, in ædificationẽ corporis Christi. Aliud est priuatũ offitiũ spiritus sancti, q̃d priuatim in hominibus exercet. Dat em̃ in corda hoim fidẽ, testatur remissa esse peccata, testať nos adoptatos in filios Dei, excitat preces, ut clamemus Abba pater, mortificat facta corporis, conseruat nos in fide, auget fidem, ducit homines in fidei obedientiam, & ad omnia genera uirtutum. Denicꝙ conseruat credentes in morte ad ętternam uitam. Quid hoc offitio dignius? quid nobis utilius? Quæso autem te, quomodo peragit spiritus sanctus hoc suum offitium? num humanis somnijs? aut traditionibus? num discriminibus ciborum ac uestium? num quatriduanis ieiunijs & chameunijs? Minime omnium, sed peragit hoc priuatum offitium, per suum publicum offitium, hoc est, per prædicationem Euangelij Christi, & per sacramenta eius. Fides, inquit Paulus, ex auditu est. Auditus aũt per Verbum Dei. Et iterum: Euangelion est potentia Dei ad salutem omni credenti. Nam, qui sentit se imbecillẽ in fide, audiat Euangeliõ Christi, ut spiritus sanctus habeat organon, quo fidem confirmet. Si quis sollicitatur dubitatione de cœlesti sua salute, propter peccata sua, audiat Euangelion Christi, ut exhibeat spiritui sancto organon, quo dubitationem compescat. Si quis excitatur á carne & á Satana ad imposturas, ad inuidiam, ad uindictam, ad libidinem, & ad alia genera scelerum, audiat Euangelion Christi, quo spiritus sanctus efficax est, & perficit offitium mortificandi affectus carnis. Ac breuiter, quisquis cupit dona spiritus sancti adsequi, conferat se ad audiendum, & diligenter considerandum Euangelion Christi. Hoc enim illud cœleste organon est, quo spiritus sanctus suum offitium in hominibus peragit, & sua dona confert. Sed reuertamur ad con ionem Christi. Sic enim sequitur: Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis, non quomodo mũdus dat, ego do uobis: Dixit antea Christus se abiturꝝ, ac ne discipuli animo suo nimis perturbarenť, recitauit hactenus aliquot genera consolationis. Addit igitur nunc aliam consolationem: Pacem, inquiens, relinquo uobis. Non discedam á uobis illiberaliter, sed relinquo & dono uobis pacem. Quæ ergo est illa pax? Num externa hominum concordia, & tranquillitas? Nihil quidem

iucundius est externa tranquillitate, & ut mutuã habeamus pacem atque concordiam, sæpe aliâs admonuit Christus. Hoc autem loco de alia pace loquitur. Addit enim: Non quam mundus dat, hoc est, non loquor nunc de externa & mundana pace, quam homines inter se mutuo habere debent, & quam etiam principes huius mundi aut armis parare aut publicis pactis & conuentis instituere possunt, sed loquor de pace spirituali, quam ego solus conferre possum. Et nomine pacis intelligo omnia benefitia, quę ego solus à Deo patre hominibus in me credentibus impetraui. Cum autẽ Christus affirmat se nobis hanc pacem, & hæc benefitia relinquere ac donare, sentiendum est, eum nobis ueram & perpetuam salutem donare. Nam, si cui hic mundus uult benefacere, ei dare solet externa tantum bona, corporalem uidelicet tranquillitatem, aut sanitatem, aut diuitias, aut dominationem, aut honores, aut uoluptates. Hęc est pax mundi, hæc sunt benefitia mundi, sed nec sunt uera benefitia, nec diuturna, nec etiam nobis sic carne corruptis utilia. Ac habent quidem nomen benefitiorum, sed si recte perpenderis, magis sunt onera & grauamina, q̃ tranquilla fœlicitas. Pone tibi ob oculos diuitias. An non sic comparatum est, ut si quibus diuitiæ contigerint, horum alĩ studeant ut conseruet eas, alĩ ut augeant, alĩ ut helluentur? Hoc certe non est tranquillum otium, sed negotium perturbatione plenum & occupatio sollicitudine redundans. Quare quem mundus donat diuitiis, eum cumulat multis & magnis tam molestiis, q̃ periculis, tm̃ abest, ut conferat in eum benefitiũ fœlicitatis. Christus aũt longe aliam dat pacẽ, & alia benefitia. Vnum em̃ benefitiũ est, Pacificatio & reconciliatio cũ Deo. Alterũ est: Remissio pcti. Tertiũ, Adoptio in filios & hęredes dei. Quartum, Victoria in morte. Quitũ, Aeterna uita & fœlicitas, sed qs posset oĩa benefitiorũ Christi genera enumerare? Ex his aũt benefitiis, si fide accipiunt, oritur pax & trãquillitas cõscientię in oĩbus aduersis, adeoq; in morte ipsa. Quare cũ Christus dicit, se suã, SVAM, (inquã) pacẽ dare & relinquere ecclesię suę, intelligendũ est, eũ donare ecclesię omnẽ cœlestem salutẽ & fœlicitatẽ. Quid ergo de reliqs corporalib. benefitiis dicemus? An qa Christus nõ dat pacẽ, quomodo mũdus dat, nõ est inuocandus pro bonis corporalibus? An cũ grauia & piculosa bella immineant, nõ est precandũ, ut Christus det nobis publicam & ciuilẽ huius mũdi pacẽ? Hic iterũ nobis considerandũ est, ut ante diximus, q; duplicia sint benefitia dei. Alia sunt spiritualia & cœlestia, alia sunt corporalia & mundana. Ac spiritualia quidem & cœlestia, quæ paulo ante enumerauimus, & quæ Christus sua morte impetrauit, ea proprie pertinent ad regnum Christi, & sunt certo omnibus in Christum credentibus, per Euangelion promissa. Omnis enim qui uere

in

in Christum credit, reconciliatur cũ Deo, accipit remissionẽ peccati, adoptat in filium & hæredem Dei, & conseruatur in morte ad æternam uitam. Quare hæc benefitia, quę proprie pertinent ad regnum Christi, petenda sunt sine omni conditione, dubitatione aut exceptione à Deo patre per Iesum Christum filium eius. De corporalibus uero & mundanis benefitijs, aliter sentiendum est. Hęc etsi dantur & ipsa à Deo, tamẽ non proprie pertinent ad regnum Christi filij Dei, et quanꝯ fieri solet, ut nonnulla Deus nominatim promittat, sicut Israëlitis terram Canaam. Dauidi Regnum Israëlis, Iudęis reditum in patriam è Babylone, & alijs alia, tamen quemadmodum corporalia benefitia non sunt uera salus, ita non sunt singula singulis diuinitus promissa. Nouit quidem Deus, quid in hac corporali uita opus habeamus, & fert opem etiam corporali necessitati, non deuinxit autem se se unicuiuis priuatim promissione de certis corporalium benefitiorum generibus. Neꝯ enim promissa est unicuiuis in carceres coniecto, externa liberatio, aut à creditoribus compellato, externa pecunia, aut morbis affecto, externa & corporalis sanitas. Nam & Paulus, cũ oraret, ut auferet ab ipso σκόλοψ, audit. Sufficit tibi gratia mea. Et tñ Dñs Deus noster humano generi per Christũ filium suum reconciliatus, dator est etiam corporalium benefitiorum. Quare & pro his est inuocãdus per Iesum Christum, sed cũ sua modestia et conditiõe, uidelicet, ut inuocationi adijciamus, quod Christus ipse exemplo suo docuit: Non sicut ego uolo, sed sicut tu uis. Et: Fiat uoluntas tua, quẽadmodum in cœlo, sic etiam in terra. Quod ut rectius intelligamus, proferamus exemplum Dauidis in medium. Dauid ejcitur à suo ipsius filio, e regno in exiliũ. Summus aũt sacerdos & Leuitæ sequuntur eum cum Arca fœderis Dei. Sed Dauid iubet eos in urbem reuerti, & arcam in suum locum reponere. Et ait: Si inuenero gratiam in oculis Dei, reducet me, & ostendet mihi eam, & tabernaculũ suum, si autem dixerit mihi: Non places, pręsto sum, faciat quod bonum est coram se. Ex his uerbis facile intelligi potest, ꝙ cum Dauid acceperit quidẽ regnum ex promissione Dei, non autem habuerit manifestam promissionẽ, ꝙ electus in exilium restituendus esset regno, ad hunc fere modum orauerit: Clementissime DOMINE Deus noster, fateor me meo merito extrudi in exilium, sed primum precor te per filium mihi promissum, uerum seruatorem, ut mihi meum peccatum remittas, & me gratia tua clementer cõplectaris: De qua quidem tua uoluntate nihil prorsus dubito, quippe quam mihi manifesta promissione exposuisti. Deinde precor etiam, ut restituas me regno, & reducas me incolumem ad hanc urbem, in qua reposita est arca fœderis tui, sed quia hac in re tua uoluntas non est mihi perspecta, nec 2. Reg. 15.

possum meis cogitationibus cognoscere, utrum gloriæ nominis tui, & meę saluti magis conducat, fiat non mea, sed tua uoluntas. Si me restitueris regno, agam nomini tuo gratias quas possum, si me non restitueris, nihilominus agam gratias, & hoc mihi sufficiet, ꝙ sis mihi Deus propitius per filium & seruatorem, quem te è mea familia daturum recepisti. Hæc oratio declarat magnam obedientiam Dauidis erga DOMINVM Deum suum. Quare Deus ita ea delectatus est, ut etiamsi non promiserat Dauidi manifeste restitutionē in regnum, tamen restituerit eum magna gloria. Proponamus etiam nobis exem
Daniel. 3. plum trium adolescentum in Daniele. Hi recusant adorare statuam regis Babylonis, & audiunt: Si non adoraueritis statuam, mittemini eadem hora in fornacem ardentis ignis. Et quis est Deus, qui eripiet uos de mea manu? Sed respondet regi. Non necesse habemus de hac re tibi respondere: Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, et de manibus tuis ô Rex, liberare. Quòd si noluerit, notū sit tibi Rex, quia Deos tuos nō colimus, et statuam auream, quam erexisti, non adoramus. Hæc uerba haud obscure significant, qualis fuerit oratio horū adolescentū coram Deo. Te æternum & omnipotentem Deum conditorē uniuersę creaturę, qui eduxisti maiores nostros de ferrea fornace Ægypti, & qui promisisti te nobis propitiū per Messiā filium tuū, inuocamus, ut nos grauissimis periculis propter nomen tuū obiectos tuearis. Etsi autem, quantum quidem nos iudicare possumus, existimamus te maximam in toto orbe terrarum gloriam consecuturum, si nos illęsos in igne huius fornacis, in quam proꝛjcimur, conseruares, ac petimus etiam, ut nos potenter et clementer ex hoc igne eripias, tamen quia in his rebus, de quibus non habemus certas promissiones, ignoremus, quid orare, ut oporteat, debeamus, fiat tua, non nostra uoluntas. Si nos in igne conseruaueris, declarabimus gratitudinem nostram, quoquo officio possumus, & prędicabimus gloriam nominis tui toto uitę nostrę tēpore. Si autem aliud uisum tibi fuerit, parati sumus etiam uitam nostram propter nomen tuum impendere. Memorabilis obedientia, qua Deus ita permouetur, ut etiam non promissa admirabiliter largiatur. Etsi autem fieri potuit, ut hi adolescētes cognouerint ex occulta spiritus reuelatione, se ex hoc igni etiam corpore illæsos egressuros, & adhibuerint ei reuelationi firmissimam fidem, tamen nos loquimur nunc de manifestis promissionibus Dei, quas habemus quidem ex Euangelio de spiritualibus, cœlestibus & ęternis bonis per Christum partis, non autem habemus eas priuatim de singulis bonis corporalibus. Quare in horum indigentia ita inuocandus est Deus, ut tamen interim uoluntatem & cupiditatem nostram subꝛjciamus diuinæ uoluntati,

tati, certissima spe concepta, ꝙ etiamsi nõ assequimur bona regni terreni pro nostro arbitrio, tamen assequamur bona regni cœlestis per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXXII.

On est nobis ignotum, ꝙ DOMINVS noster Iesus Christus, discipulos suos, in hac contione, quam post nouissimam cœnam suam habuit, consolandos & aduersus uenturas tentationes muniendos suscepit. Sciebat enim eos è cruce & morte sua magnum & acerbum dolorem accepturos. Sciebat etiam ipsos, & uniuersam Ecclesiam suam, maximis in hoc mundo afflictionibus concutiendam. Quare uisum fuit ei in discessu suo instituere contionem consolatoriam, qua Apostolos ita animaret, ut nõ solum ipsi aduersa fortiter perferrent, uerumetiã Ecclesiam, cuius ipsi doctores ordinati erant, in omnibus huius mundi miseriis confirmarent. Ac recitauit quidem hactenus grauissimas rationes, quibus mœrorem animi eorum leuaret. Nunc autem accedit ad cõtionis suæ epilogum et cõclusionem, in qua repetit tam contionis statum, quem initio posuit, ꝗ præcipua consolationis argumenta: Ne turbeẽ, inquiens, cor uestrum, neꝙ formidet. Hoc plane illud est, quod in principio cõtionis dixit, & quod est totius contionis status. Cohortatur eñ discipulos, ut propter discessum, seu crucem & mortẽ suam non frangentur animo, idꝙ duabus de causis. Vna est: Audistis, ꝙ ego dixi uobis, Vado, & uenio ad uos, hoc est, Dixi quidẽ uobis, me desertu rum uos, & morte à uestra consuetudine auellendum. Quæ res incutiet uobis ingentem dolorem. Nam ut nihil dicam de eo, ꝙ ex meo conuictu hactenus inter hostes uestros tuti fueritis, nec quicquam uobis defuerit, non potuisset uobis hac mea cõsuetudine in terris ulla aut suauior aut iucundior contingere. Quare mirum non est, ꝙ uehementer de meo discessu doleatis, sed qui dixi uobis, me à uobis abiturum, idem etiam dixi, me ad uos rediturum, & uos in omnibus periculis conseruaturum. Dixi: Veniam & assumam uos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & uos sitis. In dolore igitur, quem accipitis propter abitum meum, confirmate animum uestrum recordatione reditus mei, qui maxima quæꝙ benefitia uobis sit allaturus. Quæramus autem, quomodo Christus redierit post mortem ad suos Apostolos. De hac

re, etsi supra diximus, tamen & nunc pauca repetenda erunt. Primum ergo, Christus rediit ad Apostolos suos Resurrectione. Postq̃ enim resurrexit à mortuis, apparuit discipulis suis sępe ac multum, & colloquutus est cum ipsis familiarissime, per quadraginta dies, donec ascenderet in cœlum. Quibus colloquijs, ut Apostoli maximo gaudio affecti fuerunt, ita perspicue cognouerunt eum uere à mortuis resurrexisse, et cœlestem gloriam consecutum esse. Deinde, postq̃ ascendit in cœlum, redijt ad eos missione & donatione spiritus sancti, quo tanta consolatione perfusi sunt, ut non solum excelso animo Euangelion Christi coram regibus & principibus, in toto orbe terrarum uulgarent, sed etiam cæsi ob nomen Christi, lętarentur, & in morte ipsa uitam consequerentur. Nec in Apostolis tantum, uerumetiam in tota Ecclesia Christi hæc locum habere sentiamus. Christus enim uidetur abire, & Ecclesiam suam deserere, cum conniuet ut Euangelion eius damnetur, & Ecclesia persecutionem patiatur ab impijs, ac obijciatur omnibus huius mundi malis. Sed redit ad Ecclesiam, primum reuelatione & illustratione Euangelij, & instauratione ueri usus sacramentorum eius. Deinde redit donis spiritus sancti, quę in Ecclesiam per Euangelion suũ effundit. Ac in Christo semel quidẽ fuit magna Parasceue & dies Paschę, hoc est, passio, crux, mors, & Resurrectio à morte, quod autem in Christo semel fuit, hoc semper durat in Ecclesia, adeoque diuinitus sic ordinatum est per Christum, ut Parasceuen sequatur Pascha, hoc est, ut crucem sequatur consolatio, mortem, uita, horrores inferni, gaudia cœli. Sic enim pij in Hosea dicunt: Venite & reuertamur ad DOMINVM, quoniam ipse lacerauit, & sanabit nos, percussit & medebitur nobis. Viuificabit nos post biduum. In die tertia faciet nos surgere, & uiuemus ante faciem eius. Quę uerba Prophetæ hanc habent sententiam. Sicut Christus passus quidem est mortem, sed tertia die resurrexit à mortuis, & intrauit in gloriam patris sui, ita & pij etiamsi affliguntur, & occiduntur, tamen habent & ipsi suum Pascha, suam tertiam diem, qua recreantur, uiuificantur, & seruantur. Dices autem, Sed meum Pascha diutius, q̃p ad tertiam tantum diem differtur. Nam mea magna Parasceue durat decem aut uiginti annis, ac uix etiam in quadragesimo anno expecto festum diem Paschę, hoc est, liberationis meæ. Quomodo igitur tranquillo esset animo? Hic mihi considera, q̃p cum Propheta dicit, pios tertia die liberandos, significat Resurrectionem Christi, quæ uere tertia die facta est, causam esse liberationis & salutis piorum, non autem significat, quòd pij semper sint post initium afflictionis, tertia die, iuxta hanc mundanam arithmeticam computando, liberandi. Nam libera-

Hosc. 6.

tio

tio piorum certa quidem est propter Christum, sed tempus p̄fuit pa ter in sua potestate. Et alia est mundana, alia est cœlestis arithmetica. In hac enim mundana arithmetica mille anni, sunt mille anni. In cœlesti autem arithmetica, mille anni, unus tantum dies sunt, imo ne dies quidem, sed uix momentum. Quid igitur de temporis diuturnitate coram Deo conquereris, cum decem tantum annis afflictionem perpessus es? Si mille anni in conspectu Dei ne unus quidem dies sunt, quantillū erunt decem tm̄ anni? Accedit & hoc, ꝙ quo diutius differtur liberatio, eo maior crescit usura eius. Sicut em̄ pecunia fœneratorum, tanto plus usurę ultra sortē gignit, quanto plus tēporis depositа manet apud eum, qui illam mutuo ad usurā accepit, ita etiā liberatio piorꝝ tanto cum maiori fœnore æternæ glorię ueniet, quanto diutius in manu Dei retenta fuerit. Quare sustineamus aduersa magno & forti animo, certissimi per Iesum Christum, ꝙ post magnam Parasceuen secuturus sit dies festus Paschæ. Postremo redibit Christus in nouissimo die, magna maiestate, excitaturus omnes homines à morte, & pios secum ducturus in ęterna gaudia cœlestis regni. Quare, etsi in hoc mundo ita affligimur, ut etiam moriendum sit, tamen reliquus est magnus ille festus dies Paschę, quo manifestima ueniet per Iesum Christum omnium piorum liberatio salus & uita. Habes unam rationem, qua Christus consolatur discipulos & Ecclesiam de abitu suo. Sequitur nunc altera. Si diligeretis me, gauderetis uticꝙ ꝙ dixerim, uado ad patrē. Quia pater maior me est. Alia cōsolandi ratio. Gaudē dum uobis est, nō dolendū, ꝙ abeam ad patrē. Pater enim me maior est. Magna quondam de hoc dicto controuersia fuit in Ecclesia. Arriani enim acceperunt ex eo occasionem docendę, & ut ipsis uidebatur, confirmandæ blasphemiæ suæ aduersus ueram & ęternam diuinitatem Christi. Dicebant: Si iuxta hoc dictum Euangelij, pater maior est filio suo, non potest filius patri esse æqualis diuinitate. Minor igitur est filius, iuxta diuinam naturam. Sed hic obserua mihi, ꝙ ex multis alijs locis sacrę scripturæ perspicuum est, Christum esse uerum ab æterno Deum, eiusdem cum patre substantiæ, seu naturæ & essentię. Ac tam Prophetę quàm Apostoli prędicauerunt Christum esse uerum ab æterno Deum, quemadmodum supra copiosè ostendimus. Quare hic unus locus, Pater maior me est, nec debet nec potest sic intelligi, ut euertat manifestam sententiam, tot aliorum testimoniorum scripturæ, quibus clare probatur æterna diuinitas Christi. Cum igitur Christus dicit: Pater maior me est, non confert se cum Deo patre, in diuina natura. Quod enim ad hanc attinet, nec pater maior est, nec filius minor, sed sunt ęquales. Vna enim & ea

In priori parte Homilia. 3.

dem est diuina essentia patris & filij. Sed confert se cum patre, in officio & ministerio. Quod enim dicit, hanc habet sententiam, Non est uobis dolendum propter meum abitum. Abeo enim non ad infernum, ut inæternum peream, sed ad regnum patris mei, quod longe maius est, & illustrius, quàm ministerium, quo ego nunc in his terris fungor. Abeo ad ingrediendum in maiestatem patris mei, quæ multo excellentior est, cui paruitas illa, in qua nunc me in hac uita obambulantem uidetis. Meus enim pater regnat in cœlo. In quo regno nulla est miseria, nulla calamitas, nullus dolor, nulla esuries, nullus morbus, nulla mors, nullus inferni horror, sed omnia sunt fœlicia, iucunda, beata, & inæternum lœta. Ego uero obambulo in hac terra miser & afflictus. Non habeo ullam mundanam dominationem, imo ne speciem quidem dominationis, cum tamen de Messia scriptum sit, quòd dominaturus sit à mari usq; ad mare. Accedit & hoc ad miseriam, quod paulopost crucifigar & occidar. Breuiter, Non est mihi in hac uita, iuxta Prophetæ dictum, nec forma, nec decor, despectus sum, ac nouissimus uirorum, & adeo contemptus, ut homines auertant à me uultus suos. Abeo igitur nunc, ut deposita hac abiecta specie, orner maiestate patris mei, & illustrer ea gloria, quam habui ab æterno, ut palam cognoscatur, me non hominem tantum esse, sed etiam uerum ab æterno Deum. Quare non est uobis dolendum propter meum abitum, sed potius gaudendum, ob eam maxime caussam, quòd ingrediar in maiestatem patris, non tam propter me, quàm propter uos & uniuersam meam Ecclesiam, quippe qui abeam paraturus uobis locum, quemadmodum supra dixi, & patefacturus uobis ianuam regni cœlestis, ut una mecum fruamini perpetua maiestate. Ex hac paraphrasi uerborum Christi, uides Christum non conferre se cum patre in diuina natura, qua sunt æquales, sed tantum in maiestate fœlicitatis, qua filius in hac terra longe minor patre fuit. Considera, autem quomodo hic definiatur mors Christi. Dicit Christus se abiturum ad patrem. Intelligit autem, se moriturum. Mors igitur Christi, non est abitus ad infernum, seu ad interitum, sed est abitus ad patrem, ad cœleste patris regnum, & ad perpetuam fœlicitatem. Nec mors tantum Christi sic definitur, sed etiam mors omnium credentium in Christum. Supra enim dixit: Assumamuos ad meipsum, & ubi sum ego & uos sitis. Et postea: Non proeis tantum rogo, sed & pro ijs, qui credituri sunt per sermonem eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis

unum

unum sint. Quare sicut mors Christi non fuit ingressus in interitum, sed in cœlum, ita mors omnium credentium in Christum, non est ingressus in damnationem, sed in perpetuam salutem. Quid ergo uel tu ad mortis mentionem trepidas? uel in morte pij amici doles? Mortem metuant homines impij, qui Euangelion Christi contemnunt, & persequuntur, ac in sceleribus suis impœnitenter pergunt. Nobis autem hoc tantum curæ sit, ut Christum cognoscamus, amemus, & per fidem conseruemus. Sic enim mors erit redemptio nostra, tantum abest, ut sit noster interitus. Porro, quia hæc contio Christi obseruatione dignissima est, idcirco commendat eam diligenter. Et ait: Nunc dixi uobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis. Commendo uobis hanc contionem, quam habui de meo abitu, & reditu ad uos, deque benefitijs, quæ mors mea uobis & uniuersæ Ecclesiæ allatura est. Commendo autem eam ad hunc usum, primum, ut cum uideritis me capi, rapi, crucifigi, & mori, credatis, uidelicet, me à mortuis resurrecturum, & ad uos rediturum, ut non defitiatis à me incredulitate, sed forti & constanti animo perseueretis, & spem de meo reditu conseruetis. Deinde dixi uobis hęc priusquam eueniunt, ut cum euenerint, credatis, hoc est, ut ex ueritate prædictionis meæ cognoscatis ueritatem mei Euangelij, quod uerus sim Messias, qui susceperim mortem, non coactus humana uiolentia, sed mea ipsius uoluntate, ut humanum genus a morte liberarem, & in cœlo ponerem. Habes hoc loco usum contionum & prædictionum Christi. Etsi enim initio non intelliguntur, tamen diligentissime conseruandę sunt. Veniet enim tempus, quo si reuocentur in memoriam, fidem ita confirmant, ut ea nullis aduersitatum procellis concuti queat. Accedit & hoc, quod quæ Christus semel aut iterum contionatur, ea non semper externo prędicationis ministerio repetuntur. Posthac (inquit) non loquar multa uobiscum. Nunquam quidem deserit Christus suam Ecclesiam, & conseruabit ministerium prædicandi Euangelij in Ecclesia usque ad extremum huius seculi diem: Ego, inquit, uobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi, sed aut Christus ipse rapitur ad crucem & occiditur, ut Euangelion suum externo ministerio prædicare non possit, aut Apostoli eius conijciuntur in carceres, ut non habeant amplius locum prædicandi Euangelij, aut doctrina Euangelij obscuratur & corrumpitur ignauia, imperitia, & impietate ministrorum Ecclesiæ, ut etiamsi audiat, tamen non recte intelligatur, aut morbus aut alius casus ita nos obruit, ut Euangelion Christi audire nō liceat. Quare quod semel ex contione Christi ac Apostolorum eius audiui-

mus, hoc non est oscitanter prætereundum, sed diligentissime omnium conseruandum, ut in necessitate eo uti queamus. Queso autem te, quid causę est, quòd Christus nec multum nec diu amplius sit colloquuturus cum discipulis? Dicit enim: Posthac non multa loquar uobiscum. Sed causam exponit ipse. Sequitur enim: Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam, sed ut cognoscat mundus, ꝙ diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Hæc est causa, cur non licebit mihi diu uobiscum colloqui, quia Satan, qui est princeps huius mundi, excitauit ludam, principes sacerdotum, magistratus templi & seniores, qui uenient cum gladijs & fustibus, ut me comprehendant, & crucifigant. Et tamen Satan ac satellites eius nihil prorsus habent in me iuris aut potestatis. Cur ergo suauissime mi Christe, permittis, ut te comprehendant, & crucifigant? cur non efficis, ut iecturi in te manus repentina morte intereant, aut fiant lapideę & immobiles statuæ? Respondeo, Etsi nihil habent in me iuris aut potestatis, tamen permitto me eorum potentiæ, sino me comprehendi & crucifigi, ut cognoscat mundus, quòd diligo patrem, & quòd sic facio, sicut pater dedit mihi mandatum, hoc est, trado me hostibus meis captiuum, ut palam coram uniuerso mundo declarem me diligere patrem meum cœlestem, & obedire mandato ac uocationi eius. Pater enim meus misit me in hunc mundum, & dedit mihi hoc in mandatis, ut suscipiam mortem, & expiem peccata humani generis mea morte. Huic cœlestis patris mei mandato & uocationi obsequar, alioqui inuictus à Satana & uniuersis satellitibus eius. Initio autem considerandum est hoc loco, quale cognomen tribuat Christus Satanę? Vocat eum principem huius mundi, sicut & Paulus uocat eum Deum huius seculi. Homo enim creatus est princeps huius mundi: Replete, inquit, terram, & subijcite eam, dominamini piscibus maris, & uolatilibus cœli, & uniuersis animantibus quę mouentur super terram. Postquam autem homo peccauit, & subiectus est Satanæ propter peccatum, tunc & unà cum homine subiectus etiam est Satanæ, principatus huius mundi. Qui enim hostem superat, accipit in suam potestatem omnia quæ hostis erant. Quare cum Satan superauit hominem, accepit etiam in potestatem suam principatum hominis, qui est principatus huius mundi. Itaque Satan dominatur primum tam corpori quàm menti humanę. In corpus immittere potest omnia genera morborum, & mortem ipsam. Mentem autem excęcare potest, impellere in omnia genera impietatum & scelerum. Deus, inquit Paulus, huius seculi excęcat sensus incredulo-

incredulorum, ne illucescat ipsis lumen Euangelij gloriæ Christi. Ac nisi Satan diuina potentia cohiberetur, profecto nullus hoim uel corpore uel mente euaderet, quem non Satan perderet. Deinde Satan dominatur aëri, terræ, & mari. Vnde & Paulus ait: Ambulastis quondam iuxta principem, cui potestas est aëris, qui est spiritus, nunc agens in filijs contumacibus. Itaque potest Satan & aërem turbare ac inficere, & terram euertere, & maris aquas ciere. Ac nisi potestas eius è cœlo cohiberetur, tam inuidus spiritus est, ut efficeret, quo nulla pluuia terram irrigaret, nec agri fructum proferrent, nec mare nauigari posset, quin potius cœlum terræ misceret. Quare si uel corpore uel mente ualemus, diuinum beneficium est. Si terra fructum affert, diuina benedictio est, soli Deo accepta ferenda, qui per Iesum Christum humano generi placatus, Satanam ita compescit, ut sœuitia eius non possit constitutum à Deo terminum transgredi. Quod cum ita se habeat, pergamus etiam ad aliarum rerum considerationem. Neque enim hoc prętereundum est oscitanter, quod Christus dicat, principem huius mundi, hoc est, Satanam uenire, cum ueniret Iudas, cohors militum, serui Pontificum, magistratus templi & Senatores. Quare significat, quòd exercitus eorum, qui persequuntur Christum, & Euangelion eius, sit cœtus non hominum sed Satanarum ac diabolorum, imo Satan ipse & diabolus. Quid ergo? Si hostes piæ doctrinæ non sunt homines, sed diaboli, ita ne metuemus eos, ut abijciamus hastam, & fugiamus? aut nos continuo captiuos ipsis tradamus? Minime omnium. Sed potius tanto magis confidamus & pugnemus. Maior enim est, inquit Ioannes, qui in nobis quàm qui in mundo est. Et iterum: Princeps huius mundi iam iudicatus est. Suscipitur ergo bellum cum hoste iam uicto & prostrato, qui multa quidem pericula minari potest, perdere autem credentem in Christum non potest, & quemadmodum apis amisso aculeo, adhuc obstrepera est bombo suo, nullum tamen pungere potest, ita Satan expiato peccato per Christum, adhuc obstrepit quidem pijs, non potest autem eos, dum in Christo constiterint, opprimere. Est & hic innocentia Christi consideranda: In me, inquit, non habet quicquam. Nullus hominum etiam sanctissimorum potuit unqnam uere, quantum quidem ad humanam naturam attinet, hanc uocem dicere. Omnis enim homo mendax. Et, Omnes declinauerunt. Solus Christus uere dicit, Princeps huius mundi nihil habet in me iuris. Solus em̃ Christus est qui pc̃tum nô fecit, nec inuẽtus est dolus in ore eius. Solus igit̃ est in quẽ nec Satan nec satellites eius siue

corporales siue spirituales quicquam iuris habent. Quid ergō dicemus? Si Satan in solum Christum nihil iuris habet, solus ne Christus seruatur? Solus certe suo merito seruatur. Sed bene habet. Merita Christi non sunt tam pauca & tam angusta, ut soli ipsi sufficiant. Sed habet merita, ut isti loquuntur, supererogationis, & tanta sunt, ut sufficerent uniuerso mundo ad salutem. Cum autem multi impij ea aspernentur, soli pij & credentes in Christum fructum eorum accipiunt, quibus cum Christus ea ita communia habet, ut & ipsi propter Christum cœlestem salutem consequantur. Deus dedit, inquit Paulus, Christum caput super omnia ipsi Ecclesiæ. Itaque, quisquis credit in Christum, & est membrum Ecclesiæ Christi per fidem, is etiam est membrum Christi ipsius. Inter caput autem & membra sua est bonorum communio. De plenitudine eius, inquit Ioannes, accepimus omnes. Quare si curę nobis fuerit, ut simus membra Christi, manifestum est, ꝙ quemadmodum Satan nihil iuris habet in Christum, ita nec quicquam iuris in nos habebit propter Christum. Postremo, Christus exponit etiam suā obedientiam. Etsi enim princeps huius mundi nihil habet iuris in Christum, tamē permittit, ut grassetur in ipsum captiuitate, alapis, flagellis, cruce & morte. Quam ob caussam hoc permittit? Vt cognoscat, inquit, mundus, quod diligam patrem, hoc est, ut palam fiat, quòd tanto amore prosequar Deum patrem meum, ut malim crucifigi & confodi, quàm mandato & uocationi patris mei non obedire. Deus enim iam inde ab initio orbis significauit uoluntatem suam, & mandatum, quòd filius suus debeat à Satana affligi & mortem subire. Ipse, inquit, insidiabitur calcaneo eius. Idem testabantur sacrificia, quæ sunt umbra sacrificij filij Dei. Idem etiam docebant uaticinia Prophetarum. Quare Christus non est captus, & crucifixus, potentia Satanę & satellitū eius, sed sua ipsius uoluntate, qua subiecit se mandato & uocationi patris sui, ut peccata humani generis expiaret. Quod autem Christus de seipso contionatur, hoc idem de Ecclesia Christi sentiendum est. Vt enim Christus permisit se in hoc mundo affligi, non quod non potuerit se ab afflictione tutum reddere, sed ut obediret uoluntati patris, ita permittit etiam, ut Ecclesia eius in hoc mundo uarijs afflictionibus concutiatur, non ꝙ non uelit, aut non possit eam iuuare, & tutam ab aduersis seruare, sed sunt multę alię huius consilij caussę, uidelicet, ut doceat regnum suum non esse mundanum, ut mortificet carnem nostram, ut admoneamur de peccato carni adhuc inhęrenti, ut caueamus ne peccatum nobis dominetur, & ut maiorem fœlicitatis coronam in uenturo seculo largiatur. Non pugnemus igitur cum uoluntate

luntate Dei, sed obsequamur uocationi eius, & sufferamus aduersa patienter, ut si cum Christo patimur, cum ipso etiam glorificemur. Dices autem, Si hæc ita se habent, quid sentiemus de bellis, quę pij reges & principes aliquoties suscipere solent aduersus impios? Si enim ferenda sunt aduersa pio, sicut Christus ea tulit, cur Dauid non tulit exilium suum, in quod à filio eiectus erat, sed potius persecutus est filium bello? cur Constantinus maluit crudelitatem, qua collega eius Licinius grassabatur in Christianos, bello uindicare, q̄ exemplo Christi sine bello perpeti? Recte ne & pie fecerunt Armenij, q̄ intulerint Romanis sotijs suis bellum, ut tuerentur professionem Christianismi, quam Romani iubebant abijcere, & idola colere? Cur non potius exemplo Christi tulerunt aduersa, & permiserunt, ut à Romanis trucidarentur, & idola in regione ipsorum instaurentur. Hic nobis discrimen uocationum obseruanda est. Alia enim est uocatio Christi, alia Regum & principum huius seculi. Christus non erat uocatus, ut gestaret gladium in hoc seculo, & ageret mundanum principem, sed tantum ut prædicaret Euangelion suum, & confirmaret miraculis, ac passione & morte sua expiaret peccata humani generis. Quare non uoluit gladio aduersus persecutores suos uti, sed uoluit capi & crucifigi, ut obediret suę uocationi. Qua etiam obedientia reportauit suam, hoc est, spiritualem & cœlestem uictoriam. Expiauit enim peccata, uicit mortem & infernum. Hæc est uictoria, quam cogitabat, quam desiderabat. Reges autem & principes huius seculi gestant gladium diuina ordinatione. Nec gestant eum frustra, sed primum omnium ideo gestant eum, ut aperiant portas suas regi glorię, seu Christo & Euangelio eius, deinde ut subditos suos, bonos quidem tueantur, malos autem puniant, & latrones à regione sua arceant. Etsi uero debent & ipsi aduersa patienter ferre, & priuatam iniuriam, æquo animo tolerare, tamen si hostis piæ doctrinæ uoluerit eos cogere, ut claudant portas suas regi gloriæ, & susceperit grassandum in subditos suos, officium exigit, ut hanc publicam iniuriam, si aliter fieri non potest, bello uindicent. Quo officio, si id ex fide susceperint, reportant etiam suam, hoc est, externam & mundanam uictoriā. Non negari quidē potest, quin & Dauid meritus sit suo peccato exilium, & Constantinus ac Armenij suis peccatis obnoxij fuerint, quę si Deus obseruasset, nō potuissent incursionē hostiū suorū sustinere, sed cū Absolom impie sęuiret in patrē, & regnū eius, ac Licinius & Romani pijs idola obtruderent, fecerunt Dauid, Constantinus et Armenij suū officiū, q̄ bello defenderint suos subdi-

Euse. [illegible]

Euse. lib. 9. cap. 8.

tos ab impiorum latrocinio, ideoq; etiam reportarunt diuina clemen tia uictoriam. Deus enim ut promisit omne suum auxilium ambu lanti in sua uocatione, & facienti suum officium, ita fieri non potest, ut qui ex fide officium suum faciendum suscipit, diuino auxilio destitu atur. Qui me, inquit, honorificauerit, uicissim ego & ipsum ho norificabo. Quare hi reges & principes, quibus ab hostibus piæ doctrinæ infertur bellum, q; aperuerint portas suas regi gloriæ, qui est Iesus Christus DOMINVS noster, non peccant propulsando, quantis possunt uiribus, impetum hostium, sed faciũt suum officium, & si hoc ex fide & inuocatione nominis Dei fecerint, certissimam ui ctoriam reportabunt. Nos uero priuati, quibus non, nisi legitime uocatis, gladium gestare licet, non moueamus seditionem prop ter iniurias nobis illatas, sed siquidem possumus eas legitime propel lere, licebit. Si uero id fieri non potest, obsequamur uoluntati Dei, obediamus uocationi eius, & sufferamus aduersa patienter, certa fi ducia concepta, Deum, ne in media quidem morte nos deserturum. Atque hactenus quidem perstrinximus expositione nostra priorem contionem, quam Christus habuit, cum adhuc esset in cœnaculo. Vn de & concludens eam, Surgite, inquit, eamus hinc. Precor igitur De um, ut hęc contio eum fructum in nobis ferat, ad quem ferendum in stituit eam DOMINVS noster Iesus Christus, qui est unà cum pa tre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

CAPVT XV.

HOMILIA XXXIII.

IVDAS habuit contiones Iesus Christus DO MINVS noster, postq; instituerat sacramen tum Cœnæ suæ, & Iudas de cœtu Apostolorum, ad conficiendam fusceptam proditionem discesserat. Vnam habuit, cum adhuc esset Hierosolymis in cænaculo, quæ continetur superiori capite decimo quarto. Alteram habuit in itinere, cum proficisceretur ad montem Oliueti. Et hæc cõtinetur duobus sequentibus capitibus. Cum igitur percurrerimus qualicũq; interpretatiõe nostra priorẽ illã, aggrediamur nũc, diuina clemen

clementia adiuti posteriorem, precantes Deum patrem DOMINI nostri Iesu Christi, ut spiritu sancto suo efficiat, quo ministerium nostrum fœlix sit, & salutare. In hac autem contiõe cohortatur Christus Apostolos, & uniuersam ecclesiam suam, ut maneant in ipso, & non sinãt se ab ipso ulla uel cruce uel persecutiõe abduci. Hoc est argumẽtũ, hic est status huius cõtionis. Nec odiose, aut moleste repetit Christus hũc statum, sed addit etiã suas causas, cur sit manendũ in ipso, & non recedendũ propter persecutiones. Ego sum, inquiens, uitis uera, & pater meus agricola est. Omnem palmitẽ in me non ferentem fructum, tollit, & omnẽ qui fert fructum, PVRGAT, ut fructum copiosiorem afferat. Iam uos PVRI estis propter sermonem, quem locutus sum uobis. Manete in me & ego in uobis. Hoc illud est, ad quod instituit Christus Apostolos cohortari. Manete, inquit, in me. Quare, ut persuadeat eis, & excitet ipsos ad obedientiam, ostendit eis utilitatem, quam consequuntur hi, qui manent in ipso, sumpta metaphora seu similitudine à Vinea, Vite, & Palmitibus. Potuisset quidẽ Christus supercœlesti lingua loqui, sed maluit rustica lingua nostrę utilitati seruire, cꝫ suam maiestatẽ sine ullo nostro fructu ostentare. Maluit etiam metaphora Prophetis usitata, cꝫ nouo sermonis genere uti, quo & nos ad amplectendos Prophetas hortaretur, et se eum esse, in quem Prophetę respiciunt, significaret. Nam Prophetę uocauerunt domũ Israel, hoc est, Ecclesiam Dei, Vineam: Vineam, inquit psalmus, transtulisti de Ægypto, eiecisti gentes & plantasti eam. Et Esaias: Vinea DOMINI Zebaoth, domus Israel est, & uiri Iuda germen delectabile eius. Et Ieremias: Ego plantaui te palmitem fertilem, & totum seminarium fidele. Sed & aliàs Christus in parabolis suis fa- Mat. 20. & 21.
cit ex Ecclesia uineã. In hac igit̃ uinea, Deus pater est agricola, seu uinitor. Christus filius Dei uitis. Apostoli, & unumquoduis membrum Ecclesię sunt palmites. Hæc nunc conferenda sunt, inter se, ut uideamus, quomodo conueniant. Vinea instituitur, non ut sit ager spinarum & tribulorũ, sed ut in ea plantentur uites, quę fructum afferant. Sic & Ecclesia instituta est, non ut diuitijs huius terrę, quæ sunt spinę, illustris sit, sed ut plantetur in ea Christus. Agricola seu uinitor purgat aream uineę, plantat eam uitibus, circũdat ei sepem, fodit torcular, & ædificat turrim, purgat palmites, ut copiosum fructum ferant. Sic & deus pater elegit sibi ex hoibus Ecclesiam, in qua plantauit Christum filiũ suum, quã etiã muniuit firmissima petra, Christo, aduersus quam petrã seu turrim ne portę quidẽ inferi prævalere possunt. Et cum in Christo regenerantur pij, tanꝫ palmites in uite, purificat corda eorꝫ, ut multũ fructũ afferant. Porro, Vitis producit palmi-

tes. Inter palmites autem multum est discriminis. Alij sunt steriles, qui tolluntur & abijciuntur in ignem, alij sunt frugiferi, qui non tolluntur, sed purgantur, ut fiant fertiliores. Et quanquã uitis habet abiectissimam speciem, si externum corticem respitias, tamen producit suauissimũ fructum, qui & homines & Deos, ut scriptura loquitur, lætificat. Sic & Christus, qui est uera uitis, abiectissimus uidetur inter homines, sed cõtulit in homines optima beneficia. In hac uite duo sunt genera palmitum, seu ordines hominum. Alij habent quidem speciem pietatis. Videntur credere in Christum, uidentur esse præcipui in Ecclesia Christi, audiunt contiones, sumunt Sacramenta, & faciunt etiam multa bona opera, non credunt autem uere in Christum, nec faciũt sua opera ex uera in Christum fide. Hi sunt hypocritæ, palmites steriles, qui tandem ejcientur in perpetuum ignem. Sunt & impœnitentes, qui nomen tantum Christiani gestãt, interim autem magnis & horribilibus sceleribus illustres sunt. Alij sunt uere pij, & ut recte credunt in Christum, ita etiam recte ex fide operantur, & proferunt fructum perpetuo manentem. Hoc discrimen diligenter est obseruandum. Impij enim uirulenter de Ecclesia Christi loquuntur, ꝙ uideant in ea multos impuros & sceleratos, propter quos sentiunt Ecclesiam Christi non esse ueram Ecclesiam. Iudæi & Turcæ exprobrãt Christianis scelera, quæ palãm in uulgo Christianorum designari uident. Quomodo inquiunt, hi possunt esse populus Dei, in quo tanta flagitia committuntur? Pontificij obiectant his, qui uerum Euangelion Christi agnoscunt, prophanos mores, quos nonnulli contento studio sectantur. Quis, inquiunt, iudicare posset, hoc esse uerum Euãgelion Christi, cuius auditores tam sceleratam uitam ducunt? Anabaptistę etiam damnant nostram Ecclesiam, ꝙ uideant in ea multum adhuc peccari. Sed uicissim omnes illi hac contione Christi damnantur, qui uerã Ecclesiam propter malos in ea admixtos damnant. Christus enim in hac cõtione de palmitibus, non loquitur de his, qui publica sua professione alieni sunt ab Ecclesia, quales sunt Iudęi, & Turcæ, sed de his, qui sunt, aut uidentur esse in uite Christo. Et inter hos facit duplicem ordinem. Alij enim sunt steriles, alij frugiferi. Quo discrimine perspicue docet, Ecclesiam in hac terra habere multos malos admixtos, qui etsi uidentur uera Christi membra, tamen sunt palmites tollendi, & in ignem projciendi. Assimilatum, inquit, est regnum cœlorum homini seminanti bonum semen in agro suo, sed dormientibus hominibus uenit illius inimicus, & seminauit zizania inter triticum. Et iterum: Simile est regnum cœlorum uerriculo iacto in mare, & ex omni genere contrahenti. Et aliàs: Intrat quispiam ad nuptias non habens uestem nuptialem. Dicit & Ioannes: E nobis profecti

Iud. 9.

fecti sunt, sed non erant ex nobis. Errant igitur, qui in hac corporali uita talem ecclesiæ cœtum quærunt, in quo omnia sint perfecte pura & sancta. Etsi enim manifesta scelera non sunt in ullo honesto hominũ cœtu toleranda, sed tam à magistratu, q̃ ab Ecclesiæ pastore, pro sua cuiusq̃ uocatione punienda, tamen multi sunt hypocritę, qui cum habeant speciem pietatis, nec possunt humano iuditio condemnari, relinquuntur diuino iuditio tollendi. Palmitem, inquit, non ferentem fructum, tollit. Quid autem de palmite ferente fructum? Purgat, inquit, ut afferat fructum copiosiorem. Palmes in Ecclesia utilis & fragifer, est omnis, qui uere in Christum credit, & ex uera fide obsequitur uocationi Dei. Hic palmes non abiicitur, non tollitur, ut prior ille, sed putatur falce, & purgatur. Sciamus igitur, quomodo fiat hæc putatio seu purgatio. Cognoscamus falcem, qua hic palmes putatur & purgatur. De hac autem re Christus ipse nos docet. Sic enim sequitur: Iam uos puri (seu putati) estis propter sermonem, quem locutus sum uobis. Quid quęso te, hæc uerba sibi uolunt? Quomodo Apostoli sunt puri, seu putati palmites, cum adhuc essent peccatores, & paulopost Christum deserturi, & abnegaturi? Puri, inquit, estis, non propter uestrã carnẽ, cui adhuc pc̃tũ inhæret, nec propter puritatẽ uestræ iustitię, cui multum impuritatis admixtum est, sed propter SERMONEM, quem uobis locutus sum. Ecquis est ille SERMO, qui sic purificat? Varia sunt genera sermonis Christi. Alia sunt præcepta legis, seu decalogi expositio. Alia sunt uaticinia de rebus uenturis, ut sunt illa, quæ dicta sunt de deuastatione urbis Hierusalem, & abiectione Israelis. Alia sunt ea, quæ Christus de sua persona et officio cõtionatus est, uidelicet, q̃ ipse sit uerus Messias, uerus filius Dei, missus in terrã ad hũc usum, ut expiet peccata humani generis, reconciliet nobis Deum patrem, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat æternam uitam. Hoc est uerum Euangelion Christi. Ac de duobus quidem prioribus generibus sermonis, Christus nunc non loquitur, quæ etsi suum habent usum, tamẽ non purificant corda hominum, sed loquitur de postremo illo sermonis genere, quod est uerum & ipsissimum Euangelion Christi. Puri, inquit, estis propter sermonem, hoc est, propter Euangelion, quod adnunciaui uobis, uidelicet, q̃ ego uerus sim Messias, qui morte mea seruẽ uos à morte, qui inferni horroribus a' me susceptis, uos ab inferno liberẽ, adeoq̃ uobis merear à Deo patre meo, ut adoptet uos in filios & hęredes cœlestis regni. Hic est sermo, per quem, si fide accipiatur, homo uere purificatur. Primum enim, qui accipit hunc sermonem Euangelij per fidem, is reputatur coram Deo uere iustus, purus, & sanctus, idq̃ non propter opera iustitiæ, quæ nos facimus, sed tantum propter Iesum

Christum filium Dei, fide acceptum. Iustificantur, inquit Paulus, gratis per illius gratiam, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus reconciliatorem, per fidem, interueniente ipsius sanguine. Itaq; qui credit sermoni Euangelij de Christo, huic etsi inhæret adhuc peccatum in carne, tamen peccatum non imputatur, ut sit uere iustus coram Deo, non quidem sua ipsius iustitia, quæ aut nulla aut imperfecta est, sed aliena iustitia, uidelicet Iesu Christi, quæ ipsi per fidem imputatur. Beatus enim uir, cui non imputat DOMINVS peccatum. Deinde, qui accipit sermonem Euangelij per fidem, donatur spiritu sancto, qui mortificet reliquias carnis, & dominetur peccato ne regnet in mortali nostro corpore. Itaque spiritus sanctus uera est falx putatoria, qua palmites purgantur per sermonem Euangelij, primum quidem, ut fide reputemur coram Deo iusti propter Christum, deinde autem, ut mortificentur facta carnis, & compescatur affectus peccati. Etsi enim in hac uita fieri non potest, ut peccatum ex carne totum eradicetur, quo reipsa toti in nobis iusti simus, fieri tamen potest per spiritum sanctum, ut peccatum resecetur, & fructus eius destruatur, quo non iuxta carnem, sed iuxta spiritum ambulemus. Postremo, qui accipit sermonem Euangelij per fidem, is obijcitur uarijs afflictionibus & persecutionibus in hoc seculo. Si enim me, inquit Christus, persecuti sunt, & uos persequentur. Et aliàs: Oportet nos per multas afflictiones intrare in regnum Dei. Quare & afflictiones referendę sunt inter eas falces, quibus pater cœlestis palmites suos purgat. Diligenter autem considerandum est, quis sit finis putationis, ut etiam cognoscamus finem & usum afflictionum. Vinitor enim putat palmites falce, non ut corrumpat eos & perdat, sed ut copiosiorem fructum afferant, ita & Deus pater immittit pijs crucem & afflictiones, non ut pereant, sed ut seruentur. Huic enim immittitur crux, ut admoneatur de peccato adhuc inhærenti in carne, illi ut contineatur in officio, ne regnet peccatū in carne isti, ut sit exemplo alienæ resipiscentiæ, alij alijs de caussis. Non autē hoc consilio, ut conijciantur in interitum, sed ut liberentur ex interitu, & consequantur perpetuam salutem. Cum igitur affligimur cruce & calamitate, ingrediendum est in uineam, reuocanda est in memoriam putatoria falx uinitoris, & cognoscendū, q̄ quis sit finis putationis in uinea, idem etiam sit finis afflictionum, quę pijs accidere solent, uidelicet, non ut abijciantur in ignem, & incendio pereant, sed ut purgentur, & copiosiorem fructum ipsi tam afferant, quàm auferant & reportent. Quod cum ita se habet, ut qui in uera uite, quæ est Christus manent, purgentur & afferant multum fructum, addit Christus & ait: Manete in me, & ego in uobis. Sicut palmes non potest

ferre

ferre fructum à semetipso, nisi manserit in uite, sic nec uos, nisi in me manseritis. Hæc est quasi conclusiuncula prioris cohortationis. Dixi me ueram esse uitem. Dixi palmitem manentem in me, copiosum fructum afferre. Hortor igitur uos, ut in me maneatis, quo & ego in uos maneam, & uos multum fructus afferatis. Sed quomodo, inquis, manemus in Christo? Num manemus in eo, cum manemus in cuculla Franciscana, uel in alijs traditionibus siue Pontificijs, siue monasticis, siue eremiticis? Nihil minus. Frustra, inquit, colunt me mandatis hominum. Sed manemus in Christo, cum manemus in SERMONE Christi per fidem: Si quis diligit me, inquit, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Quid autem beneficij contingit manenti in Christo? Primum Christus manet in ipso: Manete, inquiens, in me, & ego in uobis. Quid aut melius, aut maius queris? Qui enim Christum habet, thesaurum habet omnium cœlestium bonorum. Iesus Christus, inquit Paulus, factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio. Ergo, qui Christum habet, factus est uere coram Deo sapiens, iustus, & sanctus, & redimitur ab omni afflictione. Deinde, is in quo Christus manet, fert copiosum fructum. Dicit enim: Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in uite, sic nec uos, nisi in me manseritis. Et sequit: Ego sum uitis, uos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Repetit, qd initio dixit, se esse uitem, & exponit palmites de Apostolis & Ecclesia sua, ut hac metaphora seu pictura ostendat necessariũ esse, ut in ipso per fidẽ maneamus, si uoluerimus cœlestẽ fructum & facere & percipere: Nisi manseritis, inquit, in me, non potestis fructũ ferre. Et: Qui manet in me & ego in eo, hic fert multum fructum. Consideremus igitur quẽ fructum Apostoli, qui manserunt in Christo, tulerunt. Etsi enim Apostoli paulopost defitiunt à Christo, fuga, & abnegatione, tamen statim resipiscunt, & cum Christo ita coniunguntur, ut semper in ipso manserint. Quare Apostoli principio multum fructum tulerunt, prędicatione Euangelij de Christo. Postquam enim acceperunt dona spiritus sancti in die Pentecostes, diuulgauerunt Euangelion in toto orbe terrarum, & collegerunt Ecclesiam Christi non ex Iudeis tantũ, sed etiam ex Gentibus. Euangelion, inquit Paulus, prædicatũ est apud uniuersam creaturam, quæ sub cœlo est. Et iterum: Euangelion fructificat in toto mundo. Hic est multus & excellens fructus, quem Apostoli, cum mansissent in Christo, tulerunt. Deinde tulerunt copiosum fructum, ædendis miraculis. Multa insignia mira- Colo. 2.

cula in nomine Christi ædiderunt, quibus & nomen Christi illustratum est, & autoritas ac ueritas Euangelij commendata est. Prętera tulerunt multum fructū faciendis multis bonis operibus. Non solum em̄ diligenter fecerunt publciū suum offitiū, prędicando Euangelio, sed etiam fecerunt suum offitium priuatum, fide et inuocatione nominis Dei, & reliquis uirtutibus. Non abusi sunt nomine Dei ad execrationes. Dederunt magistratui, quod debuerunt. Complexi sunt proximos candida caritate. Non dederunt operam ebrietati & helluationibus, non impudicitię & lasciuiæ, denique duxerunt tam publice quàm priuatim uitam honestissimam. Hic certe copiosus est fructus. Nec actionibus tantum, tulerunt tam copiosum fructum, uerumetiam passionibus, ludibrijs & flagris explorati sunt. In uincula & carceres coniecti sunt. Fame & rerum omnium penuria afflicti sunt, ac postremo, omni genere suppliciorum & mortis affecti sunt, non tamen deseruerunt suum offitium, sed quo plus affligebantur, eo constantius Christum profitebantur. Vnde & consecuti sunt cœlestem cum Christo maiestatem. En, hic est fructus, quem tulerunt Apostoli, cum mansissent in Christo. Quod de Apostolis & fructu eorum dictum est, hoc idem intelligendum est, de tota Ecclesia Christi, & unoquouis credente in Christum, Suus enim est cuiusuis manentis in Christo fructus. Nam qui manet in Christo, hic fert initio fructū inuocatione, & confessione nominis Christi, deinde honestate morum, & omni genere uirtutis, obedientia, castitate, temperantia, sobrietate, iustitia, contractuum & negotiationis, & alijs id genus uirtutibus. Hæc sunt miracula, quæ nunc à pijs requiruntur. Ac profecto, qui has uirtutes in hoc mundo sectaꝛ, magna ędit miracula: Tanta em̄ est multitudo impudicorꝫ, ebriosorō, & impostorꝫ in hoc corrupto seculo, ut inter eos, caste, pudice, sobrie & iuste uiuere, non minus miraculum uideatur, quàm olim reddere cæco uisum, aut excitare mortuum. Postremo, qui manet in Christo, fert etiam fructū tolerantia & patientia, in cruce, in aduersis & afflictionibus. Non enim discedit ab offitio, etiamsi affligatur, sed excitatur potius afflicti one ad faciendum offitium, ut declaret, ꝙ solum Iesum Christum agnoscat suam iustitiam & salutem. Quid autem caussæ est, ꝙ qui manserit in Christo, ferat multum fructum. Qui uero non manserit, nullum fructum ferat? Addit. SINE ME NIHIL POTESTIS FACERE. Hæc est γνώμη non solum digna, sed etiam necessaria obseruatu, ut uerum humanorum operū discrimen cognoscamus. Quid enim dicemus? Si nullus hominum sine Christo aliquid facere potest, ergo ne dicemus etiam impios, cum tam multa, siue naturalia,

lia, siue moralia dixeris, faciant, habere Christum? Aut si carent Christo, nihil ne esse sentiemus, qꝙ uel Gentes regna prudentissime administrauerint, & multis insignibus uirtutibus ornati fuerint, uel hypocritæ, multa bona opera faciant? Hic considerandum nobis est, quod si de generali omnipotentia Christi, & generalibus hominum actionibus sermo fuerit, certum est, nec pios nec impios posse aliquid sine Christo facere. Omnia, inquit, per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Et iterum: In ipso sumus, uiuimus & mouemur. In hoc autem loco, non fit sermo de ista generali omnipotentia Christi, & generalibus hominum actionibus, sed de ea potentia, qua Christus seruat credentes in ipsum perpetua salute, & de ijs hominum actionibus, quæ sunt salutares, & Deo gratæ. Quod igitur dicit: Sine me nihil potestis facere, habet hanc sententiam: Non potestis aliquem fructum utilem & salutarem ferre, nec potestis aliquod bonum opus, quod Deo gratum sit, facere, nisi in me credideritis, & in me per fidem manseritis. Primum enim omnium necessarium est, ut sis & maneas in Christo. Esse autem & manere in Christo, hoc est, si credideris Iesum natũ ex Maria uirgine esse uerum Christum, & hunc Christum solum esse propitiatorem & expiatorem peccatorum tuorum, qui te cum Deo patre reconciliauerit, & propter quem adoptatus sis in filium & hæredem cœlestium bonorum. Hac fide Deo es acceptus propter Christum. Hac fide reputaris coram Deo iustus. Hac fide, quæcunqꝫ opera siue publicæ siue priuatæ uocationis (non enim loquimur de peccatis, qꝙ ea non possint fieri ex fide) feceris, Deo grata sunt, non sicut honesta opera Ethnicorum, sed sicut uere pia ad æternam uitam. Non sentiendum quidem est, quòd Deus det pijs æternam uitam propter merita operum, sed quia pij accipiunt ius ꝛternæ uitę per fidem propter Christum, idcirco quæ faciunt opera ex hac fide, dicuntur fructus æternę uitæ, partim, qꝙ fiant ad declarandam gratitudinem pro accepto iam iure æternę uitę, partim qꝙ & suis prꝛmijs in æterna uita ornentur. Si quis autem non fuerit in Christo, hoc est, non crediderit se Deo gratum, & in filium Dei adoptatum propter Christum, is quicquid fecerit, quantumuis insigne, excellens, illustre & sanctum uideatur, uere NIHIL coram Deo facit. Cum enim persona, quæ opera facit, non sit Deo ad ꝛternam uitam accepta, fieri non potest, ut opera eis sint ei sic accepta, ut propter ea faueat personę, & tribuat ei ꝛternam salutem. Primum igitur NIHIL sunt coram Deo, omnium Gentium Idolatrarum opera, & uirtutes. Etsi enim suam habent laudẽ, in humano iuditio, & in huius terræ actionibus, tamen quia

fiunt ſine Chriſto, ſeu fide in Chriſtum, Deus non iudicat ea digna, quę reſpiciat. Deinde NIHIL ſunt omnia opera, quæ uocant, præparatoria ad gratiam Dei, priuſquam credideris in Chriſtum, fingunt enim nonnulli, ꝙ ea bona opera quæ præcedunt fidem in Chriſtum, prępareant hominem ad accipiendam gratiam Chriſti. Chriſtus autem hoc loco diſerte dicit: Sine ME, NIHIL poteſtis facere. Quomodo enim arbor poſſet fructus bonos, hoc eſt, prępparatorios ad gratiam ferre, nondum bona facta? Et, ut Auguſtinus recte ait, Vocantis eſt gratia, percipientis uero gratiam, conſequẽter ſunt opera bona, nec quæ gratiam pariant, ſed quę gratia pariantur. Non enim ut ferueat, calefacit ignis, ſed qui feruet. Nec ideo bene currit rota, ut rotunda ſit, ſed quia rotunda eſt. Sic nemo propterea bene operatur, ut accipiat gratiam, ſed quia accepit. Quomodo enim poteſt iuſte uiuere, qui non fuerit iuſtificatus? Quomodo ſancte uiuere, qui non fuerit ſanctificatus? Poſtremo, NIHIL ſunt omnia opera hypocritarum, quę ad expiationem peccatorum ſuorum facienda ſuſcipiunt. Non enim faciunt ea ex fide in Chriſtum, ſed potius contra Chriſtum. Dicunt quidem ſe credere in Chriſtum, non credunt autem, quod ſolus Chriſtus expiauerit peccata ipſorum, & meruerit ipſis gratiam Dei, ſed ſentiunt, ꝙ meritis ſuorum operum ſatisfaciant pro peccatis. Hoc non eſt facere bona opera ex fide, ſed contra fidem. Et quod Paulus de Iſraelitis dixit, hoc idem de omnibus hypocritis in Chriſtianiſmo intelligendum eſt. Sectabantur, inquit, legem iuſtitię, non peruenerũt autem ad legem iuſtitię. Propter quid? quia non ex fide, ſed tanquam ex operibus legis. Impegerunt enim in lapidem offendiculi. Ponamus igitur omne ſtudium noſtrum in agnoſcendo & retinendo Chriſto per eam fidem, non quam uel humana ratio uel hypocriſis fingit, ſed quam Euangelion exigit, ut uere proferamus eum bonorum operũ fructum, qui Deo gratus eſt per Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, qui eſt una cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

Augu. lib. 1. ad Simplicianum. q. 2.

HOMILIA XXXIIII.

EXPOSVIMVS quos fructus ferant hi, qui manent in Ieſu Chriſto, uero & unico noſtro ſeruatore, exponamus nunc, quæ ſint incommoda eorum, qui in Chriſto non manent, ut qui ad quærendum & retinendum Chriſtum non excitatur utilitate, excitetur

citetur damnis & incõmodis contemptorẽ & desertorẽ eius. Si quis, inquit, in me non manserit, eiectus est foras sicut palmes, & exaruit, & colligunt eos, & in ignem cõiiciunt, & ardent. Hęc ut recte intelligamus, cognoscendũ est. Quis nõ maneat in Christo. Ac primo non manet in Christo, quisquis, abnegato Christo, deficit ad Iudaismum aut Turcismum. Hoc est crassum genus defectionis à Christo, quod non pij tantum, uerumetiam prudentes huius seculi detestantur. Deinde non manet in Christo is, qui etsi gloriatur de Christo, & uidetur eum agnoscere, tamen confidit meritis suorum operum, quales sunt Pontifitij, Sacrificuli, Monachi, & hypocritę in Christianismo. Nam in baptismo despondemur Christo hac conditione, ut ipsum solum & unicum agnoscamus seruatorem, & peccatorum nostrorum expiatorem. Quare si quis non contentus hoc unico expiatore, sentit etiam se sua ipsius iustitia expiare peccata & placare Deum, uiolat fidem datam Christo, & excidit è Christo. Sic Paulus accusat Galatas defectionis à Christo: Quicunq; inquiens, per legem iustificamini à gratia excidistis. Postremo non manet in Christo is, qui cum agnoscat nomen Christi, ducit uitam sceleratam, ambulat iuxta carnem, & seruit peccato. Fieri enim non potest, ut Christus maneat in eo, qui peccat contra conscientiam, & tradit se captiuum cupiditati carnis. Si autem Christus non manet in ipso, quomodo ipse maneret in Christo? Ioannes ait. Qui dicit: Noui eum & præcepta eius non seruat, mendax est, & ueritas in eo non est. Et iterum: Si quis dixerit, diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Ac Paulus: Si qua suis & maxime familiaribus non prouider, fidem abnegauit, & est infideli deterior. Manifestum igitur est, quòd qui sceleratam ducunt uitam, etiamsi iactent nomen Christiani, non tamen maneant in Christo. Quid ergo fiet de his, qui non manent in Christo? Idem nimirum, quod fieri solet de palmitibus non manentibus in uite. Hi enim excisi à uite, ejiciuntur foras. Eiecti, exarescunt. Arefacti colliguntur, & conijciuntur in ignem, ut ardeant. Nec ulli alteri usui accommodi sunt: nisi ut ignem pascant. Ac alia quidem ligna, ut abiegna, querna, fagea, etiamsi à suo stipite abscissa sunt, tamen non sunt ita inutilia, ut statim conijciantur in ignem, quia sunt idonea ad extruenda ædificia. Palmites autem à uite excisi, non nisi ad ignem idonei sunt. Numquid tolletur de uite, (inquit Ezechiel) lignum, ut fiat opus, aut fabricetur de ea paxillus, ut dependeat in eo uasculum quoddam? Ecce igni datur in escam, utramque partem eius absumit ignis & medietas eius redigit in fauillã. Idem dicendũ est de his, q non manent in Christo. Nullus em̃ alius est usus eorum,

1. Ioan. 2.

Ezech. 15.

nisi ut fiant pabulum ęterni ignis. Ac aliorum quidem hominum, qui nunquam agnouerunt Christum, & Euangelion eius, suus est usus in his terris, Ethnici multa & prudenter & fortiter fecerunt. Inuenerunt & excoluerunt uarias artes ad hanc humanam uitam utiles, quæ etsi non fuerunt uerus & cœlestis fructus, qualem pñ ferunt in Christo, tamen habuerunt sua commoda in hac uita. Qui autem agnouerunt Christum, & postea ab eo defitiunt, hi si non resipiscunt, nulli amplius usui apti sunt, nisi ut tradantur perpetuo igni. Quod & Christus aliàs significat, cum uocat discipulos suos, Sal terræ. Et addit: Si sal infatuatus fuerit, quo salietur? Ad nihil ualet ultra, nisi ut proñciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Alię res alium habent usum, etiamsi non fuerint ad eum usum aptæ, ad quem principaliter creatæ sunt. Principalis autem usus salis est, ut saliat. Ad quem, si inutilis fuerit, nulla reliqua est eius utilitas aut commoditas. Sal est omnis discipulus Christi siue Apostolus, siue auditor Apostolicæ doctrinę. Huius usus est, ut in Christo copiosum fructum ferat. Quem si non fert, reliquum est, ut conñciatur in perpetuam interitionem. Non enim alius est usus eius. Nec blandiantur sibi impñ, quòd cum Christus facit in hac collatione mentionem ignis, absumentis palmites, sic desinat ignis impiorum, qui defitiunt a Christo, quemadmodum desinit ignis corporalis. Supplitium enim ignis, quo impñ affitientur, perpetuum est, nec ullum habet finem: Discedite, inquit, à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Et iterum: Bonum est ut ingrediaris ad uitam claudus potius, quàm duos pedes habens mittaris in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi uermis illorum non moritur, & ignis non extinguitur. Et Paulus: Reuelabitur DOMINVS Iesus de cœlo, cum angelis potentiæ suę, cum incendio flammæ, qui infligit ultionem his qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio DOMINI nostri Iesu Christi, qui pœnam luunt, interitum ÆTERNVM à facie DOMINI, & à gloria fortitudinis illius. Quare cum certa & ęterna sit pœna omnium impiorum, inter quos primas tenent hi, qui cum agnouerunt Christum, defitiunt ab eo, diligentissime prouidendum est, ut Christo inserti, constantissime in ipso semper maneamus. Sed quomodo, inquies, manemus in eo? De hac re supra quędam dicta sunt. Sed quod sequitur, perspicue

Mar. 9. Esa. 66.

2. Thess. 1.

„ nobis illud exponit. Si manseritis, inquit, in me, & uerba mea in
„ uobis manserint, QVICQVID uolueritis, petetis, & fiet uo-
„ bis. Hic manifeste docet Christus, quomodo in ipso manea-

mus

mus. Nondum enim recte manes in Christo, si manseris in cuculla monastica, Nec manes in Christo, si manseris in obedientia Romani pontificis. Sic enim pontificij iactant, eum in Christo manere, qui agnoscit Romanum Pontificem, sed cum Romanus Pontifex persequatur piam doctrinam, & impiam stabilire conetur, deuitandus potius est, quàm sectandus. Iubet enim nos Christus cauere à pseudoprophetis, non iubet eis obedire. Nec manes uere in Christo, si manseris habitatione tua inter Christianos, & sumpseris cum ipsis sacramenta Christianismi. Quomodo ergo manemus uere in Christo? Audi Christum ipsum: Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint. Ecce tibi, Manere in Christo, est manere in uerbo Christi. Et tunc uere in Christo manes, cum uerba Christi in te manserint. Verbum Christi, de quo in præsentia loquimur, est Euangelion eius, qp ipse solus sit expiator peccatorum nostrorum, placator diuinæ iræ, & seruator noster. Manet autem hoc uerbum in nobis, si adhibuerimus ei certam & firmam fidem, & declarauerimus nos obedientia nostra erga tantum benefactorem gratos. Vnde & supra dictum est, Qui habet prȩcepta mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Et iterum: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Manet igitur in Christo is, in quo manet Euangelion Christi per fidem. Reliquum autem est, ut consideremus quid benefitij contingat manenti in Christo. Cum ergo supra enumerauimus, quos fructus ferat manens in Christo, audiamus nunc, quod benefitium consequatur. Dicit enim Christus: QVICQVID uolueritis, petetis, & FIET uobis. Amábo uos: Nolite hȩc uerba oscitanter prȩtercurrere. Hoc dictum, unum est, è præcipuis sententijs totius sacrȩ scripturȩ, Nihil hac promissione excellentius aut liberalius dici potest. QVICQVID, inquit. Nihil excipit, uel corporalium uel spiritualium & cœlestium bonorum. Quid hoc homine fœlicius, qui habet certam & firmam promissionem se impetrare à Deo QVICQVID uoluerit & petierit? Quid ei potest deesse? An non perspicue hic intelligis quanta sit fœlicitas ueri Christianismi. Nullum enim aliud hominum genus in terris est, quod habeat tam insignem & tam diuitem promissionum. Non Iudei, non Turcæ, non Monachi, non Sacrificuli, non Missifices, non inuocatores mortuorum, non id genus alij Hypocritæ. Soli tantum ueri Christiani habent hanc prærogatiuam, quòd quicquid uelint ac petant à Deo consequantur. Quid ergo dicemus? Si Christianus consequitur QVICQVID uoluerit & petierit, ergo ne fiet, si eum, quem forte ob iniuriam ab ipso illatam odio habet, diris deuouerit? Fiet ne, cum uult

alienas opes, & petit, ut possessor ille intereat, & ipse opibus illius fruatur? Fiet ne, cum ægrotauerit, & petat repentinam corporis sanitatem? Quæ esset illa rerum perturbatio, si omnia ea fierent, quæ homines, etiam pij nonnunquam uelle & optare solent? Sed ne erremus, uerba Christi diligenter consideranda & recte intelligenda sunt. Christus enim non simpliciter dicit: Quicquid uolueritis petetis, & fiet uobis, sed his uerbis hoc præposuit: Si in me manseritis, & uerba mea in uobis manserint, quibus uerbis perspicue significat, q̃ tunc fiat nobis quicquid uoluerimus & petierimus, cum manemus in Christo, & manent uerba Christi in nobis. Primum igitur, qui uult, & petit ea, quæ cum uerbo Christi pugnant, & quæ uerbo DOMINI prohibita sunt, is non manet in Christo, nec uerba Christi manent in ipso. Quare hæc promissio ad eum non pertinet. Ioannes aliàs ait: Hæc est fiducia, quam habemus apud eum, quòd si quid petierimus secundum VOLVNTATEM eius, audit nos. Deus autem patefecit uoluntatem suam promissionibus seu Euangelio suo. Inuocaturi igitur Deum, & petituri ab eo benefitia seu corporalia seu spiritualia, intueri debemus in Euangelion & in promissiones eius, ut ex his cognoscamus, quę ipse uult nos uelle & petere. Supra dixit: Quicquid petieritis nomine meo, hoc faciam. Cum hoc plane conuenit, quod nunc ait: Si in me manseritis & uerba mea in uobis manserint, quicquid uolueritis petetis, & fiet uobis. Qui autem uult & petit, seu impia seu iniqua, is non potest ea petere nomine Christi, seu ex fide in Christum. Non enim Deus uolens iniquitatem tu es. Non habitabit iuxta te malignus, non permanebunt iniusti ante oculos tuos. Quare hoc dictum Christi, intelligendum est, de petitione earum rerum, quæ diuinitus promissæ sunt, & quas nomine Christi, atq; ex fide eius petere possumus. Quid autem habes, quod conqueraris? An existimas promissiones Dei non satis amplas, non satis prolixas esse? Sed cogita mihi, nihil esse DOMINO Deo nostro liberalius. Postquam enim placatus & reconciliatus est cum humano genere, per Iesum Christum filium suum, promittit omnibus in ipsum credentibus abundantiam omnium bonorum tam corporalium quàm cœlestium. De corporalibus ait Christus: Nouit pater uester cœlestis, q̃ opus habeatis his omnibus. Quærite igitur primum, regnum Dei, & iustitiam eius, & HÆC OMNIA adijcientur uobis. De spiritualibus autem & cœlestibus bonis plenum est totum Euangelion Christi. In hoc enim præcipue Christus uenit, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat æternam uitã. Habes igiť propositũ tibi thesaurum oĩm bonorũ, quê nõ uelle tm̃ et petere,

uerum

uerumetiam impetrare potes, si modo maneas in Christo, & uerba ei us in te maneant. Deinde, considerandum & hoc est, ꝙ cum Christus dicit: FIET uobis, non addit, quãdo aut quomodo fiat. Non definit nobis tempus aut modum, quo fiat. Certissima quidem est exaudi tio, de quacunꝙ re pius in Christo manens precatus fuerit: Erit, inquit, antequam clament, ego exaudiam, & adhuc illis loquentibus, audiam. Et iterum: Inuoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me. Ac rursus: Quicquid petieritis nomine meo, hoc faciam. Ex his & alijs id genus promissionibus uides exauditionem precum, quas pij in Christo manentes, effundunt, certissimam esse. Sed Deus sibijpsi reseruat modum, & tempus reuelandę exauditionis, & præstandę rei, quæ precibus petita est. Exigamus igitur nunc exemplum Apostolorum ad hanc promissionem: Quicquid uolueritis, petetis, & fiet uobis, ut cognoscamus certissimam eius ueritatem. Apostoli enim manserunt in Christo. Itaqꝫ uoluerunt & petierunt, ut Euangelion, quod ex mandato Christi prædicandum susceperunt, promoueret in toto orbe terrarum. Et promouit. Voluerunt & petierunt, ut cum uocati essent ad ædenda miracula, claudos sanarent, mortuos suscitarent, & alia miracula facerent. Et fecerunt. Voluerunt & petierunt, ut non deessent ipsis ea quę sunt necessaria ad conseruandam hanc corporalem uitam, quo defungerentur suo ministerio, ad quod uocati erant. Nec fame mortui sunt. Sed etsi reliquerant ad uocationem Christi suas facultates, tamen pro una domo receperunt centum. Quocunꝙ enim diuerterunt, excepti sunt in domos piorum, longe maiori honore & reuerentia, cꝫ si domi suę aliquot millia aureorum possedissent. In Actis apostolicis Cornelius tanta obseruantia excepit Petrum, ut & ad pedes eius procideret, & ipsum adoraret. Ad Galatas scribit Paulus: Excepistis me uelut angelum Dei, uelut Christū Iesum. Et testimonium reddo uobis, ꝙ si fieri potuisset, oculos uestros effossos dedissetis mihi. Voluerunt item & petierunt Apostoli, ut & mortem uincerent, & cœleste gaudium consequerentur. Quod uoluerunt & petierunt, hoc & factum est ipsis, quia manserunt in Christo, & uerba Christi manserunt in ipsis. Sed quid dicemus de Paulo? An non & ipse uoluit ac petijt, ut angelus Satanæ, qui colaphis ipsum cedebat, discederet ab ipso. Super hoc, inquit, ter DOMINVM rogaui. Sed audit: Sufficit tibi gratia mea: Non passus est repulsam precum suarum, sed quod uoluit & petijt, etiam impetrauit. Non autem impetrauit eo modo, quem caro excogitauerat & præscribebat, sed quem spiritus intelligebat. Dicit enim alias. Spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Ac

ille, qui ſcrutatur corda, nouit quis ſit ſenſus ſpiritus, quoniam ſecundum Deum intercedit pro ſanctis. Quare & Paulo manenti in Chriſto uere factum eſt, quod uoluit & petijt. Non eſt autem ſentiendum, ꝙ hæc promiſſio Chriſti ad ſolos Apoſtolos pertineat, ſed pertinet ad uniuerſam Eccleſiam Chriſti. Non pro eis, inquit, rogo tantum, ſed & pro ijs, qui credituri ſunt per ſermonem eorū in me. Ponamus igitur ſtudium noſtrum in hoc, ut uerba Chriſti maneant in nobis, quo & Chriſtus in nobis maneat, & fiat nobis, quicquid uoluerimus & petierimus. Cæterum, ut Chriſtus Apoſtolos & Eccleſiam ſuam
» excitet ad ferendum multum fructum, addit: In hoc glorificatus eſt
» pater meus, ut fructum copioſum afferatis, & effitiamini mei diſcipu
» li. Hęc appendix opportune additur ad cohortationē de ferendo multo fructu, hoc eſt, de prędicando Euangelio in toto orbe terrarum, & de inuocando patre in nomine Chriſti. Potuiſſent enim Apoſtoli cogitare. Quid? Iubes nos multum fructum ferre, hoc eſt, prędicare Euāgelion tuum in omnibus nationibus gentium, inuocare patrem in nomine tuo, et alia opera facere. Num hic fructus erit etiā Deo patri gratus? An non maior gloria Dei eſſet, ſi prędicaremus circūciſionem, & offerremus multa holocauſta? Reſpondet igitur Chriſtus obſeruabili dicto, quo diſcamus Deum recte colere, & eum uera gloria honorare. In hoc, inquiens, glorificatur pater meus, hæc eſt gloria, hic eſt honor, quo Deus pater uere colitur, ſi efficiamini mei diſcipuli, & afferatis copioſum fructum. Non enim eſt gloria Dei, multiplicare holocauſta, & alia Leuitica ſacrifitia. Hęc habuerunt ſuo tempore, ſuum uſum. Sed his Deus non uere honoratur. Nec gloria Dei eſt, multa ſacra iuxta humanam rationem inſtituere & obſeruare. Qualia ſunt tuiduana aut quatriduana ieiunia, longę battalogiæ, chameunię, peregrinationes ad oſſa mortuorum, & innumera alia. De quibus Chriſtus ex Eſaia contionatur: Fruſtra, inquiens, colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum. Quid ergo faciam, ut Deum colam & honore afficiam? Primum, ſi Deum uere colere, & honorare, atqꝫ gratiſſimum ei offitium facere uolueris, curandum eſt, ut fias diſcipulus Chriſti.. In hoc, inquit, glorificat pater, ſi effitiamini mei diſcipuli, Efficimur aūt diſcipuli Chriſti, ſi audierimus & didiceri-mus Euangeliō Chriſti, & adhibuerimus ei firmam fidem. Summus igitur honor, ſummus cultus, ſumma gloria Dei eſt, audire cōtionē Euangelij de Ieſu Chriſto, & Chriſtum ſolum ſeruatorem, qualem nobis Euangelion eius deſcribit, uera fide complecti. Deinde gloria & honor Dei eſt, ſi ex hac fide copioſum fructum afferas. In hoc, inquit, glorificatur, ſi afferatis copioſum fructum. Sed quem? Inuocare Deum in nomine Chriſti, prædicare Euangelion Chriſti, ædere miracula

racula in nomine Christi, iuuare Ecclesiam Dei, quoquo officio potes, sectari uocationem Dei, non abuti nomine Dei ad conuitia & maledicta, uerbum Dei diligenter & frequenter in cœtu Ecclesiæ audire. Honorare parentes & maiores. Magistratum uenerari. Nulli inuidere. Non dare operam imposturis. Egestati pauperum subuenire, pudicam & honestam uitam ducere, & his similia, quæ diuinis præceptis faciendapræscribuntur. Hic est copiosus fructus, quem Christus ferre iubet. Hic est uerus cultus Dei. Hæc est uera gloria Dei. Si Deum patrem hoc modo glorificauerimus, dubium non est, quin nos uicissim sit glorificaturus æterno honore per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXXV.

IN PRINCIPIO huius capitis diximus Christum in hac contione hortari Apostolos & uniuersam Ecclesiam suam, ut maneant in ipso, nec sinant se ulla persecutione aut afflictione ab ipso auelli. Et hactenus quidem exposuit Christus grauissimam caussam, cur debeamus in ipso manere. Dicit enim, sine me nihil potestis facere. Et si quis in me nō manserit, ejicitur foras, sicut palmes, exarescit, & in ignem conjicitur, ut perpetuo ardeat. Nunc autem perseuerat Christus adhuc in eodem contionis suæ statu, & addit aliam caussam, qua excitet nos, ut in ipso maneamns. Sicut dilexit, (inquiens) me pater, ita & ego dilexi uos. Manete (igitur) in mea dilectione. Hoc est institutum, hoc est propositum Christi, ut cohortetur nos quo maneamus in dilectione eius, uidelicet ut & ipsum diligamus, & non patiamur nos abstrahi ab ea dilectione, qua ipse nos complectitur, ne defectione nostra fiat, ut non capiamus fructum dilectionis eius. Additur autem caussa, quia quemadmodū pater me diligit, ita & ego uos diligo. Iustum igitur est, ut uos uicissim me diligatis, & dilectione in me maneatis. Quod ergo Christus ait: Sicut pater me diligit, ita & ego uos diligo, uerba uidentur simplicissima, sed profecto complectuntur res longe omnium maximas. Quare agitedum, Sciamus, quomodo pater diligit filium suum Christum, ut ex eo cognoscamus, quomodo filius Dei nos diligat. Sed malo hoc Ioannis Baptistæ, & Christi ipsius, ac Apostoli Pauli, & meis uerbis dicere. Ioannes Baptista ait, Pater diligit filium & OM

NIA dedit illi in manus. Quę maior dilectio cogitari potest, quàm ꝙ Deus pater intantum diligat filium suum, ut omnia bona sua in potestatem illius tradat? Christus ipse dicit: Pater diligit filium, & OMNIA demonstrat ei quę ipse facit, & maiora his demonstrabit opera, ut uos miremini. Ac rursus: Data est mihi OMNIS potestas in cœlo & in terra. Paulus quoque ad Ephesios scribens: Deus (inquit) sedere fecit Christum ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum ac potestatem, & uirtutem, & dominiū, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo, uerumetiam in futuro, & subiecit sub pedes illius OMNIA. Etsi enim Deus pater uidit filium suum oneratum & grauatum culpa peccatorum totius humani generis, & coniectum in turpissimam mortem, tamen non est abominatus eum, Sed tanto maiori dilectione complexus est ipsum, quanto grauius affligebatur. Et quia factus est obediens usqꝫ ad mortem, mortem autem crucis, idcirco pater intantum delectatus est obedientia eius, ut extulerit eum in summam sublimitatem, ac donauerit ei nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectat cœlestium, terrestrium, & infernorū. Hac patris dilectione erga filium suum, nihil potest aut maius cogitari, aut excellentius dici. Pater enim seruauit filium in omnibus aduersis, & collocauit eū in omni potestate, maiestate & fœlicitate, quam ipse tam in cœlo, ꝙ in terra habet. Quid amplius faceret? aut quibus rebus dilectionē suam clarius ostenderet? Quod cum ita se habeat, facile nunc cognoscere possumus, quomodo filius Dei diligat Apostolos & Ecclesiam suam. Primum enim sic diligit eos, ut pro salute ipsorum non dubitauerit animam suam ponere, quemadmodum mox sequitur. Deinde sic diligit eos, ut etsi habent adhuc peccatum in carne, tamen quia credunt in ipsum, donet eis suam ipsius iustitiam, & constituat eos propter se ad tribunal Dei iustos. Prꝫterea sic diligit eos, ut cooptet ipsos in cohæredes suos omnium cœlestium bonorum. In his terris fratres carnales sæpe ita dissident, ut alter alterum eumqꝫ germanū fratrem, ab adeunda legitimæ suę hæreditatis parte, quoquo studio potest, excludere conetur, tantum abest, ut alienū cooptet in cohæredem. Christus autem tanto amore erga Apostolos & omnes eos, qui Euangelio eorum credunt, accensus est, ut etsi alieni sunt, tamen recipiat eos in participationem & communionem omnium bonorum, quæ ipse a patre suo accepit. Quid multa? Christus sic diligit eos, ut quemadmodum pater conseruauit ipsum in omni afflictiōe, adeoqꝫ in morte ipsa, & collocauit eum in sede suæ maiestatis, ita conseruet Ecclesiam suam in media cruce & morte, & communicet eum ea omnem cœlestem suam maiestatem & fœlicitatem. Queso te, quomodo posset aliquis dorem

Wan es geht an ein teilē/ So geht es an ein scheiden.

dorem dilectionis suæ erga Ecclesiam clarius demonstrare? Sed in quem usum commemorat Christus hanc suam dilectionem? In duplicem usum. Alter est, ut excitet nos, quo in ipso maneamus, & bene in omnibus aduersis confidamus, nec patiamur nos ab ipso qualicunque afflictione aut tentatione auelli. Alter est, ut nos mutuo, propter ipsum diligamus. Sed de hoc posteriori usu mox. Nunc consideremus, quid faciendum sit, ut maneamus in dilectione Christi. Sequitur: Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego præcepta patris mei seruaui, & maneo in eius dilectione. Si uolueritis, inquit, in me manere & efficere, ut ego uos diligam, & diligere pergam, necesse habebitis mea præcepta seruare, idque meo exemplo, qui & ipse diligor à patre, ꝙ seruem præcepta eius. Audiamus igitur quę præcepta pater dederit filio, & quę filius dederit Apostolis & Ecclesię suę, ut discamus, quę nobis sint faciēda. Pater iussit filium seipsum exinanire, ac formam serui accipere. Iussit eum illustrare nomen suum hominibus, & prædicare Euangelion regni sui. Iussit eum suscipere crucem & mortem pro salute humani generis. Hęc sunt præcepta, quę filius accepit à patre. Quę cum filius diligentissime fecerit, mansit in dilectione patris. Inobedientes & contumaces filij, non manent in dilectione patris eorum, sed solent exheredari. Christus autem filius Dei non est exheredatus, sed cum obedierit patri usque ad mortem crucis, exaltatus est super omnes cœlos, & consecutus est omnem cœlestem patris sui hæreditatem. Habes quæ præcepta pater dederit filio. Nunc uide quæ præcepta Christus filius Dei dederit Apostolis & Ecclesię suę. Christus iussit Apostolos & Ecclesiam audire Euangelion suum, & adhibere ei fidem. Iussit eos prędicare Euangelion in uniuerso orbe. Iussit eos nomen suum confiteri coram regibus & principibus. Iussit, etiam ut se mutuo diligant. Vnde Ioannes aliâs dicit: Hoc est præceptum eius, ut credamus nomini filij eius Iesu Christi, & diligamus nos mutuo. Hæc sunt mandata Christi, de quibus dicit: Si ea seruaueritis, manebitis in mea dilectione. Necessarium autem est, ut hęc contio Christi diligentissime inculcetur Ecclesię. Magna enim est hominum ignauia in sectanda obedientia, quam Christo debemus. Nihil iam loquor de manifeste impijs, qui perfricta fronte contemnunt Euangelion Christi, de his potius loquor, qui pij uidentur. Hi cum audiunt prędicari Euangelion de gratuita remissione peccatorum per fidem propter Christum, solent fieri securi & torpidi. Cogitant secum: Quid diu multumq; fatigarem me faciendis bonis operibus, cum non possim his mereri gratiam Dei, & remissionem peccatorum? Faciam igitur, quod libet, & accommodabo me aliorum hominū moribus, ut trau-

quillam uitam ducam. Sed huic ignauię opponit Christus hanc con
tionem. Manebitis, inquiens, in mea dilectione, non si nullam habue
ritis curam meorum præceptorum, non si pro uestra libidine uitam
duxeritis, sed si mea præcepta seruaueritis. Nemo quidem potest
merito suæ obedientia consequi, ut recipiatur in gratiam & dilectio
nem Dei, ut adoptetur in filium Dei. Hæc enim contingunt homini
gratis, mera Dei clementia per solam fidē in Iesum Christum. Post
quam autem recepti sumus in gratiam, & adoptati in filios Dei, tunc
necesse habemus prȩcepta Christi seruare, & uocationi Dei obedire,
primum, ut maneamus in dilectione Christi, deinde ut declaremus
nos gratos erga benefactorem nostrum Iesum Christum. Et ut nos ea
tiam ipsi agnoscamus, nos in Christo uere uiuere. Nam qui sectatur
impietatem & scelera, etsi ante uidebatur acceptus in gratiam Dei, &
adoptatus in filiū Dei, tñ propter scelera abȷcitur, & nisi resipiscat,
exhæredatur. Si secundum carnē, inquit Paulus, uixeritis, moriemi
ni. Et iterum: An nescitis, ꝙ iniusti regni Dei hȩreditatem non conse
quentur? Ne erretis: Nec̄ scortatores nec̄ cultores simulacrorum,
nec̄ adulteri nec̄ molles, nec̄ qui concumbunt cum masculis, nec̄
fures, nec̄ auari, nec̄ ebriosi, nec̄ maledici, nec̄ rapaces, regni dei
hȩreditatē accipient. Ac rursus: Manifesta sunt opera carnis, quę sunt
hæc, Adulteriū, scortatio, immunditia, & his similia, de quibus prę
dico uobis, quemadmodum & prædixi, ꝙ qui talia agunt, regni
Dei hæredes non erunt. Idem docet etiam Ioannes alias: Qui dicit, no
ui eum et prȩcepta eius nō seruat, mendax est, & in eo ueritas non est.
Et iterū: Qui cōmittit peccatum, ex diabolo est. Quare, etsi merita no
strorum operum non expiant nostra peccata, tamen necesse habemus
præcepta Christi seruare & uocationi uerbi Dei obedire, ut in dile
ctione, in quam gratis accepti sumus, maneamus. Obsecramus autem
te, clementissime DOMINE Iesu Christe, ad quem usum proponis
nobis hanc contionē, & tam sollicite mones, ut in te maneamus. Num
hæc eo dicis, ut fallas tempus, & non sit nobis molestum, in hac no
stra profectione, tuum silentium? Non certe loquor hæc, excutiendę
tantum oscitantię gratia. Sed loquor ea uobis, ut gaudiū meum in uo
bis maneat, & gaudium uestrum impleatur. Hic est uerus fructus quē
affert non hęc tantum contio, sed totum Euangelion Christi. Nam si
hęc contio, aut Euangelion Christi, cuius hęc contio epitome est, accȷ
pitur fide, duplicē affert fructum. Alterum, in Christo ipso, Alterū,
in his qui credunt Euangelio Christi. Primum enim Christus maxi
me omnium gaudet de salute humani generis. Nisi enim de ea, ex ani
mo gauderet, non suscepisset, ad parandam eam, tam turpem & igno
miniosam mortem. Quare, cum ait: Hęc locutus sum uobis, ut gaudi
um

um meum in uobis maneat, ſententia eius eſt: Quæ concionor uobis, ea non loquor fallendi temporis gratia, ſed ut ſignificem, quanto gaudio afficior, ſi uos meam contionem fide acceperitis. & ueram ſalutem conſecuti fueritis. Ego enim hoc maxime omnium delector, ut uos ſalui ſitis. Hęc eſt mea uoluptas, hoc meum gaudium, hoc meum ſolatium. Itaq́, qui uoluerit mihi maximum gaudium afferre, audiat meã contionem, ſequatur meam uocationem, ut conſequatur ueram & perpetuam ſalutem. Deinde non eſt alia res, qua nos uerum, perfectum, & perpetuum gaudium aſſequimur, q̃ contione Euangelij Chriſti, ſi eam fide acceperimus. Sunt multa terrena, quę uidentur homines gaudio afficere & exhilarare. Alium exhilarat magna uis pecuniæ, alium Sympoſia, alium agri, alium aliæ res. Sed gaudiũ, quod ex his rebus accipitur, nec eſt uerum, nec diuturnum, nec perfectum. Hoc aũt ſolũ affert completum gaudium, ſi acceperimus Euangelion Chriſti fide, & manſerimus in ipſo. Quare quod dicit, ſe hęc locutum, ut gaudium ſuum in ipſis maneat, & gaudium ipſorum cõpleatur, hanc habet ſententiam: Tota hęc contio mea huc reſpicit, ut & ego uobiſcum, & uos mecum perpetuo gaudio, & ęterna fœlicitate fruamini. Neq́ enim in alio quoq́ ſalus eſt, prętereq́ in filio dei Ieſu Chriſto. In hunc igiẽ credẽdum eſt, in hoc manẽdum, ut eiecta omni animi triſtitia, uero gaudio afficiamur. Cętęrę, quia fidei in Chriſtum officium eſt, nõ ſolum diligere Chriſtum, & prędicare Euangelion eius, uerumetiam diligere proximum ſuum, idcirco addit Chriſtus pręceptum de mutua inter nos dilectione. Hoc, inquiens, eſt pręceptum meum, ut diligatis uos inuicem, ſicut dilexi uos. In his em̃ duobus, uidelicet fide in Chriſtũ, et dilectione proximi pendet tota doctrina Chriſti. Vnde & Ioannes alias dicit: Hoc eſt pręceptum eius, ut credamus nomini filij eius Ieſu Chriſti, & diligamus nos mutuo. Quõ ergo debemus nos mutuo diligere? Sicut EGO, inquit, dilexi uos. Sed quomodo filius dei nos dilexit? ſequitur: Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut quis animã ſuam ponat pro amicis ſuis. Quod dicit habet hanc ſententiã: Etſi uos eratis inimici mei, tamen ego uos perinde ac ſummos amicos dilexi, & trado pro ſalute ueſtra uitam meam in mortem, ut uos a morte redimam. Quare pręcipio & mando uobis, ut & uos ſic mutuo diligatis: Primum igitur obſerua, q̃ hoc p̃ceptum Chriſti non ſit talis lex, qualis eſt lex Moſi. Hęc enim datur nondum iuſtificatis, ideoq́ occidit. Illud aũt pręceptum datur iã per fidẽ iuſtificatis, ideoq́ non occidit, ſed exponit tm̃ officium eorum, qui ſunt iuſtificati & uiuificati. Deinde hoc pręceptum antitheſis eſt ad Moſen. Nam Moſes nõ ſolum docuit moralia, ſed inſtituit etiã Politica & Leuitica. Ego uero, inquit Chriſtus, nec Politica nec Leuitica inſtituo, ſed tantum hoc mando

1. Ioan. 3.

uobis, ut diligatis uos mutuo. Dixi iam antea, quæ & publice & priuatim in Ecclesia mea obseruari uelim, uidelicet de fide in me, de prędicatione Euangelij mei, de Baptismo, de Cœna dominica, & de Precatione. Reliquū nunc est, ut uos inuicem DILIGATIS. Non instituo aliquam Politian aut Leuiticas cerimonias, sed exigo dilectionem inter uos mutuam. Hæc necessaria erit, non solum ut declaretis ueritatem fidei uestræ, quam in me habetis, sed etiam ut conseruetur in Ecclesia concordia doctrinæ, & tranquillitas uitæ. Quantum enim mali discordia pariat in omni genere uitæ, res ipsa ostendit, & extant de ea re publicę multorum sapientissimorum hominum querelę. Sed qualis debet hęc mutua piorū dilectio esse? Sicut ego, inquit, dilexi uos. Ne diligamus, inquit alias Ioannes, uerbo tantum, & lingua, sed opere & ueritate. Et iterum: Per hoc cognouimus caritatem, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Vides hanc doctrinam de tanto dilectionis ardore, ut etiam alter pro altero uitam suam tradere debeat, non proponi nobis ioco aut otiose, sed exigi à nobis serio. Quid igitur faciamus? Quis enim hoc præstare ex animo potest? Et ut Paulus ait: Pro bono forsitan aliquis mori sustinet, pro inimico autem, quemadmodum Christus fecit, quis morietur? Non est ignota Christo nostra infirmitas. Nouit, ꝙ in carne nostra non habitet bonum. Scit ꝙ affectus carnis non possit legi Dei subdi, etiamsi spiritum sanctum habeamus. Nam spiritus sanctus, qui datur pijs, renouat quidē hominem, et expurgat cupiditates carnis, non mutat autem carnem in spiritum. Visum tamen est Christo proponere nobis absolutum dilectionis exemplum, primum, ut agnosceremus magnitudinem clementiæ Dei, qui etsi non possumus perfecte implere mandatum de dilectione, tamen reputat nos iustos propter Iesum Christum, si in eum uere credimus. Deinde proponit nobis Christus hoc suum exemplum, ut si non possumus id dilectione nostra æquare, sequamur saltem uel à longe. Nam quemadmodum humanus creditor, ęquo animo solet ferre debitorem qui non est soluendo, si saltem nonnullam, ac etiam minimā debiti partem aliquoties numerauerit. Quod si uero tam insolens, & ingratus est, ut uel debitum contumeliose neget, uel se prorsum nihil numeraturum superbe iactet, ibi tum excitatur creditor, ut ius suum summa seueritate persequatur, ita & DOMINVS Deus noster, tam clemens nobis per Iesum Christum factus est, ut ferat nostram imbecillitatē in prestanda mutua, quam debemus, dilectione patienter, Si modo uel aliqua ex parte exemplū filij eius sequamur. Si autem nulla prorsus dilectione proximum complectimur, sed potius nos ei plane nihil debere contendimus, quid aliud superest, quam ut iusta parabo-

ta parabolam, dominus tradat nos tortoribus, quoadusque to- Matth. 18.
tum, quod debebatur ipsi, reddamus? Vide mihi parentem quen-
dam, qui cum habeat filium unius anni, optat quidem, ut filiolus re-
ctus, suis uiribus, incederet, sed quia id prę ętate non potest, cōtentus
est, si is saltem apprehensa manu sequatur ductorem. Hoc demum pa
renti molestissimum est, si filiolus ita claudus est, ut ne pedibus qui-
dem consistere queat, ita Christus exigit quidem, ut perfectum exem
plum dilectionis eius imitemur. Sed quia uidet nos esse imbecillio-
res, ꝙ ut possimus dilectionem eius nostra imitatiōe ęquare, gratum
ei offitium est, ut ducentem spiritum sanctum utcunꝙ sequamur. Nā
quod reliquum uitium est, clementer ignoscit. Quare summo studio
enitendum est, ut abńtiamus omne odium animi erga proximum no
strum, & exerceamus nos ad exemplum dilectionis Christi, ut hac no
ta agnoscamur ueri & synceri discipuli eius, qui est unà cum patre &
spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXXVI.

IN commendanda dilectione, quam Iesus Christus filius Dei ab Apostolis & uni-
uersa Ecclesia sua exigit, facta est mentio amicorum, & significauit Christus, se ag
noscere Apostolos & Ecclesiam suam pro amicis suis. Maiorem, inquiens, hac dile-
ctionem nemo habet, ut quis animam su-
am ponat pro amicis. Docet igitur nunc,
quid faciendum sit, ut maneamus amici filń Dei. Nihil enim pro-
dest nobis, quod filius Dei agnoscat nos pro suis amicis, si nos eam
amicitiam nec agnouerimus, nec seruauerimus. Quare summo stu-
dio cognoscendum est, quid facere debeamus, ut amicitiam filń Dei
seruemus. De qua re nemo potest nos rectius erudire, ꝙ filius ipse
Dei, qui sic ait: Vos amici mei estis, si feceritis, quæcunꝙ ego prę- " "
cipio uobis. Quid? Amici mei estis, si feceritis, quæcunꝙ ego præ- " "
cipio uobis Amâbo ergo te, dicito mihi, quis hominum potest uel
esse uel manere amicus filń Dei, cum nullus hominum perfecte faci-
at aut etiam facere possit omnia ea, quæ filius Dei facere iussit? Iussit
credere, iussit diligere, sicut ipse dilexit. Sed quis hominum sic
perfecte credit & diligit, quemadmodum ab ipso exigitur? Accedit

huc, quòd Paulus ad Romanos scribens, dicit Christum mortuum esse pro impijs, & pro inimicis, non ut hoc loco Christus ait, pro amicis. Quid igitur dicemus? Hic obserua mihi, quòd homines sint natura sua hostes & inimici filij Dei. Traditi enim sunt propter peccatum potestati Satanæ, ut, quod subditorum est, ex eius uoluntate pendeant. Satan autem prosequitur filium Dei, perpetuo & irreconciliabili odio. Reliquum igitur est, quòd & homines Satanę subiecti filium Dei odio habeant. Nec fieri potest, ut suum ipsi animum mutent, & pro inimicitia concipiant amicitiam erga Christum. Satan enim potentius dominatur hominibus, cꝫ ut sinat ipsos suis uiribus iugum suum excutere. Quomodo ergo homines fiunt amici Dei ac filij eius? Fiunt amici hoc uidelicet modo, cꝫ etsi sunt natura inimici Dei, Christus tamen filius Dei, reputat eos ex summa sua caritate, qua humanum genus complectitur, amicos, ac ponit animam suam pro ipsis, perinde ac si essent præcipui amici, adeocꝫ fratres eius. Itaque Christus mortuus est pro hominibus, quantum quidem ad ipsos attinet, adhuc hostibus & inimicis, quantū autem ad affectum Christi attinet, amicissimis & acceptissimis. In hoc est caritas, inquit Ioannes, non cꝫ nos dilexerimus Deum, sed cꝫ ipse dilexerit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Quid ergo? Num quia Christus reputat homines pro amicis suis, fruuntur beneficio eius, siue agnoscant ipsum, siue non agnoscant? Minime omnium. Necesse enim est, ut quemadmodum Christus reputat homines in se pro amicis suis, ita & homines fiant in se, & maneant amici Christi. Fiunt autem in se amici Christi, si agnouerint eum per Euangelion, & crediderint in ipsum, quòd solus ipse sit salus & redemptio nostra. Sic enim Deus (inquit) dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. In quem usum? num ut beneficijs eius fruantur omnes homines siue agnoscant ipsum, siue contemnant? Nihil minus, sed ut omnis, qui CREDIT in eum non pereat, sed habeat æternam uitam. Qui autem non credit iam condemnatus est. Quare ut & fruaris amicitia, qua Christus te complectitur, & fias etiam in te amicus Christi, necesse habes credere in eum, & agnoscere ipsum pro solo & uero tuo seruatore. Postcꝫ autem factus es in te amicus Christi per fidem, necessarium est, ut & maneas Christi amicus. Quomodo ergo hoc fiet? Num si cogitaueris te credere, interim autem facias, quod libet? Nequaquam. Sed amici mei, inquit, estis, si feceritis, quæcunque ego præcipio uobis. Videamus igitur breuiter, quæ Christus præceperit Apostolis, quæ & nobis præceperit. Ac primum præcepit nobis omnibus, ut credamus Euangelio eius. Postcꝫ igitur credidimus in Christum, necesse est ut maneamus in hac fide, quo &

1. Ioan. 4.

maneamus

mancamus amici Christi. Nam qui abiicit fidem, non manet amicus Christi filij Dei. Deinde præcepit Apostis, ut eant in uniuersum mundum, & prædicent Euangelion omni creaturę. Nobis præcepit, ut omnem nostram operam ad profectū Euangelij conferamus, & suam quisque legitimam uocationem sectemur. Quare necesse habuerunt Apostoli Euangelion Christi prędicare. Ve mihi, inquit Paulus, si non Euangelisauero. Necesse habemus & nos studium nostrum in conseruando Euangelio collocare. Hoc qui non facit, non manet amicus filij Dei. Postremo præcepit Christus mutuum inter nos amorē: Diligatis uos inuicem, sicut ego dilexi uos. Suscipienda igitur est dilectio proximi, ut maneamus amici Christi. Nam qui non habet dilectionem proximi, non manet in amicitia Dei. Sunt, qui iactant se amicos Dei, inimicos autem totius mundi. Hæc est uanissima iactantia. Etsi enim debemus odisse mundum, quod ad concupiscentiā carnis, ad concupiscentiam oculorum, & ad fastum uitæ, ut Ioannes ait, attinet, tñ quia illi intelligunt per mundum, non peccata mundi, sed homines mundi, in quorum opes & dignitatem inhiant, idcirco fieri non potest, ut qui sit inimicus mundi, sit aut maneat amicus Dei. Qui (proximum) non diligit, inquit Ioannes, nō nouit Deum, quia Deus caritas est. Et iterum: Si quis dixerit: Diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Abiicienda igitur est inuidia, maleuolentia, & odium, ac suscipienda est dilectio, & in ea manendum, ut & in amicitia Christi filij Dei maneamus. Etsi enim non possumus in hac carne nec fidem, nec dilectionem perfecte præstare, tamen cum in Christum credimus, non sumus amplius sub lege, sed sub gratia, & nulla est condemnatio his, qui insiti sunt Christo Iesu, qui non iuxta carnem uersantur, sed iuxta spiritum. Si enim obedierimus ex fide, sicut Christus condonat peccatum gratuito, ita compensat sua clementia, quod nostrę obedientiæ deest. Quare, etsi obedientia est imperfecta, tamen manemus amici Christi, si modo peccatum non regnat in nobis, & non uersamur iuxta carnem, sed iuxta spiritum. Porro, quia Christus dixit se agnoscere discipulos & Ecclesiam suam pro amicis suis, exponit etiam quę, sit dignitas & prerogatiua suorum amicorum. Dicit enim: Non posthac uos dico seruos, quia seruus nescit, quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quę audiui à patre meo, nota feci uobis. Hæc antithesis serui & amici ob seruatiōe dignissima est. Hac em̄ exponitur non solum dignitas amicorę Christi, sed etiam discrimen, q̄d est inter regnū Christi & regnū mundanū. Nam hæc est politica cōsuetudo in mundanis regnis, q̄ subditi principū nō habeant pro amicis principū, sed pro seruis. Nec principes uocāt subditos suos amicos, sed si clement̄ eos alloquūtur,

Vocant eos uel Dilectos, uel fideles. Existimant enim maiestatem suam minui, si dignarentur homines infimæ sortis nomine amici. Non enim tribuunt amici nomen, nisi ei qui & ipse sit alto loco natus, aut magna potestate & dignitate præditus. Itaque amici nomine significatur conditionis æqualitas, serui autem nomine, inæqualitas. Atque hoc quidem seruorum & amicorum discrimen in regnis huius mundi constat. In regno autem Christi res longe aliter se habet. In hoc enim regno non alius est seruus, alius amicus regis, sed omnes subditi sunt regis amici. Vetus dictum est, Amicorum omnia communia. Christus autem habet omnia sua cum credentibus in ipsum, qui sunt subditi regni sui, communia. Quare habet omnes credentes in ipsum, pro amicis suis. Videamus igitur, quæ sint illa communia bona. Primum communitas inter Christum & subditos suos in hoc consistit, ꝙ omnia arcana, quæ Christus cognouit & didicit à patre suo, patefaciat subditis suis. Seruus, inquit, nescit, quid faciat dominus eius. Dominus non communicat cum seruo omnia arcana sua in consilijs de rebus grauioribus, serui non admittuntur in consessum dominorũ, sed necesse habent ante fores excubare, & in mandata dominorum intenti esse. Vos autem dixi amicos. Vos pro amicis habeo, propterea ꝙ receperim uos in arcana consilia Dei, & patefecerim uobis omnia quæcunꝙ cognoui à Deo patre meo. Quid ergo dicemus? Deus pater cognoscit, quantus sit numerus stellarum? Qui numerat, inquit, multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina uocans. Cognoscit etiam quanta sit multitudo arenæ maris, quanta altitudo cœli, quãta latitudo terræ, dimensus est profundum abyssi, numerauit dies huius seculi, nouit omnia in hoc mundo & in regnis eius futura tam publica, quàm priuata. Et quemamodum pater hæc nouit, ita & filius, qui est eiusdem essentiæ, nouit. Dicemus ne hęc quoque filium Dei docuisse, & patefecisse Apostolis? Consideremus igitur, ꝙ Christus non loquitur hoc loco de omnibus illis rebus, quas ęterna sua maiestate cognouit, sed loquitur de ijs omnibus, quas accepit à Deo patre, ministerio suo in hoc mundo, prædicanda; hoc est, de rebus ad ueram & perpetuam salutem humani generis pertinentibus: Pater enim non misit filium suum, ut doceret Astronomiam, aut Geometriam, nec misit eum, ut uaticinaretur de mundanis euentibus rerum huius seculi. Et si enim prædixit quædam more prophetico, quæ post tempora sua in hoc seculo euenerunt, qualis est deuastatio urbis Hierusalem, tamen non fuit missus, ut uaticinaretur quid cuiuis uel regi uel priuato homini, in hoc mundo, post decem aut uiginti annos accideret, & quis esset euentus eorum bellorum, quæ principes pro sua libidine gerenda suscipiunt, sed

sed missus est, ut reuelaret & exponeret nobis omnẽ arcanã uoluntatem Dei de uera & perpetua salute humani generis. Hanc cognoscere, operæpretium est, hanc cognoscere necessarium est. Quid enim utilitatis affert mihi, si cognouero quid mihi uel boni uel mali in rebus mundanis, & in hac corporali uita euenturum sit, & interim ignorauero, quo affectu erga me sit Deus, uelit ne Deus me seruare in morte, an non, aut quę me uita maneat, post hanc corporalem uitam? Et quemadmodum Christus ipse ait: Quid prodest homini, si totum mundum lucratus fuerit, animæ uero suæ iacturam fecerit? Quare hoc maxime omnium nostra interest, ut cognoscamus uoluntatẽ Dei de uera et perpetua salute nostra. Qualis ergo est Dei uolũtas, et quis est affectus eius de nostra ęterna salute? Non certe alia uoluntas, alius affectus Dei est, ꝙ̃ is, quem prędicauit filius Dei Euangelio suo. Hęc est, inquit, uoluntas eius, qui misit me, ut omnis, qui uidet filium & credit in eum, habeat ęternam uitam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Et iterum: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Hic habes de salute tua omnia secreta Dei reuelata, habes omnia arcana Dei patefacta. Si agnoscis filiũ Dei Iesum Christum, uult te Deus perpetuo seruare. Si credis in filium Dei Iesum Christum, uult tibi Deus dare æternam fœlicitatem. Non est igitur, ꝙ̃ cupias, ut tibi angelus ę cœlo mittatur, qui doceat quid de te Deus sentiat aut cogitet, nec est, ꝙ̃ sollicite scruteris de tui prædestinatione. Ecce enim tibi, filius ipse Dei, angelorum dominus, adnuntiat perspicue uoluntatẽ patris erga te, & ipse est prędestinationis liber, olim quidem occultus, nunc autem reuelatus. Voluntas enim patris certissima & firmissima est, ut ueram & perpetuam salutem consequaris, si in filium eius credideris. Et uere scriptum est nomen tuum in libro prædestinationis eius, si Iesum Christum filium eius per fidem agnoueris, & in eo manseris. Quo autem certior est hęc uoluntas Dei, eo detestabilior est doctrina impiorũ monachorum, qui ex peruersa intellecta scripturæ sententia iusserunt homines dubitare, num sint in gratia, an odio Dei. Nescit, inquiunt, homo, utrum amore an odio dignus sit. Non docet autem Salomon nos dubitare de uoluntate Dei erga nos, sed docet ex euentu non posse de homine iudicari. Nam quod ad Dei uoluntatem attinet, patefacta est per Euangelion Christi, et nihil ea est certius, nihil firmius. Quare in hoc studium incũbendũ est, ut Euangeliõ Christi amplectamur, quo & arcanã Dei uoluntatem erga nos cognoscamus. Habes unum genus bonorũ, quæ Christus cõmunia habet cũ amicis, cũ Apostolis & Ecclesia sua. Reuelauit em̃ eis oẽm arcanam Dei uoluntatẽ de uera et ꝑpetua salute eorũ

Deinde communitas inter Christum & subditos suos in hoc cõsistit, ꝙ ipse non maneat solus filius Dei, & hęres cœlestiũ bonorum, sed etiam impetrauit, ut omnes subditi sui, qui ipsum per fidem agnoscunt, adoptentur in filios Dei, & fiant cohęredes eius, ut iam non solum sint amici eius, sed etiam fratres. Nam quod ipse est natura, hoc omnes qui credunt in ipsum, fiunt gratia & adoptione. Quid hac communitate potest esse honestius, quid fœlicius? Agamus igitur Christo filio Dei gratias, pro tanto beneficio, & operam demus honestate uitę, ne ex hac amicitia & bonorum communione exhæredemur, & abijciamur. Cęterum, ut Christus magis perspicue exponat, cui acceptum ferendum sit, ꝙ fiamus amici & fratres sui, addit:
„ „ Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, & constitui uos, ut eatis &
„ „ fructũ afferatis, & fructus uester maneat, ut quicquid petieritis patrẽ
„ „ in nomine meo, det uobis. Obseruabile dictum, quod intelligendũ est, tam de electione ad priuatam salutem, ꝙ de electione ad publicam functionem. Duplex enim est electio diuina. Vna est, qua quis eligitur in discipulum Christi, ut audiat Euangelion, accipiat spiritum sanctum, & adhibeat Euangelio ueram fidem. Hęc electio priuatim unicuiq; salutem consecuturo necessaria est, Nec fit à carnali uirtute, & libero hominis arbitrio, sed fit diuina uirtute & libero arbitrio Christi. Nullus enim hominum eligit Christum pro suo arbitrio, quippe ꝙ homines Satanę captiui, naturaliter odio habeãt Christum, sed Christus eligit hominem, & excitat eum, ut audiat Euangelion, & dat ei spiritum sanctum, ut Euangelio credat. Quare ꝙ reuelatum est nobis Euangelion, & cognoscimus Christum, non est nostra electio, omnes em̃ nos quasi oues errabamus, sed est mera & gratuita clementia Dei per Christum filium suum. Altera, electio est, qua quis eligitur, ut non solum sit discipulus, sed etiam Apostolus Christi, hoc est, ut non solum priuatim habeat salutem in Christo per fidem, sed ut etiam habeat publicam functionem in Ecclesia Christi, aut in politica republica. Hæc electio, etsi non est cuiuis ad salutem necessaria. Non enim necesse est, ut quiuis sit uel Apostolus, uel princeps in sua repub. tamen si cui contigit, non est nisi à Deo. Hoc nobis diligenter considerandum est, in hunc uidelicet usum. Initio, ut agamus Deo gratias pro electionis suæ beneficio. Agendæ autem sunt gratiæ non uerbis tantum, sed multo magis factis, ut nomen domini celebremus, cursum Euangelij pro uirili nostra iuuemus, & electionem nostram honestate uitæ ac obsequio ornemus. Deinde consideranda est electio diuina, ne arroganter de nobisipsis sentiamus, & proximos quosque præ nobis superbe & contumeliose fastidiamus. Quid enim habes, inquit Paulus, quod non accepisti? Quod si

accepisti,

accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Postremo etiam ad hoc prodest consideratio diuinæ electionis, ut in aduersis bene confidamus, & de certitudine diuini auxilij non dubitemus. Non enim nos ipsos uocauimus ad accipiendum Euangelion Christi, sed uocati sumus a Domino. Diuinæ autem uocationi diuinum etiam auxilium promissum est. Quare quicquid nobis aduersi in hac uocatione acciderit, dubitãdum non est, quin deus nos sit seruaturus. Sed queso te, in quem usum elegit Christus Apostolos suos, & reliquos omnes, q̃ apostolico uerbo crederunt? Num elegit eos, ut pro sua libidine uitam ducant, & nefanda quęq; scelera designent? Minime omnium. Addit enim: Constitui uos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus uester maneat, ut quicqd petieritis patrem nomine meo, det uobis. Vt fructũ, inquit, afferatis, non ut sitis uelut steriles palmites. Dicamus igit̃ primum de Aplis & eorum fructu. Constituti enim sunt in hunc usum, ut testificentur de Iesu Christo, & diuulgent Euangelion eius in totã terram. Ite, inquit, prędicate Euangelion omni creaturę. Et: Eritis mihi testes non solum Hierosolymis, uerumetiam in uniuersa Iudæa, Samariaq;, denicq; usq; ad extrema terrę. Hic est fructus, quẽ Apli iussi sunt ferre, quem etiam protulerunt. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Et iterum: Euangelion prędicatum est apud uniuersam creaturam, quę sub cœlo est, & fructificat in toto mundo. Et hic etiam fructus manet. Prędicatio enim Euangelij Aplici sic fundata & firmata est, ut ne portæ quidem inferi aduersus eam pręualeant. Etsi enim Euangelion, quod Apli adnunciarũt, multos habet aduersarios, & prędicat̃ nunc illustrius, nunc obscurius, tñ nulla est tanta tyrannis, hęresis aut hypocrisis, quæ possit ministerium Euangelij prorsus è mundo tollere, & Euãgelion ipsum omnino abolere. Manet etiam fructus Apostolicus hac ratione, q̃ etsi non omnes homines, apud quos prædicatum est Euangelion, acceperunt Christum, & multi eorum qui acceperunt, iterum defecerunt, agnoscit tamen filius dei fidem, & odedientiam Apostolorum, & reddit eis copiosam mercedem in cœlis. Si fuerit, inquit, domus digna, ueniat pax uestra super illã, sin minus fuerit digna, pax uestra ad uos reuertatur. Et iterum: Vos estis, qui pmansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel. Habes Apostolorum fructum. Deinde dicamus etiam de fructu aliorum, qui crediderunt in Christum. Sicut enim Apostoli constituti erant ut tam priuatim inuocarent Deum patrem per Christum, acobedirent mandatis Dei, q̃ publice diuulgarent Euangelion Christi in totum orbem terræ, ita Coloss. 1.

unuſquiſq; in Chriſtum credens conſtitutus eſt, ut & priuatim pie fa ciat, & publice glorificet nomen Chriſti in ſua uocatione. Suæ enim ſunt uocationes magiſtratus, patrisfamilias, & opificis. Vnuſquiſq; autem horum debet operam dare, ut pro ſuo offitio curſum Euange lij adiuuet, & gloriam Chriſti propaget, & ut proximum uera dilecti one & benefitijs proſequatur. Hic eſt fructus, quem in hoc ſeculo fer re debemus. Nec ſentiamus nos inutiliter, ſine fructu laborare. Impio rum quidem labor inutilis eſt, qui etſi multum ſudant & algent, ac af ferunt aliquam externam in hoc ſeculo utilitatem, tamen quia non ag noſcunt Chriſtum uerum ſeruatorem, neceſſe habent tandem una cū ſuis laboribus perire. Piorum autem labor ſemper utilis eſt, & fru ctus eorum nunquam perit. Etſi enim homines ſunt ingrati, & concul cant pedibus fructum piorum, tamen quia hi ſuum faciunt offitium, deus agnoſcit fructum eorum, & reponit eum in cœleſte tabernacu lum, ac reddit eis propter Chriſtum, è cuius fide fructum tulerunt, æternam fœlicitatem. Sed quid multis opus? Conſtitui uos, inquit, ut quicquid petieritis patrem meo nomine, det uobis. Vide, obſe cro, quanta ſit dignitas, & quanta fœlicitas electionis & uocationis Chriſti. Quos enim elegit, eos in hoc conſtituit, & hanc eis dat præ rogatiuam, ut quicquid petant patrem ſuo nomine, conſequantur. De hac promiſſione diximus antea copioſe. Quare nunc breuiores erimus. Petere enim & inuocare patrem nomine filij ſui Ieſu Chriſti, primum eſt, inuocare deum ex fide in filium dei Chriſtum, uidelicet ut credas, quòd deus ſit tibi propitius propter filium ſuum, nec ſit ali ud nomen, præter Chriſtum filium dei, datum hominibus, in quo ſa lutem conſequantur. Hæc fides prima omnium eſſe debet in Inuoca tione. Deinde petere patrem nomine Chriſti, eſt ea petere propter quæ Chriſtus in hanc terram miſſus eſt, & quæ ſe daturum promiſit: Miſſus autem eſt, ut expiaret peccata, ut uinceret mortem, ut ſeruaret omnes in ipſum credentes, ad æternam uitam. Non eſt miſſus, ut fa ciat homines in hoc ſeculo locupletes, ut expleat carnales eorum cupi ditates, aut adiuuet ſcelera eorum. Quare qui inuocat Deum, ut for tunet impoſturas ſuas, aut ut inijtiat fulmen in eos, quibus ipſe inui det, hic ut non orat nomine Chriſti, ita non exauditur. Exauditur au tem, qui petit remiſſionem peccatorum, & conſeruationem in omni bus aduerſis, ac ſalutem in morte propter Chriſtum. Quid ergo, ſi quis petat patrem nomine Chriſti, ut det ipſi panem quotidianum, aut aliud corporale benefitium? An non ſperare debet impetratio nem, q̄ Chriſtus non ſit miſſus in hanc terram, propter corporalia bona? Imo ſperare maxime debet, ſed ita ut non definiat deo uel mo dum, uel tempus, uel locum, uel alias circumſtantias, niſi hæc manife

ſto uer

sto uerbo Dei promissa fuerint. Etsi enim Christus non uenit in hanc terram, ut esset rex & distributor corporalium bonorum, tamen uenit ut reconciliaret nobis Deum patrem, & redderet eum nobis propitium. Deus autem propitius, non solum dat spiritualia, uerumetiam corporalia bona, si iudicauerit ea nobis ad ueram salutem utilia esse. Vnde & Christus ipse multos sanauit corpore, multos pauit corporali cibo. Et de alimento ac uestimento dicit: Nouit pater uester cœlestis, q̃ opus habeatis his omnibus. Quærite igitur primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hęc omnia adꝺ̃tientur uobis. Iubet etiam nos in oratione sua petere panem quotidianũ. Quare petamus à Deo patre per Iesum Christum, non solum ea spiritualia bona, quæ sunt propria regni Christi, & quæ nobis ad ueram salutem necessaria sunt, uerumetiam corporalia, sed hac conditione, ut in petitione eorum corporalium bonorum, quę non sunt nobis expresse promissa, adꝺ̃tiamus: Non mea, sed tua fiat uoluntas DOMINE, & sentiamus, q̃ etsi non contingunt nobis corporalia bona pro nostro arbitrio, & cupiditate, tamen suffitiat nobis gratia filꝺ̃ Dei, DOMINI nostri Iesu Christi, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXXVII.

QVOD Iesus Christus supra de mutua dilectione admonuit, hoc nunc repetit. Hęc præcipio, inquiens, uobis, ut diligatis uos mutuo. Visum autem est id repetere, ut significet, hoc pręceptum non excidisse sibi antea temere, nec iuxta referre, siue seruet̃ siue contemnat̃, sed seruatu prorsus necessarium esse. Primum enim, si nihil aliud accederet, certe uel hoc nomine seruari deberet, quòd Christus filius Dei, redemptor noster hoc à nobis exigit. Quis enim tam ingratus esset, qui ad gratificandum tanto benefactori fratrẽ suum non diligeret, præsertim, cum dilectione nihil sit iucundius? Deinde etsi iustificamur sola fide propter Christum, tamen ea fides, si uera est, non potest esse sine dilectione fratris. Quę enim fides non profert dilectionem, non est uera aut uiua, sed mortua, & ut Iacobus dicit, talis, qualem & Dæmones habent. Si quis, dixerit, inquit Ioannes: Diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Postremo debemus & hoc argumento nos qui Chri-

stum agnoscimus, ad mutuam dilectionem excitari, ꝙ totus mundus
συνάγει τὰς τοὺς ἐχθροὺς ὁ κοινὸς κίνδυνος. prosequatur nos uirulento odio. Si enim commune periculum adducit ad concordiã etiam inimicissimos, quanto magis nos, qui in Christo coniuncti sumus, concordes reddere debet, tot hostium aduersus nos cõspiratio? Sed hac occasione contionatur nunc Christus de odio mundi aduersus Ecclesiam suam, & hortatur eam, ut hoc mundi odium magno animo ferat. Si mundus, inquiens, uos odit, scitis, quòd me priusq̃ uos odio habuerit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum est diligeret. Quia uero de mundo non estis, sed ego selegi uos de mundo, propterea odit uos mundus. Mementote sermonis, quem ego dixi uobis: Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, & uos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt, & uestrum seruabunt. Mundus, inquit, uos odit. Sciamus igitur initio, quid hoc loco mundi nomine intelligatur. Nam per mundum hic non intelligitur cœlum & terra, sed præcipui homines in hac terra, uidelicet summi principes, sapientes, honesti, & uulgi multitudo. Hi enim coniuncti uidentur mundum suis humeris sustinere. Et prę his nulla prorsus habetur ratio paucorum hominum. Significat ergo Christus, ꝙ Ecclesiam suam persecuturi sint odio principes, sapientes, docti, honesti, & maxima hominum multitudo, hoc est, uniuersi homines tam summi q̃ infimi. Deinde hoc odium non erit simplex, sed immanissimum & crudelissimum. Mundus enim non solum contemnit piam doctrinam Ecclesiæ, uerumetiam persequitur eam omni genere crudelitatis, & eo immanitatis procedit, ut si interfecerit professentem aut agnoscentem Euangelion Christi, existimet se Deo cultum prestare, quemadmodũ postea sequitur. Accedit & hoc, ꝙ cum alijs in rebus mundus secum ipse raro consentiat, in hac tamen concordi quadam amicitia & caritate se complectitur, ut Euangelion Christi & Ecclesiam eius crudelissime persequatur. Pilatus & Herodes magno odio inter se dissident, sed in damnando Christo fiunt amici, Gentes & Iudæi nunq̃ bene conuenerunt, nisi in persequendis & trucidandis Apostolis Christi, et ijs qui Euangelion Christi agnoscebant. Breuiter, mundus tanto furore grassatur in Christum & Ecclesiam ac doctrinã eius, ut etiam ij, qui natura sunt inter se inimicissimi, exuant naturale suum odium, & coniungant sese, ut animum suum collatis uiribus, in effundendo piorum sanguine expleant. Audiamus igitur, quo consilio Christus faciat huius odij mentionem, & contionetur de eo priusq̃ eueniat. Ac supra quidem ostendimus, ꝙ Christus hoc, argumẽto excitet pios ad mutuam dilectionem. Non enim alios habebunt amicos in hoc mundo. Necesse igitur est, ut ipsi inter sese sint amici. Sed Christus facit mentionem huius odij maxime omnium propter

hanc

hanc cauſſam, ut hortetur Apoſtolos ſuos & alios pios, quo non offendantur ab Euangelio, propter odium mundi, ſed forti animo ferant, & perdurent. Primum enim, ꝙ mundus odio habeat Apoſtolos & Eccleſiam Chriſti, non eſt res nec noua, nec miranda. Impij em̃ odio habuerunt Chriſtum ipſum. Impij non nec agnonerunt, nec ſeruarunt Chriſti ipſius contionem, ſed potius perſecuti ſunt eum omni genere crudelitatis. Quid ergo mirum ac nouum eſſet, ſi diſcipulos Chriſti odio habeant & perſequantur. Non enim eſt ſeruus maior domino ſuo, & quemadmodum apud Matthæum ca. x. dixit: Non eſt diſcipulus ſupra præceptorem, neq; ſeruus ſupra dominum ſuum. Delicatus eſt ſeruus, qui cum dominus cubet in terra, ipſe in molli ſtrato cubare uelit, aut cum dominus bibat aquam, ipſe non niſi optimum uinum bibere cupiat. Quare etſi Apoſtoli & reliqui pij, magis ſunt amici & fratres Chriſti, quantum attinet ad cognitionem arcanæ uoluntatis Dei, & adoptionem, q̃ ſerui eius, quemadmodum ſupra dictum eſt, tamen quod attinet ad obedientiam, quam debent Chriſto in uocatione ipſorum, Serui Chriſti ſunt, nec habent, quod conquerantur, ſi ipſis accidat, quod Chriſto domino ipſorum accidit. Deinde, ꝙ mundus odio habeat Apoſtolos & Eccleſiam Chriſti, hinc adeo uenit, quia non eſtis de mundo, ſed ego ſelegi uos de mundo. Quid? An Apoſtoli & alij pij non habent parentes in hoc mundo, ſicut alij homines? An non uiuunt, edunt, bibunt, & negotiãtur in hoc mundo ſicut alij homines? Monachi ſentiunt, ꝙ de mundo non eſſe, ſit uiuere in cœlibatu, aut monachum & eremitam eſſe, & non ducere uitam politicam. Vnde & ipſi utuntur alijs generibus ueſtium, & ciborum, q̃ quibus uulgus uti ſolẽt. Alijs uigilantibus, dormiunt ipſi, alijs dormientibus, uigilant. Ac magna cura cauent, ne quid commune cum alijs hominibus habeant. Hoc enim exiſtimant, non eſſe de mundo. Sed hæc eſt magna & ſuperſtitioſa hypocriſis. De mundo em̃ eſſe, hoc loco, non eſt politicã uitã ducere, ſed eſt uerſari in impietate, & ſceleribus, quibus hic mundus obnoxius eſt. Omne, inquit Ioannes aliàs, quod eſt in mundo, ueluti concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorũ, & faſtus uitæ, non eſt ex patre, ſed ex mundo. Et iterum: Mundus totus in malo conſtitutus eſt. Sectatur enim in religione, impietatem & idolatriam, in reliqua autem uita omnia genera nephándiſſimorum ſcelerum, nec iam primum, noſtra ætate hoc agere cœpit, ſed impius & ſceleratus fuit ab initio orbis terræ, annis pluſq̃ quinquies mille. Nec unquam deſinet eſſe malus, donec uenerit nouiſſimus dies. Etſi enim ſua quædam eſt honeſtas uitæ in hominibus huius mundi, tamen ea nec eſt conſtans, nec ſyncera. Nam ut de reliquis uitijs taceam, homines ad rem ſuam ita intenti ſunt, ut

si nullam sperant utilitatem, ne parentum quidem suorum ullam ra-
tionem habeant. Rursus, si aliquod lucellum sperant, etiam furem se-
miaridum de cruce utendum deponant, ac postq; eo satis usi fuerint,
iterū affigant. Quid his sterquilinijs sordidius? De mundo igit esse,
est unà cū mundo peccare, impie agere, & scelerate uiuere. Seligi au-
tem de mundo, & non esse de mundo, est abiecta impietate agnosce-
re solum Iesum Christum seruatorem suum, & ex fide, quæ est in ip-
sum, sua uocatione fungi, ac honestam uitā ducere. Hęc em̄ qui facit,
etsi in hoc mundo uiuit, & uersatur in politico uitę genere, tamē non
est de hoc mundo. Quid ergo? Si de mūdo, inquit, essetis, si uos acc̄o
modaretis moribus uestris ad impietatem & scelera huius mundi,
tunc mundus, quod suum est, diligeret. Simile enim gaudet simili.
Nunc autem, quia non estis de mundo, mundus uos odio habet. Hęc
enim est hominum natura, ut non solum peccent cupide, uerumetiam
nolint in peccatis suis reprehendi. Et si reprehenderis, non impune
feres. Susceperunt ab initio orbis pij Patriarchæ & Prophetæ mun-
dum instaurandum, & ad bonam frugem reducendum, sed hic tanto
furore accensus fuit aduersus eos, ut alios extrema contumelia affece-
rit, alios etiam crudeliter trucidauerit. Ad horum numerum Christus
etiam Apostolos, ac uniuersam Ecclesiam suam cooptauit. Constitu-
it enim eos, ut tam doctrina, quàm exemplis uitę arguant mundum
de peccatis suis. Cum autem mundus peccatis ita excæcatus sit, ut iudi
cet ea esse iustitiam, quomodo posset ferre Apostolos & Ecclesiam
Christi? Zodomitæ dixerunt quondam ad Lothum reprehenden-
tem scelera ipsorum. Ingressus es ut aduena, nunquid ut iudices? ita
& pij, quia non accommodant se ad impietatem mundi, habentur pro
aduenis, & quia reprehendunt mundum tam doctrina quàm uita,
magis affligunt, quàm ulli manifeste scelerati. In Politeia ciues non
ferunt aduenam, qui uoluerit uetera ipsorum instituta mutare, & in-
ter ipsos pro sua libidine dominari, multo minus hic mundus ferre
potest patienter Apostolos, qui suscipiunt Euangelio suo uetus mun-
di institutum mutare. Vetus enim eius institutum est, impietatem
sectari, idola colere, blasphema dicere, & scelerate uiuere. Hoc insti-
tutum uult esse inuiolatum, & sacrosanctum. Quare mirum non est,
q̄ acerbissimo odio prosequatur eos, qui suscipiunt hoc mutandum,
aut corrigendum. Dicent autem Apostoli: Exponis quidem nobis,
q̄ mundus persecuturus sit nos, sicut & te persecutus est, sed res no-
strę longe aliter se habent, q̄ tuę. Tu peccatum non fecisti, nec est in-
uentus dolus in ore tuo. Quare persecutio accidit tibi innocenti, & iu-
sto. Nos autem sumus peccatores, & iniuste egimus. Quod igitur ad
uersi accidet nobis in mundo, hoc accidet nobis propter peccata no-
stra.

ſtrā. Sed Chriſtus refutat hanc cogitationem, & recitat aliam cauſſam perſecutionis. Hęc omnia, inquiens, facient uobis propter nomen meum, quia non nouerūt eum, qui me miſit. In huius ſentētię explicatione primum conſiderandum eſt, ꝙ ad ueram pietatem neceſſariū eſt, ut agnoſcamus nos coram Deo peccatores, & ſentiamus nos propter peccata dignos eſſe omni genere malorum, non ſolum in hoc uerum etiam in uenturo ſeculo. Omnes em̄ declinauerūt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſq; ad unum. Et: Si iniquitates obſeruaueris domine, domine quis ſuſtinebit? Deinde ſumma danda eſt opera, ut non regnet peccatum in nobis, ne ſceleribus noſtris effitiamus, ut mundus iuſtam cauſſam nos perſequendi et in nos ſeuiendi habere uideat. Ne quis ueſtrū, inquit Paulus, affligat ut homicida, aut fur aut facinoroſus, aut aliena à ſua uocatiōe facienda ſuſcipiens. Si ergo Aplus aut alius pius, honeſte uiuēs, & Euāgelion Chriſti agnoſcens & adnuntians, affligit ab hominibus etſi habet pctācorā Deo, tn̄ non affligit propter pctā, ſed ꝓpter NOMEN, inqt, MEVM, quia non nouerūt eum qui miſit me. Fingit quidē mundus horrenda pctā de Aplis & Eccleſia Chriſti. Dicit eos eſſe ſeditioſos, & blaſphemos in Deum. De Chriſto ipſo dicūt: Hunc deprehendimus euertentē gentē, ac uetantē tributa dare Cęſari. De Stephano dicunt: Homo iſte non ceſſat loqui uerba contumelioſa aduerſus locum ſanctum hunc, aduerſus Moſen, legem & Deum. De Paulo dicunt: Hic eſt ille homo, qui aduerſus populum & legem, & locum hunc ubiq; oēs docet. Poſtea obiȷciebant Gentes Chriſtianis infanticidia, incendia, & alia nefanda ſcelera. His noſtris temporibus obiȷcitur pns principibus, qui aperuerunt portas ſuas regi gloriæ, & conceſſerunt, ut eccleſiaſtica ſacra iuxta piam doctrinam inſtaurentur, ꝙ turbent publicam pacem, affectent maieſtatem imperij, & ſint obſtaculo, ne Eccleſia poſſit tranquillitati reſtitui. Hęc & multa alia obiȷciuntur quidem his, qui agnoſcunt Euangelion Chriſti, ſed falſiſſime. Mundus enim perſequitur eos non propter peccata, quæ ſi unà cum mundo ſectarentur, in magno honore eſſent, ſed perſequitur eos propter nomen Chriſti, quia non nouerunt eum, qui miſit Chriſtum. Hic fons odij eſt, quòd mundus non nouit nec Deum, nec filium eius, Chriſtum à Deo miſſum. Obſerua igitur hoc loco, quòd Chriſtus accuſet hunc mundum grauiſſimæ impietatis. Dicit eum non nouiſſe nec Deum nec filium eius, ſicut & poſtea ait. Hęc facient uobis, quia non nouerunt patrem neq; me. Quid autem ad hæc dicemus? An Iudæi non nouerūt Deum? Et tn̄ iactant ſe eſſe populū Dei. Idem iactāt etiā Turcę. Hi uolunt uideri, ſe ſolos unum & uerū Deum recte colere. Quid Ponufitij & Monachi? Hi non ſolum gloriantur de Deo patre, ue-

rumetiam de filio eius Iesu Christo. Et tñ, ut Iudęi accusati fuerunt, ꝙ non nouissent Deum, ita nos accusamus Turcas & Pontificios, ꝙ nec Deum, nec Christum filium eius nouerint, sed potius extremo odio Deum persequantur, & sint uere hostes Dei. Sciamus igitur, quid sit Deum uere nosse. Nam Deum nosse, non est tantum scire, ꝙ sit Deus, & quòd creauerit cœlum ac terram, & liberauerit Israelitas ex Ægyptiaca seruitute. Hoc de Deo fatentur tam Iudæi ꝙꝫ Turcæ. Sed & Gentes cognouerunt aliqua ex parte Deum, uidelicet quòd sit Deus, & quòd Deus benefaciat bonis, ac puniat malos. Hæc autem cognitio de Deo, etsi necessaria est, tamen nondum est ad salutem sufficiens. Nam ad ueram cognitionem Dei requiritur, ut credas talem Deum, qui postꝙꝫ creauit mundum et liberauit Israelitas ex Ægypto, miserit filium suum Iesum Christum, de semine Abrahę & Dauidis, expiatorem peccatorum nostrorum, & placatorem irę Dei. Non nouerunt, inquit, eum qui misit me. Necesse est ut talis Deus cognoscatur, qui misit filium suum Iesum Christum. Hęc est, inquit, uita æterna, ut cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum. Iudęi autem & Turcæ, non agnoscunt Deum misisse filium suum Christum placatorẽ irę Dei. Quare non habent ueram Dei cognitionem. Sed quid dicemus de Pontifitijs & monachis, qui uociferantur se non tantum credere Deum creatorem cœli & terrę, uerumetiam missorem filij sui Iesu Christi? Num hi uere Deum cognoscunt? Vere cognoscerent Deum, si serio hęc crederent, & recte de offitio Christi sentirent. Nunc autem fatentur quidem nomine Iesum Christum, reipsa uero negant. Sentiunt enim Christum missum esse, non ut expiatorem peccatorum, quia tribuunt expiationem meritis suorum operum, sed ut spectatorem & remuneratorem humanę iustitię. Hoc autem est ex Christo facere Deum Mosaïcum, non seruatorem Euangelicum. Quare etsi Pontifitij & monachi gloriant de Deo & Christo filio eius, tamen quia non agnoscunt uerum offitium Christi, nõ uere etiam cognoscunt nec Deum, nec Christum filium Dei. Ac tolerabile quidem uideri posset, ꝙ impij non cognoscunt uere Deum, & filium eius, hoc autem horrendum est, ꝙ etiam Deum & filium eius extremo odio prosequant. Quod unde eueniat, paucis commemorabimus. Satan enim initio insurrexit in cœlo aduersus filium Dei, sed cum præcipitatus sit in tartarum, & seruetur, quemadmodum Petrus ait, in iuditium, concepit in Deum & filiũ eius tantum odium, ut cupiat, si queat, perpetuum exitium diuinę maiestati inferre. Itaꝙꝫ gerit cum Deo irreconciliabile bellum. Deinde homo postꝙꝫ peccauit, factus est unà cum omnibus uiribus suis, cum intellectu & uoluntate, mancipiũ Satanæ. Quare impellit hominem, seruum & mancipium

suum,

suum, ut & ipse concipiat odium aduersus Deum, & suscipiat cum Deo bellum. Hæc est propria causa, cur homines, qui non sunt renati in Christo, hoc est, maxima pars hominum, acerbissime inuehantur in pios, qui sunt propter Christum adoptati in filios Dei. Cum enim simile natura gaudeat simili, mirum est, q̃ homo non diligat hominem. Sed homo impius est hostis Dei. Quare, cum intelligat Deum esse in homine pio, persequitur in eo Deum, & quia non potest odium suum euomere in Deum ipsum, quem non uidet, euomit in hominem quem uidet. Sed quid causę est, q̃ Christus tam diligenter facit mentionem odij impiorum aduersus pios? Hoc non fit temere. Primum enim, contionatur de hoc odio, ut excitet pios ad mutuum amorem, quemadmodum supra diximus. Deinde, ut pij hoc mundi odio non offendantur, sicut postea Christus exponet. Non enim defitiendum est à Christo, & Euangelio eius propter odium & persecutionem, quam impij suscipiunt aduersus pios. Nam quemadmodum in mundanis principum aulis, suæ sunt notæ & signa in armis & uestimentis, quibus aulici ab alijs discernuntur, ita Christus, qui est uerus princeps cœli et terrę, pro aulica sua nota habet afflictiones & cruces, quas qui ferre noluerit, non erit cœlestis aulæ membrum. Si sufferimus, inquit, & conregnabimus. Si commortui sumus, & conuiuemus. Quid ergo? num ita ferenda est persecutio, ut cum hostes gladio grassantur, non liceat uicissim gladio uim & iniuriam propulsare? Ad Petrum dictum est: Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. Ergo ne pij principes, qui his temporibus susceperunt Ecclesias & regiones suas aduersus uim Pontificiã gladio defendendas, peccãt? De hac re ita sentiendũ est, q̃ persecutio quidẽ ferenda sit, nec accipiendus sit gladius temere, & legibus non porrigentibus gladium, interim autem, dum feruntur aduersa, nemo debet suum offitium prætermittere, & suam uocationem deserere. Videamus igitur diuersam rationem offitiorum & uocationum. Christo domino nostro accidit grauissima persecutio, quam et patienter tulit. Offitium autem eius erat, non accipere mundanũ regnum & gladio uti, sed profiteri Euangelion, se uidelicet esse uerũ Dei filium, et uerũ Messiam, in hoc missum, ut expiet peccatum mundi. Nunquid ergo ita debuit ferre persecutionem, ut non faceret suum offitium? Nihil certe minus. Non debuit quidem gladium accipere, quia hoc non erat offitium eius, sed debuit constanter profiteri Euangelion suum. Quod ut erat ipsius offitium, ita etiam præstitit illud non tantum, cum adhuc liber esset, uerumetiam cum captiuus abduceretur, & cruci affigeretur. Apostoli Christi, obiecti sunt magnis periculis & aduersis, Offitium aũt ipsorum erat prędicare Euangeliõ Christi, &

testari de resurrectione ac regno eius. Non erat offitiū eorum, mundana regna uiolenter inuadere, & gladio in hostes grassari. Quid ergo factum est? Persecutiones & aduersa ita tulerunt, ut interim non desererent suum offitium, sed etiam in mediis uinculis & carceribus prædicarent Christum, & testarentur de resurrectione eius. Descendamus nunc ad alias uocationes. Pius quispiam parens habet filiolū nondum adultum, sed paternis admonitionibus ita obsistentem, ut in parentem contumeliosis dictis & conuitijs debacchetur, ac uocet eum sceleratum nebulonem. Quid faciet hic pius parens? Ferenda sunt mala patienter. Sed quid? num ita ferat parens cōtumeliam filij, ut dicat: Age macte uirtute, mi fili. Sic perge patientiā patris tui probare. Grassaris in me uerbis, en habes caput, habes maxillas meas, grassare & in hæc, si ita libet uerberibus & pugnis. Non certe hoc faciet parens. Quid enim hoc stultius, & magis insanum esset? sed faciat suum offitium. Parentis autem offitium est, mala quidem patienter ferre, sed interim puerum suum uirga castigare: Qui parcit, inquit, uirgæ, odit filium suum. Dicamus & de principum offitio. Pij enim principes debent, & ipsi aduersa patienter ferre, sicut & omnes Christiani. Offitium autem eorum est, Gestare gladium ad laudem bonorum, & ad uindictam malorum, quo pia doctrina in regionibus suis locum habeat, & gloria Dei promoueat. Fingamus igitur latrones grassari in fines pij principis. Num princeps hoc malum ita ferat, ut non utatur gladio suo, & uim latronum non propulset? Minime omniū, sed malum ita ferendum est, ut interim faciat suum offitium, & utatur gladio. Sic & his temporibus Pontifex Romanus grassatur cum sotijs suis gladio aduersus pios principes, qui aperuerunt portas suas Euangelio Christi. Quid faciant ergo principes? Num persecutionem ita ferant, ut & gladios suos in uaginā condant, & dicant Pontifici: Age mi Pontifex. Hactenus abduxisti tua impia doctrina animas nostras & nostrorum subditorum in barathrum ęternæ damnationis. Deinde abstuliſti impostoris tuis opes nostras. Nunc etiam in corpora & uitam nostram sæuire conaris. Perge igitur bone Pastor, en habes ibi nostros subditos, uxores & liberos eorum. Hos tractato, uiolato, defœdato, opprimito, occidito, trucidato, pro omni tua & sotiorum tuorum libidine. Sic enim itur ad cœlum. Sed quis furor esset, iubere pium principem hæc facere? Etsi enim toleranda est persecutio patienter, tñ interim nemo debet suum legitimum offitiū prætermittere. Apostolicū quidem offitiū non est, gladio uti aduersus ꝑsecutores, sed est offitiū principū, ꝙbus etiā leges ipsę aduersus

ſus tantam Pontificis & ſotiorum eius tyrannidem, & crudelitatem gladium porrigunt. Iuuemus igit eos precibus noſtris, & offeramus quidē nos corā Deo ad patienda quęcunq; Deus nobis immiſerit, in uocemus aūt DOMINVM, ut propter gloriā nominis ſui tueatur & conſeruet pios principes, qui oīm rerum ſuarum periculo ſuſcepe runt curam Eccleſię ac pię doctrinę, quo è pręſentibus malis liberati, agnoſcamus mirabilia Dei, laudemus & prędicemus nomen eius in/ternum, per Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, qui eſt unā cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XXXVIII.

VM Chriſtus hortaretur Apoſtolos & Eccleſiam ſuam, ut non offendantur odio huius mundi, proponit eis ſuum exem/plum. Si mundus, inquiens, uos odit, ſci/tis q̄ me, priuſquam uos, odio habuerit: Docet igitur nunc, quām iniquè mundus eum odio proſequatur, & quanta ſit mun/di erga ipſum ingratitudo. Oſtendit au/tem iniquitatem huius odij & ingratitu/dinem duobus argumentis. Alterum eſt, q̄ doctrina ſua manifeſte patefecerit, quis ſit, & à quo ſit in hunc mundum miſſus. Alterum, q̄ hanc doctrinam illuſtribus miraculis confirmauerit, & maxima bene fitia in homines contulerit. Si non ueniſſem, inquit, & locutus fuiſ/ſem eis, peccatum non haberent. Nunc autem non habent, quod prę/texant peccato ſuo. Qui me odit, is & patrē meum odit. Si opera non feciſſem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatū non haberent. Nunc autem & uiderunt & oderunt, non ſolum me, uerumetiam patrem me/um. Si non ueniſſem, inquit, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent. Quid? Peccatum non haberent? Num Iudæi carerent pec/cato, ſi non audiuiſſent contionem Chriſti? Dicemus ergo gentes Idolatras non habere peccatum, q̄ non audiuerunt Chriſtum? Et ſi non habent peccatum, quid aliud reliquum eſt, q̄ ut dicamus eas cœ/leſtem ſalutem conſecutas? Sed quis hæc, niſi omnis piæ doctrinæ ignarus, affirmaret? Cognoſcendum igitur eſt, quid illud ſit, quod dicit Chriſtus, Peccatum non haberent. Non enim ſentit eos ſimpli/citer nullum habere peccatum. Omnes enim homines concipiuntur & naſcuntur in peccato. Et, Omnis homo mendax. Et, Omnes decli/nauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Siue eī audias contionem Chriſti, ſiue non audias,

nunc̄p iustificatur homo sua natura, & suis meritis in conspectu Dei. Quare etiamsi Iudæi non audiuissent contionem Christi, tamen nō essent liberi à peccato, Sed quod dicitur eos non habituros peccatum si non audiuissent Christum, intelligendum est de prætextu & excusatione peccati. Sicut Christus ipse interpretatur, cum addit: Nunc autem non habent, quod prætexant peccato suo. Cum igitur ait: Peccatum non haberent, significat, eos quidem, si non audiuissent Euangelion Christi, obnoxios fuisse peccato, habituros autem quandam excusationē, quam prętexuissent peccato. Dixissent: Si Christus, iuxta prophetica uaticinia ad nos uenisset, & inter nos Euangelion suum prędicasset, profecto non insecuti essemus eum odio, sed complexi fuissemus eum summo amore, & coluissemus eum omni officiorum genere. Hunc peccati sui prætextum, inquit Christus, non possunt habere. Veni enim & prędicaui eis, iuxta prophetas, Euangelion meum. Quare non habent quod prætexant peccato suo. Consideremus autem breuiter, quę prophetica dicta de Christo, clare Iudæis in Iesu filio Mariæ exposita fuerint. Primum enim dictum erat à Iacobo Patriarcha, & à Daniele, quo tempore Christus filius Dei in hunc mundum uenturus esset, uidelicet, postq̄p sceptrū à Iuda esset ablatum, & septuaginta annorū hebdomadis, ab exitu uerbi de restauranda urbe Hierusalem. Et ecce eo tēpore uenit Iesus, ac p̄dicauit se esse Christū. Deinde dictum erat ab Esaia, & Malachia, q̄p uenturus esset ante Christum, contionator in deserto, spiritu & uirtute Eliæ, qui præpararet Christo DOMINO uiam. Hic contionator fuit Ioannes Baptista, qui & paulo ante Iesum Christum natus est, & postea testificatus est de Iesu Christo magna autoritate. Prętera dictum erat, q̄p Christus nascendus esset ē familia Dauidis in Bethlehem. Manifestum autem est, hoc in Iesu impletum esse. Quod etiam tempus, & qui locus natiuitatis publice insignita fuerunt crudelitate Herodis, qui ad opprimendum Christum iussit omnes bimulos pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus confinijs Bethlehemiticis, occidere. Adhęc dictum erat, Christum prędicaturum Euangelion afflictis, indulgentiam captiuis, apertionem claudis, & medicaturum contritis corde iuxta Esaiam prophetam. Hęc autem Iesus ita perfecit, ut nihil in eo desiderari potuerit. Denique nihil nec priuatis nec publicis contionibus prætermisit, quo ostenderet mundo, se esse uerum Christum, à Deo patre, ad seruandum humanum genus, in hanc terram, missum. Quare Iudęi nullam habent impietatis & incredulitatis suę excusationem, sed tanto maius est peccatum ipsorum, quanto maiori odio in Christum grassantur. De gentibus autem quid? Non de illis tantum, quæ fuerunt ijs temporibus, quibus Christus prædi-

Esa 40. Mala. 4.

cauit

cauit Euangelion suum in terra, uerumetiam de his, quę fuerunt ab initio orbis terræ. In populis enim Gentium multi fuerunt, qui de semine mulieris, de semine Abrahę, de filio Dauidis nihil unq̄ audierūt. Num hi omnes damnati sunt, an habent aliquam excusationem? Habent quidem, si conferantur cum Iudęis, aliquam excusationem, & tolerabilius peccauerunt. Dicit enim Christus: Ve tibi Chorazin, ue tibi Bethsaïda, quoniam si in urbe Tyri aut Sidoni factę fuissent uirtutes, quę factę sunt in uobis, olim in sacco & cinere egissent scelerum suorum pœnitentiam. Ideo dico uobis, Tyro & Sidoni tolerabilius erit in die iudiciꝫ q̄ uobis. Nihilominus tamen peccauerūt, & habent damnationem perpetuam. Diximus enim antea, q̄ omnes homines concipiantur & nascantur in peccato. Et homines natura sunt filij iręi. Deinde Euangelion de Christo semp fuit, pro ratione sui tēporis, ab initio orbis terrę inter homines uulgatum. Patriarchę prędicauerunt in mundo de semine mulieris contrituro potentiam Satanę, & expiaturo peccatum humani generis, usq̄ ad diluuium. Quare si cui his temporibus curę fuit uera pietas & salus, potuit eam recte ex prędicatione Patriarcharum consequi, nec quisq̄ habet, quod possit suæ impietati prętexere. A diluuio, sicut Gentes à Noë & filijs eius descēderunt, ita & per ipsos diuulgata est inter Gentes promissio Dei de semine mulieris, usq̄ ad Abraamum. Noë em̄ peruenit ętate sua usq̄ ad Abraamum. Sem autem filius Noe, quem sentiunt aliàs dictum esse Melchizedec, uixit ultra Abraamum triginta annis. Putas autem hos pꝛissimos Patriarchas fuisse mutos inter posteros suos nepotes et abnepotes, ac tantum dedisse uentri operam? Nihil certe minus, sed quæ fuit pietas eorum, tradiderunt posteris suis summa diligentia ueram doctrinam de consequenda salute per semen mulieris diuinitus promissum. Hoc sperarunt, hoc uoluerunt Patriarchæ. In hoc uigilant curę & cogitationes eorum. Sed cum Gentes ante tempora Abraami multiplicarentur, & in uarias terrę regiones spargerentur, ac doctrina de consequenda uera salute per semen mulieris impietate & incuria Gentium paulatim obscurata ac etiā uitiata esset, instaurauit Deus doctrinam uerę salutis per Abraamum, ac renouauit promissionem de semine mulieris, definiens hoc semen uenturum è familia Abrahę. Dicit enim ad Abraamum: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Quæ promissio propagata est ad posteros Abrahę, & cū hi profecti essent ad Ægyptum, diuulgauerunt eam inter Ægyptios. Cum autem penes hos fuerit eo tempore summa rerum, & potentissima in terris Monarchia, fieri non potest, quin hac occasiōe promissio de benedicto semine Abrahę uulgata fuerit inter omnes Gentes. Postq̄ uero Israelitę redierunt ex Ægypto ad suam terram, institutū

Abraham uixit cum Noë annis 58.

fuit inter eos, diuina clementia, clariſſimum regnum, cuius nomen non finitimis tantum, ſed etiam longinquis gentibus cognitum fuit? Quam gloriam dedit Dominus Iſraelitis, non ad humanam ipſorum laudem, ſed ut hac occaſione nomen ueri Dei, & promiſſio de filio eius inter reliquas gẽtes patefieret. Secuta ſunt deinde exilia Aſſyriaca & Babylonica, quibus ut Iſraelitę inter oẽs gentes ſpargebant, ita una cum ipſis ſparſa eſt prędicatio de ſemine Abrahę & Dauidis, hoc eſt, de Meſſia uero ſeruatore humani generis, donec uenit Meſſias ipſe, & miſit Apoſtolos ſuos in totum orbem terræ. Nunc igitur defuit non Iudæis tantum, uerumetiam Gentibus doctrina de cognoſcendo uero Deo, & aſſequenda æterna ſalute. Etſi enim hæc doctrina obſcurior fuit ante aduentum Chriſti, cp his temporibus, quo palam Chriſtus adnuntiatur, tamen ſemper tam illuſtris fuit, quantum cupienti ex animo ueram Dei cognitionem, & æternam ſalutem ſatis eſſet. Hęc ſunt diligenter conſideranda, ut non decipiamus noſipſos, & non cogitemus ignauam noſtram ignorantiam excuſaturam nos cor tribunali Dei. Extitit ſemper in mundo & adhuc extat publice, extabitcp uſque ad nouiſſimum diem prędicatio de uero Deo, & filio eius ſeruatore noſtro. Homines autem maiorem habent curam & rationem uentris ſui, cp cœleſtis ſalutis. Queſo te, quanto ſudore, quantis ærumnis quærunt corporalem uictum? Sunt qui negotiorum gratia proficiſcuntur multis miliaribus ad publicas Nondinas. Sunt qui impigri currũt ad extremos, neſcio quos, Indos, mercimonij gratia. Alij noctu diucp incumbunt in ſtudium ſui opificij. Alij totas ſuas cogitationes conferunt ad cognoſcendas difficillimas quaſcp artes. Si homines tanto ſtudio inquirunt & ſectantur corporalia bona, quam habebunt excuſationem coram Deo, ſi neglexerint ſtudium cognoſcendi ueri Dei, & conſequendæ uerę ſalutis? Quare, cogitemus quod ſit officiũ, homine dignum, & cum doctrina pia perſpicue adnuntiet, utamur beneficio Dei, audiamus Deũ ipſum, nos uerbo ſuo ad ſe uocantẽ, ut uiciſſim nos ipſum in aduerſis inuocãtes audiat & ſeruet. Habes cp Chriſtus ſatis manifeſte ſe doctrina ſua patefecerit. Nunc audi alterum, quod propoſitum eſt, uidelicet, Chriſtum non ſimpliciter docuiſſe Euangelion ſuum, uerumetiam confirmaſſe illud multis & magnis miraculis. Si opera, inquit, non feciſſem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, hoc eſt, ſi non tanta miracula ędidiſſem palam in conſpectu eorum, quanta nullus alius hominum ędidit, uiderentur aliquam peccati ſeu impietatis exculationem habere. Quid igitur dicemus? An non Prophetę ædiderunt etiam miracula? Inter miracula maximum omnium eſt, ſuſcitare mortuos. Sed & Prophetę hoc miraculum fecerunt. Recte, ſed primum. Nullus Prophe-

tarum

tarum tot, tam multa miracula breuissimo tempore fecit, qu ot Christus. Adduxerunt, inquit Euangelista, multos dęmoniacos, & eiecit spiritus uerbo, OMNESQVE male habentes sanauit. Et iterum: Secutę sunt eum turbę multę, & sanauit eos OMNES. Et Ioannes ait: Sunt multa alia quę fecit Iesus, quę si scribantur per singula, nec ipse, opinor, mundus caperet eos, qui scriberentur libros. Deinde, etsi Prophetę ante Christum fecerunt quædam miracula, tamen eo tempore, quod Prophetæ de aduentu Christi designarunt, nullus hominum fuit, qui maiora & plura ędiderit miracula, quàm Iesus Christus. Voluit ẽm cœlestis pater, ut filius suus illustris esset miraculis, quo hoies admonerent de tempore aduentus Christi a' Prophetis adnuntiata, & excitarentur ad cognoscendam personam Christi. Fuit & Ioannes Baptista, uir maxima autoritate inter Iudæos prædituS. Non fuit autem ei diuinitus datum, ut miracula ęderet, ne ipse pro Christo agnoscereturQuare non doctrina tantum, sed etiam miraculis manifeste declaratum est, Iesum filium Marię, esse uerum Christum filium Dei, seruatorem nostrum. Et tamen hęc omnia nihil permouerunt impios & excęcatos Iudæos. Viderunt, inquit, & tamen oderunt non me solum, uerumetiam patrem meum. Qui enim me odit, is & patrem meum odit. Hæc est memorabilis sententia, quam Ioannes in secunda sua epistola repetit: Omnis, inquiens, qui transgreditur, & non manet in doctrina Christi, Deum non habet. Docet autem nos hęc sententia primum, uanissimam esse gloriationem Iudęorum & Turcarum, qui iactant se esse prępipuos Dei cultores, & tamen quia odio habent Christum, & damnant doctrinam eius, non sunt cultores sed osores Dei. Deinde docet hæc sententia recte iudicare de Pontifitijs, qui susceperunt pios principes bello delendos, q hi aperuerint portas suas doctrinę Christi. Pontifitij enim iactant se tueri ueram religionẽ Dei, Et tamen pugnant cum doctrina Christi. Hęc enim est doctrina eius, q consequamur remissionem peccatorum & uitam æternam, non meritis nostræ iustitię, sed gratis propter Iesum Christum per fidem. Hanc doctrinam persequuntur hostes nostri. Susceperunt igitur bellum, non aduersus homines, sed aduersus Christum, & aduersus Deum ipsum. Quomodo autem posset esse fœlix euentus eius belli, quod aduersus Deum & filium eius geritur? Sed quid? Num odium, quo mundus persequitur Christũ, accidit, nesciente aut negligente Deo? Si enim Deus cognosceret, fortassis non toleraret. Sed bene habet. Deus non ignorat hoc odium mundi. Contionatus enim est de eo per Prophetas suos, mille annis priusquam Christus filius suus homo nasceretur. Sic enim sequi-

tur: Sed hoc accidit, ut compleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, Odio habuerunt me gratis. Hoc sumptum est, uel ex psal. xxxiiij. Gratis absconderunt mihi interitum laquei sui, præter causſam foderunt foueam animę meæ. Vel ex psalm. lxviij. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Nec in psalmis tãtum contionatus est deus de odio, quo mundus persecuturus erat Christum filium suum, sed etiam contionatus est de eo ab initio mundi, in prima Euangelij contione, cum ait ad Satanam: Semen mulieris conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Insidiatur autẽ Satan Christo per homines, quos excitat ut sine ulla causſa persequantur odio suum ipsorum seruatorem. Porro, Christus habet suas causſas, cur admoneat Ecclesiam suam, de odio, quo mundus sine ulla iusta causſa in ipsum debacchatur. Primum enim significat, ꝙ cum manifeste uidemus compleri, quod per spiritum sanctum de odio mũdi dictum est, sciamus etiam id compleri, quod spiritus sanctus de oppressione hostium Christi, & salute Ecclesiæ tuæ adiecit. Manifeste uidemus hoc compleri: Tu insidiaberis calcaneo eius. Completur ergo & hoc, quod additũ est: Conteret caput tuũ. Manifeste uidemus hoc psalmi cõpleri: Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Completur ergo & hoc, quod in eodẽ psalmo sequitur: Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos. Ac mox: Deus saluam faciet Zion, & ædificabuntur ciuitates Iudæ, hoc est, Etsi mundus persequitur Christum uirulentissimo odio, deus tamẽ conseruat Christum, & Ecclesiam suam, adeoꝙ conseruat Zion ac ciuitates Iudæ, quæ sunt regna & ciuitates, quę prębent Christo, & Ecclesię eius hospitia. Sic & hoc tempore uidemus manifestum odium & bellum aduersus Euãgelion Christi. Sed optime confidendum est, quia cum manifestum sit odium mundi in Christum & Ecclesiam eius, manifesta etiam erit salus & liberatio Ecclesiæ. Deinde Christus hortatur hoc suo exemplo Apostolos & Ecclesiam suam ad patientiam in ingratitudine mundi. Christus enim contulit in mundum maxima omnium beneficia, Sed uicissim reportauit à mundo maximum odium & ingratitudinem. Solenne enim est in mundo, ut homines pro maximis beneficijs reddant summa malefitia. Non dicam iam de heroibus Ethnicorum, qui á suis populis & ciuibus, quos in extremis periculis seruauerant, nõ nisi acerba odia & exilia reportarunt. Vide mihi prophetas & Apostolos, qui contione de Christo obtulerunt mundo uitam & æternam salutem, Sed uicissim alij à mundo, ludibrijs & flagris, ut epistola ab Hebræos ait, explorati sunt, alij in uincula & carceres coniecti, alij lapidati, alij dissecti sunt, alij occisione gladij occubuerunt. Hæc est huius mundi gratitudo. Quę cõmemoratur nobis,

non ut

non ut prætermittamus offitium noſtrum, & ceſſemus, ſed ut exemplo filij Dei & Sanctorum nos ſolemur, & expectemus remunerationem benefitiorum de cœlo. Magna eſt ingratitudo huius mundi, ſed longe omnium maxima eſt clementia & bonitas Dei, qui nec uult nec poteſt obliuiſci eius obedientiæ, quæ uerbo eius præſtatur. Gaudete, inquit, & exultate, quoniam merces uestra copioſa eſt. Vbi? num in terris? Minime. Sed in cœlis. Pergamus igitur noſtrum offitium facere, & Deum benefaciendo glorificare, ut uiciſſim glorificemur per Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XXXIX.

EXIT Chriſtus, ſe in magno odio apud mundum eſſe, Apoſtolos autem ſuos non in minori odio fore. Cogitabit igitur quiſpiam ex Apoſtolis, quomodo hęc conueniant ad illuſtrandam maieſtatem nominis Chriſti in toto orbe terrarum. Prophetæ enim de Chriſto contionati ſunt, ꝙ maieſtas eius uulganda ſit in omnem terram. Benedictum, inquit pſalmus, nomen maieſtatis eius in æternum, & replebitur maieſtate eius omnis terra. Et Eſaias: Plena eſt omnis terra gloria eius. Et Malachias: Ab ortu ſolis uſq; ad occaſum magnum eſt nomen eius in gentibus. Quare, ſi Chriſtus & Apoſtoli eius incurrunt prædicatione ſua in magnum & acerbum odium mundi, quomodo gloria Chriſti uulgabitur in mundo? De hac re contionatur nunc Chriſtus, & repetit promiſſiõem de ſpiritu ſancto, quam etiam ſupra aliquoties commemorauit. Cum autem uenerit, inquiens, paracletus, quem ego mittam uos à patre meo, ſpiritus ueritatis, qui à patre procedit. Ille teſtimonium perhibebit de me. Quin & uos teſtes eſtis, quia ab initio mecum eſtis. Quod dicit, habet hanc ſententiam: Ne ſitis ſolliciti de gloria nominis mei. Etſi enim mũdus habet & me & uos magno odio, tamen non relinquam nomen meum obſcurum. Mittam enim uobis ſpiritum ſanctum, qui & me illuſtrabit, & uos excitabit, ut teſtimonium de mea doctrina & maieſtate publice & intrepide in toto orbe terrarum dicatis. Explicuimus quidem antea hanc de ſpiritu ſancto promiſſionem, Sed quia hic locus admonet, dicamus iterum de hoc argumento pauca quædam, ut benefitia ſpiritus ſancti cognoſcamus, & ad ea petenda excitemur. Ac initio, comprehenditur hic pauciſſimis uerbis ſumma totius Chriſtianæ doctrinæ, qua non ſolum nos Chriſtiani diſcernimur ab omnibus alia-

rum gentium religionibus, uerumetiam qua sola ueram & ęternam salutem consequimur. Cum eñ unus tantum sit uerus & ęternus Deus, contionatur tamen Christus in hoc loco de tribus personis in una diuina natura, quæ sunt, Pater, filius & spiritus sanctus. A PATRE, inquit. Habes personam patris. Et EGO MITTAM. Habes personam filij. Et spiritus ueritatis, habes personam spiritus sancti. Et tamen non est nisi unus omnipotens Deus creator cœli & terræ. Hic nos discernimur ab omnibus alijs religionibus, quarum alia sentit unam tantum esse personam in diuinitate. Hi sunt Iudęi & Turcę. Alia sentit multos esse Deos, & multas personas. Hi sunt Ethnici. Sed hi omnes impie sentiunt de uera diuinitate. Vnus enim tñ est Deus, sed in hac una diuinitate, tres sunt personæ. Hęc est uera & catholica de Deo fides. Deinde considerandum est de spiritu sancto, quæ sit eius natura & quod officium. Nam spiritus sanctus natura sua uerus est & æternus Deus, non quidem à se ipsõ, sed à patre & filio. Nec est à patre natus, sicut filius, nec à patre tantum procedit, sed procedit à patre & filio. Dicit enim Christus: Ego mittam eum. Et addit: Qui à patre procedit. Et Symbolum Athanasij: Spiritus sanctus à patre & filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Hoc quale sit, humana ratio in hac uita intelligere non potest. Nec scriptura proponit hoc, ut ratione capiamus, sed ut fide credamus. Cum autem peruenerimus ad regnum cœleste, tunc non solum assequemur perfectã cognitionem horum mysteriorum, uerumetiam percipiemus ex ea summam & æternam fœlicitatem. Reñciemus igitur ista ad futurum seculum, & sciamus nunc officium spiritus sancti, ut beneficia eius nobis cognita fiãt. Sed q̃d sit officiũ spiritus sancti, cognomina eius exponunt. Primum enim, uocatur Spiritus sanctus. Hoc cognomen opponitur spiritui prophano, immundo & impuro, qui est Satan. Nam hic spiritus autor est omnis impietatis, fœditatis, turpitudinis, immanitatis, & omnium scelerum. Ac postquam homo peccauit, factus est hic spiritus, dominus & princeps mundi. Quare excitat in mundo tum publice, tum priuatim omnia genera impietatis, & scelerum. Si religionem consideraueris, obsecro te, q̃ turpia, q̃ fœda, q̃ immania sacra persuasit Gentes sectari, quæ ne nominari quidem honeste in Ecclesia possunt. Inter Iudęos, etsi instituta fuit uera religio uerbo Dei, tamen obscurum non est quantis abominationibus Satan eam infecerit. Quid dicã de horrẽdis & immanibus hæresibus, quas Satan in Christianismo excitauit? Et quis enumeraret impias & manifestas nugas atq̃ impostoras, quas Satan pro certissima ueritate & religione agnoscendas obtrudit Turcis, Iudęis, qui nunc sunt, & Papistis? Hæc in religione. Quid autem in hominum uita? Hic nullus horribi-

Vide Epiphanium.

horribilium ſcelerum nec finis nec modus. Hic Satan excitat homicidia, fratricidia, infanticidia, patricidia, ſcortationes, adulteria, & eas libidines, quas nec nominare fas eſt. Denicꝙ nihil eſt tam ſœdum, tam abominandum, ad quod impurus ſpiritus non inducat humanum genus. Sed huic impuro ſpiritui obſiſtit ſanctus ſpiritus. Hic enim inſtituit in terra, primū, miniſterium prędicandi uerbi Dei, per quod regenerat eos, qui accipiunt uerbum Dei obedienter in nouos homines, & compeſcit in carne eorum impias, fœdas, & abominandas cogitationes, ac retinet eos in offitio. Niſi enim ſpiritus ſanctus opponat ſe in homine ſpiritui impuro, fieri non poteſt, ut homo ſanctam Dei uocationem ſequatur. Chriſtus filius Dei cum adhuc in terris uitam ageret, eiecit è dæmoniacis multos immundos ſpiritus. Idem fecerunt etiam Apoſtoli in nomine Chriſti. Etſi autem noſtrę uocationis non eſt, eiicere immundos ſpiritus, externo miraculo, tamen neceſſitas noſtrę ſalutis exigit, ut ſimus adiuratores, et eiectores immundorum ſpirituum, in cordibus noſtris. Satan enim natura dominatur in carne noſtra. Ac nunc ſollicitat nos ad dubitandum de Deo, de Dei clementia & miſericordia in Chriſto filio Dei nobis exhibita, imo etiam ſollicitat ad negandum Deum & Chriſtum filium eius. Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Nunc hortatur nos ad furta, ad impoſturas, ad libidines, ad inuidiam, & ad alia ſcelera. Hic tempus eſt, ut ſpiritum immundum adiuremus & expellamus, uirtute ſpiritus ſancti. Spiritus ſanctus autem exercet ſuam uirtutem per ſuum miniſterium, quod inſtituit, uidelicet, per uerbum Dei. Quare uerbum Dei cognoſcendum & ſuſcipiendum eſt, ut ſpiritus ſanctus habeat organon, quo potentiam ſuam aduerſus immundum ſpiritum exerceat. Deinde inſtituit & ordinauit ciuilem magiſtratum, ut ſicut miniſterium uerbi Dei pios in offitio continet, ita magiſtratus ciuilis contineat, quantum in hac terra fieri poteſt, in offitio impios, ne immundus ſpiritus omnia impleat fœdis libidinibus, homicidijs, & aliijs ſceleribus. Lex, inquit Paulus, iuſto nō eſt poſita, ſed iniuſtis inobſequētibus, impijs & peccatoribus, irreuerētibus, et prophanis, patricidis & matricidis, homicidis, ſcortatoribus, maſculorum concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, & ſi quid aliud eſt, quod ſanę doctrinę aduerſatur. Hęc duo miniſteria, Eccleſiaſticum & Politicum, ſunt ordinatio diuina, qua ſpiritus ſanctus compeſcit ſpiritum immundum. Nec fieri poſſet, ut hęc duo miniſteria conſeruarentur, niſi diuinitus à ſpiritu ſancto conſeruarentur. Etſi enim pij conferunt operam ſuam ad tuendum miniſterium uerbi Dei, & ciuilem magiſtratum, tamen tanta eſt potentia immundi ſpiritus, & tanta eſt multitudo impiorum hominum, ut niſi Deus ipſe hęc miniſteria tueretur,

non possent inter homines diu constare. Sed pergamus ad aliud offi
tium spiritus sancti. Non enim uocatur tantum spiritus sanctus, sed
etiam spiritus ueritatis. Exponitur & hoc cognomine offitium spiri
tus sancti. Et opponitur iterum spiritui Satanæ, qui est spiritus men
dax, & pater mendacis. Hic enim spiritus commentus est impiam &
mendacem religionem Ethnicorum, Turcarum, Iudæorum, eorum
uidelicet, qui nunc sunt, nõ amplius populus Dei, sed abiecti à Deo:
Commentus est etiam omnes hæreses, & papisticas impietates. Ho
rum enim omnium religio incerta est & mendax. Ethnici coluerunt
uarios Deos, quorum origo aut ignoratur, aut est pudenda. Turcæ
agnoscunt Mahumetis uanitatem, qui mentitus est sibi cum Gabrie
le angelo colloquium esse, sed non potuit id certis argumentis aut te
stimoniis demonstrare. Iudei agnoscunt Thalmudicas fabulas, quas
nec humana ratio probare potest. Sed nullum mendatium tam impu
dens est, quod cor à Satana cęcatum non pro ueritate amplectatur. Pa
pistæ habent Missas pro defunctis. Inuocationes sanctorum, peregri
nationes ad sanctorum reliquias, Ignem purgatorium, & multa id ge
nus alia, quorũ origo aut ignorat, aut experuersa uerbi Dei interpre
tatione, uel prepostera maiorum imitatione constat. Sed Spiritus san
ctus est spiritus ueritatis. Hic ueram & certam religionem, quæ est
de Iesu Christo filio Dei, instituit & confirmauit. Ille, inquit Chri
stus, testimonium perhibebit de me. Quin & uos testes estis, quia ab
initio mecum estis. Primum enim, etsi Christus resurrexit uere à mor
tuis, & ascendit in cœlum, tamen hoc ante diem Pentecostes paucis
cognitum fuit. Quare spiritus sanctus ædidit in die Pentecostes, &
postea tam magna & tam conspicua miracula in nomine Christi, ut
manifeste probaret Christum uere à mortuis resurrexisse, & in cœlo
regnare. Petrus ait: Dextera Dei exaltatus & promissione spiritus
sancti accepta à patre effudit hoc quod nunc uidetis & auditis. Et ite
rum: Viri Israelitæ quid miramini super hoc, aut nos quid intuemi
Actо 2. ni, quasi nostra uirtute aut pietate effecerimus, ut hic ambularet. Ac
Act. 3. & 4. mox, Autorem uitæ interfecistis, quem Deus suscitauit à mor
tuis, cuius nos testes sumus, & per fidutiam nominis eius hunc
quem uidetis ac nostis consolidauit nomen ipsius, & fides quę per e
um est, dedit ei integritatem istam in conspectu omnium uestrum.
Hęc & alia miracula ædidit spiritus sanctus non obscure, sed, ut Pe
trus ait, in conspectu omnium, quibus nomen Christi ita illustratum
est, ut nemo negare potuerit, quin ea res diuinitus gereretur. Deinde
Spiritus sanctus non tantum ædidit miracula, quibus maiestatem
Christi uere ac publice illustraret, uerumetiam excitauit Apostо
los, & misit eos in orbem terræ, ut de Christo & maiestate ei

ius testimonium publice dicerent. Hi Apostoli non uno tantum die nec semel tantum fuerunt cum Christo, sed uersati sunt cum ipso, toto eo tempore, quo publice exorsus est, ut Petrus ait, à baptismo Ioannis, ad eum usque diem, quo receptus est in cœlum. Et audiuerunt omnes contiones eius, uiderunt omnia miracula eius, adeoque habuerunt diligentissimam omnium Actorum eius considerationem. Vnde & hoc loco dicit: Ab initio mecũ estis. Si heri aut nudiustertius ad me uenissetis, posset testimoniũ uestrũ uanum uideri. Nunc aũt agitis mecum perpetuam uitę consuetudinem ab eo tempore, quo cepi prędicationem Euangelij mei, & cognouistis omnia mea tum dicta tum facta. Quare potestis de me certum ac firmum testimonium ferre. Testimonium autem, quod Apostoli tulerunt de Iesu, hoc est, ꝙ Deus fecerit hunc Iesum, quem Iudęi crucifixerunt, DOMINVM & Christum, & ꝙ non sit aliud nomen sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Huius Apostolici testimonij certitudo & firmitas tanta est, ut nec Iudęis, nec Turcis, nec Regibus, nec Pontificibus, nec diabolis, nec Angelis diuersum dicentibus credendum & credendum sit. Sed de testimonio, quod spiritus sanctus, qui est spiritus ueritatis, dedit Iesu Christo hactenus. Dicamus & de alio officio spiritus sancti. Cognominatur enim Paracletus, ꝙd significat Cõsolatorem & Aduocatum. Opponitur & hoc cognomen Spiritui Satanę. Etsi enim etiam Satan consolatur aliquoties hominem, Facit enim eum securum in peccatis, & contemptorem supplicationum, tamen consolatur, ut magis terreat. Satan enim tota cogitatione sua in hoc studium incumbit, ut terreat et pauefaciat hominem, ac conijciat eum in perpetuam desperationem & damnationem. Cum peccatum cogitas & facis, blanditur tibi, & quasi consolatur te, age, inquiens, quid metuis? Diabolus non est tam horribilis, cꝙ pingi solet. Nec inferni ignis ita flagrat, ut uulgatum est. Hanc consolationẽ proponit Satan peccatori, non ut seruet eum, sed ut perdat. Postꝙ enim peccatum designatum est, & iudicium Dei reuelatur, ibi tum obijcit omnia genera terriculamentorum. Peccasti, inquiens, Desperandum igitur tibi est. Nulla tibi salutis spes relicta est. Misericordia Dei, quam toties reiecisti, non patet tibi amplius. Christus expiauit quidem peccata, sed non tua, quippe qui nec tanta perfectione credis, quanta debes, & toties fidem malis factis abnegasti. Ac finge te credere, frustra tamen credis, quia non es ab æterno prædestinatus, ut sis filius Dei. Reliquũ igit est, ut omnẽ spem salutis abijcias. Hęc sunt ignita iacula Satanæ, quibus tm̃ terrorem homini imbecilli incutit, ut suis uiribus relictus, nõ habeat, quo se uertat. Spiritus sanctus aũt

est paracletus, hoc est, Consolator & Aduocatus. Hic enim consolatur & tuetur credentem Euangelio Christi, in omnibus terroribus siue peccati, siue mortis, siue inferni. Solet quidē & hic spiritus aliquoties terrere, idque per legem, per quam uenit, ut Paulus ait, agnitio peccati, & quæ occidit. Non autem terret, ut perdat. Perdere enim Satanæ propositum est, sed terret, ut seruet, & consoletur. Alienum facit opus, ut suum perfitiat. Occidit, ut uiuificet. Deducit ad inferos, ut collocet in cœlo. Nam proprium offitium & opus spiritus sancti est, Consolari & tueri in omnibus aduersis. Itaque si peccata sollicitant ad desperationem, ostendit Spiritus sanctus Christum, peccatorum expiatorem. Docet misericordiam Dei semper patere his, qui inuocant ipsum in nomine Christi. Docet, quòd etsi imperfecta est fides nostra, tamen perfectus sit Christus quem fide accepimus. Calamum (inquit) quassatum non confringet, & linum fumigans non extinguet. Docet, Christum esse ueracem, etiamsi nos fidem nostram uiolauerimus. Docet prædestinationem Dei, reuelatam esse in Christo, ut qui credit in Christum, sciat se ab æterno à Deo in filium suum propter Christum, prædestinatum, ideoq; Christum non aliorum tantū, sed & nostra, imo mea peccata expiasse, & in suum cohæredem cooptasse. Hæc est consolatio spiritus sancti, in terrore peccatorum, & mortis. Exercet autem hanc consolationem in nobis, per ministerium Euangelij de Christo. In hunc enim usum instituit & confirmauit in die Pentecostes contionem de Euangelio Christi, ut habeat organon, quo offitium suum consolandi & tuendi publice in Ecclesia & priuatim in singulis pṕs exerceat. Dedit (inquit) alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios pastores & doctores, ut compleatur numerus sanctorum, ut doceatur uerbum (Dei) & ut ædificetur corpus Christi. Collocemus igitur omne studium nostrum in cognoscendo Euangelio Christi, ut exhibeamus spiritui sancto suum organon, quo beneficia sua in nos conferat, & nos in omnibus aduersis tueatur per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Caput

CAPVT XVI.

HOMILIA XXXX.

VLTVM refert, quo animo aduersa aggrediaris. Quare, cum Christus ante diſſeruerit de odio, quo mundus proſecuturus ſit Apoſtolos, & eos qui Apoſtolico uerbo fidem adhibent, exponit nunc magnitudinẽ eius odij, ut doceat, q̃ firmo & excelſo animo pericula adire debeant. Impij em̃ non capiũt ſimplex odium piorũ, ſed exercẽt illud horribili & immani crudelitate. Cognoſcamus igitur huius odij immanitatem, ut pie prouideamus, ne nobis aliquam ſalutis iacturam afferat. Hęc, inquit, locutus ſum uobis, ut ne quid offendamini. Alienis à Synagogis facient uos. Sed ueniet tempus, ut quiſquis interficiat uos, uideatur cultum præſtare Deo. Duo commemorantur, quibus impij declarabunt magnitudinem odij ſui. Alterum eſt, q̃ ejcient uos è Synagogis. Hæc eſt Excommunicatio. Etſi autem hoc tempore, excommunicatio Pontificum, inter nos eſt fulgur, quod dici ſolet, ex pelui, tamen ſiquis uerã rationem excõmunicationis cõſiderauerit, multo grauior eſt q̃ mors corporalis. Ejcit em̃ hominem, non ſolum è publico cœtu populi, uerumetiam ex hęreditate omnium cœleſtium bonorũ. In baptiſmo adoptatur is qui agnoſcit Chriſtum, in filium & hęredẽ Dei. Excõmunicatio aũt, ſi fiat autoritate uerbi Dei, exhæredat hoĩem è cœleſtibus bonis, & tradit eũ Satanę. Ad Petrum em̃, nomine Apoſtolici officij dicit: Quicq̃d alligaueris in terra, erit alligatũ in cœlo. Et iterũ: Quę cunq̃ alligaueritis ſup terrã, erunt ligata in cœlo. Nam quãta ſit ſeueritas uerę excõmunicationis, etiã publico miraculo in Anania & Sapphira comprobatũ eſt. Hi em̃ à Petro excõmunicati, tãto terrore concutiunt̃, ut repen. ina morte intereãt, quẽadmodũ teſtat̃ liber Actorũ Apoſtolorũ. Porro excõmunicatio exercẽda eſt erga eos, qui, ut Chriſtus ait, non audiũt Eccleſiã, hoc eſt, qui cũ ſint in cœtu Eccleſiæ, fingunt & tuent̃ impia dogmata, aut deſignãt impudenter & impœnitẽter ſcelerata facinora. Sed impij abutunt̃ ea ad damnandos pios. Quid ergo dicemus? Num quemadmodũ impij pronuntiãt pios eſſe excõmunicatos, et à Deo exhęredatos, ita Deus ratã habet ſententiã eorũ? Minime oĩm: Maledicẽt, inquit pſalmus, illi et tu benedices. Et Chriſtus: Beati eſtis, cũ maledixerint uobis hoĩes, & dixerint omne malũ

uerbum aduersum uos, mentientes propter me. Etsi autem ea aduersa, quę innocenti iniuste accidũt, excelsiori animo feruntur, q̃ ea quę nocenti iuste propter peccata accidunt, tamen iniusta excomunicatio, affert pijs grauissimum & acerbissimum dolorem. Qui enim eos excommunicant, non sunt homines abiecti, nec uideri uolunt se iniuste pios excommunicare, sed gloriantur se esse Ecclesiam & populum Dei, & iactãt se excõmunicare ipsos propter hæreses & blasphemias nominis Dei. De Stephano dicunt: Audiuimus eum dicentem uerba contumeliosa in Mosen & Deum. Aduersus Paulum clamant: Viri Israelitę succurrite. Hic est ille homo, qui aduersus populum & legem & locum hunc omnes ubique docet. Hæc & id genus similia obiecta, etsi scias falsa esse, tamen sic in eo populo, qui se profiteꝛ esse Ecclesiam Dei, audire, acerbissimum est, & excitat uarias cogitatiões. Quid? Tu ne solus sapies? Quid? Putas ne Deum deseruisse suam Ecclesiam, & soli tibi ueritatem patefecisse? Tot sapientes, tot honesti, tot docti uiri obsistunt tuæ sententiæ, & damnant eam. Existimas ne horum iuditium esse contemnendum? Hæc certe difficile est in animo superare, & in ueritate constare. Et tamen superari possunt, si te spiritui sancto formandum & conseruandum obedienter præbueris. Sed de hoc mox dicemus, nunc uideamus alterum, quo impij declarant odium suum erga pios. Non solum, inquit, ejcient uos è Synagogis, & excommunicabunt uos, sed occident etiam uos, idq̃ non simpliciter, sed uidebuntur occisione uestri, sese præstare cultũ Deo. Scelerati, si quando ad publicam pœnam educuntur, habent qui commiserantur eorum calamitatem, & sunt, qui precantur ipsis fœliciorem fortunam. Impij autem occident uos, ut catharmata & piacula. Existimabunt uestris supplitijs terram expiari. Nam quemadmodum Ethnici in publicis calamitatibus rapere solent ad supplitia aliquoties nocẽtes, aliquoties etiã innocẽtes hoies, quorũ morte sentiũt se irã Dei placare, & terrã purgare, ita impij grallabunt etiã in pios, quos existimabunt tam sceleratos esse peccatores, ut quãto crudelius eos occiderint, tanto gratiorem Deo cultum præstent, ac maiorem tranquillitatem in terra procurent. Hęc commemorauit Christus non quasi uana puerorum terriculamenta, sed quę reipsa impleta sunt. Ac primum, quod de Apostolis futurum dicit, hoc in ipso fieri cœptum est. In passione enim Barrabas latro præfertur Christo. Et de Christo immaniter clamant: Tolle, tolle, Crucifige eum. Adeo contemptus fuit, inquit Esaias, ut auerterentur uultus ab eo. Deinde, quod capiti accidit, idem etiam membris eius accidit. Cum Stephanus recitaret coram Concilio Apologiam suam, dissecabantur, inquit Lucas, cordibus suis, stridebant dentibus suis, & exclamantes uoce magna

continue-

erunt aures ſuas, ac impetum fecerunt in eum unanimiter, quem & eiectum è ciuitate lapidarunt. Iacobus frater Ioannis occiditur gladio ab Herode, tanto populi fauore, ut Herodes uideretur hac cęde regnum ſuum firmaſſe. De Paulo clamabant: Tolle de terra hominem iſtiusmodi. Non enim phas eſt eum uiuere. Quid multa? Teſtantur eccleſiaſticę hiſtoriæ Ethnicos cauſſas publicarum calamitatū non niſi ſi in Chriſtianos contuliſſe. Si Tyberis aſcendit in mœnia. Si Nilus non aſcendit in arua, ſi cœlum ſtetit, ſi terra mouit, ſi fames, ſi lues, ſtatim acclamabatur, Chriſtianus ad Leonem, aut, Tolle ſacrilegos. Iactabant publicę leges in ęs inciſæ, ꝙ ex quo Chriſtiani ſedibus ſuis urbibuſq; pellantur, aëris eſſe læta temperies, terræ fœcunditas abundantior, ac ſegetum copia uberior. Hæc ſunt ſuperiorum temporum. Non diſſimilia fieri his temporibus, manifeſtum forte erit: Quod hi qui agnoſcunt uerum & ſyncerum Euangelion Chriſti, primum omnium excommunicentur ab Eccleſia. Deinde quoq; publicis Edictis in Romano Imperio proſcribenur. Hinc ſequentur cœdes multorum non uiuorum tantum, ſed & mulierum & uirginum, quos ideo crudelius trucidandos iudicabit aduerſaria poteſtas, quia eam ſint doctrinam ſecuti, quæ bello ſuſcipiendo cauſſam præbuiſſet. Quamobrem eos Turcis peiores iudicabat multitudo aduerſariorum, cum decretum publice fuiſſet, ut primo quoq; tempore bellum Turcis inferat, tum audiebantur eorum uoces, non poſſe id bellum ſuſcipi fœliciter, niſi ea doctrina, quam ex Euangelio agnoſcimus, & qui eam ſectantur prius deleantur. Nec fuerunt abiectę ſortis homines, qui ſic opinabantur, ſed titulus Eccleſię prę eminētis, quiq; ſe tanq; nutricios gloriabantur ſe debere aduerſus prophanatores & ſacrilegos, gloriā atq; maieſtatem nominis Dei Eccleſięq; ſalutem tutari & conſeruare. Grue eſt quidem mortem ferre, ſed multo grauius eſt has perferre, et uincere uoces eorꝝ, qui ſic obluctantur exterritis metu ſupplitiorꝝ. Quid tu, inquiunt, plus ne ſapere tibi arrogas, quàm tot in Eccleſia populi, natiōes & proceres? Sed tum peruinces, ſi te ſpūi ſancto docilē exhibueris, primum enim conſideranda eſt ueritas & certitudo Euangelij, quod prędicamus, & quod hoſtes noſtri perſequuntur. Certi ēm ſumus, ꝙ Euangelion noſtrum, ſit uere Euangelion illud, quod Prophetę et Apli prędicauerūt, & q̄d Chriſtus ipſe ſeruator noſter iuſſit ni totū orbem terrę uulgari. Deinde conſiderandū eſt, ꝙ hi qui damnāt nos ꝓpter Euangelion, non ſint uere populus & Eccleſia Dei, ſed potius Eccleſia Satanę, & hoſtes Dei. Non moueat nos gloriatio & titulus eorū, Chriſtus enim dicit: Multi ſunt uocati, pauci uero electi. Et Paulus: Non omnes qui ſunt ex Iſrael, ſunt Iſrael, neq; quia ſunt ſe

Tertullianum.

Euſebius.

men Abrahę, statim omnes filij. Vnde & hoc loco addit: Hęc facient uobis, quia non nouerunt patrem, neq; me. Iactant quidem se esse populum Dei, & magno desiderio expectare Messiam Dei. Sed neque Deum patrem, neq; me filium & Messiam eius nouerunt. Quid? Populus ne Dei, non nouit Deum? Populus ne Messię, non nouit Messiam? Habes hic manifestū testimoniū Christi. Quid ergo adhuc dubitas? Sed uideamus paucis, quomodo Deus cognoscatur, quomodo etiam filius eius cognoscatur, ut sciamus qui sint, qui nec patrem nec filium nouerunt. Primum, Deus non cognoscitur, nisi per filium suū Iesum Christum. Deum, inquit Ioannes, nemo uidit, filius unigenitus ipse enarrauit. Et Christus: Nemo, inquit, nouit patrem, nisi filius, & cuicunq; uoluerit filius reuelare. Et iterum: Nemo uenit ad patrem, nisi per me. Cum igitur Iudęi persequantur filium Dei, Ethnici ignorent filium Dei, & Turcæ negent ac abominentur filium Dei, perspicuum est, q; etsi hi omnes gloriantur de cognitione Dei, non tamen Deum cognoscant, sed potius sint hostes dei. Deinde Christus filius dei non recte cognoscitur, nisi offitium eius recte cognoscatur. Offitium enim Christi filij Dei est expiare peccata, placare iram dei, reconciliare homines cum deo, ut adoptentur per fidem in filios dei, & consequantur gratis cœlestem hęreditatem propter ipsum. Hoc autem offitium Christi ignorant, ac etiam odio habent tam Iudęi, quàm Pontifitij. Iudæi enim quærunt in Christo tātum externum regnum, interim autem sentiunt se consequi remissionem peccatorum & placare iram dei, meritis operum legis. Idem sentiunt Pontifitij, qui tribuunt meritis suorum operum expiationem peccatorum, & uitam æternam. Quare etsi Pontifitij gloriantur de Christo filio Dei, tamen ignorant eum, & quia persequuntur Euangelion eius, sunt etiam hostes eius. Dices igitur, Si impij sunt hostes Dei & filij eius, quid est, q; deus conniueat ipsis ad tantam crudelitatem, ut pios non solum proscribant, uerumetiam immaniter trucident? Ne mireris. Hæc conniuentia suas habet causas: Primum enim Deus conniuet ad tantam crudelitatem impiorum, ut hac occasione doceat regnum filij sui non esse mundanum. Ergo ne, inquies, pij principes, qui propullant bellum propter Euangelij Christi professionem ipsis illatum, necesse habent trucidari, sicut Apostoli trucidati sunt, ut publice declaretur regnum Christi non esse de hoc mundo? Alia est Christi & Apostolorum eius, alia Principum ratio. Vocatio Christi non erat, ut gladium gestaret, & acciperet mundanum regnum. Sic nec Apostolorum nec aliorum in Christum credentium, quatenus quidem credentes sunt, uocatio est, ut quantum ad Apostolatum & Christianismum attinet, gladio utantur, & inuadant regna huius mundi. Quare non possunt hac

ratione

ratione se gladio ab hostibus suis defendere, & uim illatam propulsare, sed necesse habent eam ferre, nisi ea uel precibus coram Deo, uel à legitimo magistratu depellatur. Principum autem regnum est de hoc mundo, & uocatio eorum est gladium gestare, ut defendant regna sua ab hostibus, & tueantur subditos suos aduersus latrones. Quare etsi principes non agent perpetuam uitam in hoc mundo, & soli Deo cognitum est, quo mortis genere finituri sint hanc uitam, tamen si fuerint pij per fidem in Christum, & ambulauerint in uocatione Dei obedienter, certe quemadmodum Deus promisit Dauidi ambulanti in sua uocatione & defendenti populum Dei gladio, fœlicem successum bellorum suorum aduersus hostes suos, ita etiam promisit pijs principibus suo officio ex fide fungentibus aduersus suos hostes uictoriam, ut possint cum Dauide dicere: Benedictus DOMINVS Deus meus, qui docet manus meas ad prelium & digitos meos ad bellum. Misericordia mea, & refugium meum, susceptor meus & liberator meus. Protector meus, & in ipso speraui, qui subdis populum meum sub me. Deinde Deus conniuet ad crudelitatem impiorum erga pios, ut quo plus affliguntur pij in terra, eo maius premium accipiant in cœlo: Gaudete, inquit, & exultate, quia merces uestra copiosa est in cœlis. Tantæ enim sunt ærumnę piorum, ut nullum terrenum regnum possit rependere. Quare rependentur regno cœlesti. Sunt et multę alię causſæ, propter quas Deus conniuet, ad crudelitatē impiorum. Sed hę in præsentia suffitiunt, & recensuimus alias alijs in locis copiose. Quid autem hoc sibi uult, ꝙ Christus tam diligenter prędixit Apostolis & Ecclesię suę, quid ipsis ab impijs sit euenturum? De hac re audi quid sequatur. Hæc, inquit, locutus sum uobis, ut cum uenerit tempus illud, reminiscamini eorum, ꝙ ego dixerim uobis. Hęc autem uobis ab initio non dixi, quia uobiscum eram. Nunc autem uado ad eum, qui misit me, et nemo ex uobis interrogat me, quo uadam. Sed quia hęc locutus sum uobis, mœstitudo impleuit cor uestrum. Quod Christus dicit, habet hanc sententiam: Dixi quidem antea aliquoties, ꝙ maneat uos multa tristia in hoc mundo. Dixi, me emittere uos sicut oues in medio luporum, & uos tradendos in concilia, & cedendos flagris, ac demum morte affitiendos propter nomen meum, nunquam autem hactenus tantam seueritatem in exponendis calamitatibus in uos uenturis adhibui, quanta me hoc tempore uti uidetis. Cum enim ego adhuc externam uitę consuetudinem uobiscum agerem, non erat opus multis cohortationibus, quippe quòd aut totus impetus persecutionis in me uertebatur, aut si quid aduersi uobis accideret, ego presens uobiscum, tuebar uos, & conseruabam uos illæsos. Vnde & infra ait; Cum essem cum eis in mundo, ego seruabam

eos nomine tuo. Postquam autem nunc discessurus sum ex hoc mundo ad patrem, uisum est uobis omnia, quę in uos euentura sunt aduersa diligenter exponere. Quid ergo? Num exponit ea, ut cōfitiat eos metu, et sollicitet ad defectionē? Nihil minus. Sed, Ne quid, inquit, offendamini, ne, si hęc euenerint, existimetis meū Euangelion uanū esse, & defitiatis. Nam quemadmodū peritus dux belli narrare solet militibus suis multitudinem hostium, & armaturam eorum, non ut eos à militia deterreat, sed potius ut extitet eos, quo se diligentius aduersus hostes muniant, & fortius inuadant, ita Christus commemorat, suis uentura pericula, non ut reddat eos meticulosos, sed ut faciat prouidos, ne imparati opprimantur. Apud Lucam dicit Christus: Quis est ex uobis, qui uelit turrim ędificare, quin prius sedens computet sumptus, an habeat quibus opus est ad perfitiendum? Et addit: Quis rex proficiscēs ut committat pręlium aduersus alterum regem, nonne sedens prius cogitat, an possit cum decem milibus occurrere ei, qui cum uiginti milibus uenit contra se? His exemplis cohortatur Christus suos, ut uentura pericula cognoscant, quo se in tempore ad ea excipienda & sustinenda prępparent. Sed quomodo, inquis, præparabimus nos ad ferenda pericula, quæ propter Euangelion nobis imminent & accidunt? Primum, cognoscenda est, sicut ante diximus, ueritas & certitudo Euangelij de Christo, & sectanda est uocatio eius. Si enim de ueritate eius dubitaueris, nihil certe periculorum forti animo feres. Deinde, utendum quidem est donis Dei, quę habemus, iuxta uocationem eius, attamen omnia nostra ita abneganda sunt, ut sentiamus nos ea deserturos potius, q̄ Christum & Euangelion eius negaturos: Si quis, inquit Christus, uenit ad me, nec odit patrem suum, nec matrem, & uxorem & filios, & fratres & sorores, prętera autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et mox: Omnis ex uobis, qui non renuntiat omnibus, quę possidet, non potest meus esse discipulus. Postremo orandum est sedulo, ne intremus in tentationem, inuocandus est Deus pater per Iesum Christum filium suum, ut ipse nos in omnibus aduersis tueatur & conseruet: Non enim tantæ sunt uires nostræ, ut possimus in assultu afflictionū firmi constare. De cœlo nobis auxilium ueniat, necesse est. Cœleste autem auxilium impetratur oratione per Iesum Christum. Qua sine intermissione orandū est, ut Deo curę simus, & ab ipso in omnibus aduersis defendamur. Sed priusq̄ Christus pergit discipulos suos consolari, reprehendit prępposterum eorum mœrorem. Nemo, inquiens, ex uobis interrogat me, quo uadam, sed quia hęc locutus sum uobis, mœstitudo impleuit cor uestrum, hoc est, dixi me abiturum, dixi me

me moriturum. Hęc uox tanta tristitia uos affecit, ut existimetis de salute uestra actum esse. Et tamen debuisset uos potius excitare, ut interrogaretis: Quo abirem, & quam utilitatem meus abitus afferret. Doletis tantum de abitu, & non inquiritis necessitatem & utilitatem abitus mei. Prorsus nostrum ingenium. Affligitur quispiam morbo, Hoc tantum dolet, ꝙ molestus est morbus, non requirit, quæ sit morbi commoditas, & quo consilio Deus morbum immiserit. Alius præmitur paupertate. Dolet igitur & conqueritur tantum de graui onere paupertatis, non autem cogitat, non interrogat, ad quid ualeat paupertas, & quæ sit eius utilitas. Affligimur his temporibus duro & periculoso bello, quod Romanus Pontifex infert nobis propter professionem piæ doctrinę. Magna autem hominum pars conqueruntur tantum de iactura facultatum, quas bellum absumere solet. Nec inquirunt quod sit consilium DOMINI in hoc bello. Quare, ne fiamus digni reprehensione, de aduersis calibus ita dolendum est, ut excitemur ad quærendas causas & fines eorum. Nulla enim aduersa accidunt nobis, nisi diuina uoluntate. Deus autem permittit, ut aduersa nobis accidant, uel propter peccatum nostrum, uel propter iustitiam nostram, uel tantum ad illustrandam gloriam nominis sui. Quęcunque causa afflictionis fuerit, certe quod ad diuinum consilium attinet, finis optimus est. In Euangelista Ioanne quęrũt discipuli de cæco à natiuitate, num ipse, an parentes eius peccassent, ut cęcus nasceretur? Sed Christus respondet, hanc afflictionem non contigisse ei propter peccatum uel parentum, uel ipsius, sed ut manifestentur, inquit, opera Dei in illo. Si autem immiserit afflictiones propter peccatum, tunc immittit eas hoc consilio, ut inuitet ad agnitionem peccati, & ad quęrendam salutem: Viuo ego dicit DOMINVS, nolo mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Quod si uero contingunt afflictiones propter iustitiam, non contingunt, ut pereamus, sed ut magna Dei clementia seruemur, & nomen Dei illustretur: Beati, inquit, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Et: Gaudete & exultate, si infectati uos fuerint hoĩes propter me, quia merces uestra copiosa est in cœlis. Dicam de prȩsenti rerum statu. Infertur nobis hoc tempore à Romano Pontifice & sotijs eius grauissimum & crudelissimum bellum. Hæc est magna afflictio. Etsi autem sumus corã Deo peccatores, tamen Pontifex non infert nobis bellum propter peccata nostra. Non enim excitauit suos, ut nos armis inuadant, ꝙ sint inter nos adulteria, ebrietates, helluationes, execrationes, & id genus alia scelera, sed quòd agnouerimus Euangelion Christi, & fugiamus idolatriam & impietatem Romanorum Pontificum. Hæc est iustitia. Iustum enim est Euangelion Christi agnoscere, & idolatriam fugere,

Et quanto plus id feceris, tanto iustius facis. Quæramus igitur consilium DOMINI in huius belli afflictione. Inueniemus autem consilium DOMINI in uerbo eius. De impio, cogitante internitionem piorum, & suscipiente bellum aduersus eos, qui sectantur piam doctrinam dicit psalmus septimus, Ecce parturit iniustitiam, cõcepit dolorem, peperit iniquitatem, Lacum aperuit, & effodit eum, incidit in foueam, quam fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in uerticem ipsius iniquitas eius descendet. Et alius psalmus: Viuit DOMINVS, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ: Deus qui das uindictas mihi, & subdis populos sub me: Liberator meus de inimicis meis iracundis. Et ab insurgentibus in me, exaltabis me, à uiro iniquo eripies me. Et iterum: Iniusti disperibunt, simul reliquiæ impiorum interibunt. Salus autem iustorum à DOMINO, & protector eorum in tempore tribulationis. Ex his & alijs locis scripturæ manifestum est consilium DOMINI etiam in hoc præsenti bello, quod nobis hostes propter piam doctrinam inferunt. DOMINVS enim meditatur hoc bello interitum hostium, qui tot annis reuelatam lucem Euangelij non solum non agnouerunt, sed etiam crudeli persecutione conati sunt extinguere. Et quod priuatis persecutionibus non potuerunt efficere, hoc nunc conantur publico & immani bello. Meditatur quoq; dilatationem Euangelij sui, ut pij ueram salutem consequantur. Quare, etsi hostes nostri minantur nobis grauissima, tamen defigendi sunt oculi nostri in consilium DOMINI, & bene confidendum est, q; qui Israelitas ad uocationem suam in mare rubrum ingressos, incolumes cõseruauit, nos quoq; in hoc bello, quod hostes aduersus uocationem Dei, susceperunt, nostri autem ex legitima & uere diuina uocatione propulsant, liberaturus sit per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXXXI.

AGITE dum, amicissimi, pergamus & hodie in explicanda ea contione, quam Christus ad consolandos non solum apostolos suos, uerumetiam uniuersam suam Ecclesiam suscepit. Quid enim magis salutare facere possumus, quàm Verbum filij Dei seruatoris nostri, non una tantum die hora, sed diu noctuque meditari?

Postq;

Postquam igitur Christus reprehendit discipulos, quòd cum audiuissent de abitu suo ex hoc mundo, doleant tantum, non autem inquirant, quo abeat, aut quam utilitatem abitus eius afferat, exponit nunc ipse, quæ sit abitus eius utilitas, ut non tam dolorem eorum mitiget, quàm ueram rationem regni sui doceat. Ego ueritatem, inquit, dico uobis: Expedit uobis ut ego uadam. Si enim non abiero, paracletus non ueniet ad uos. Sin autem abiero, mittam eum ad uos. Quid? Obstat ne corporalis præsentia Christi aduentui & actioni spiritus sancti? An nō habuerūt Apostoli spiritū sanctū, quādiu Christus coram præsens fuit? Quid ergo est, quod dicitur: Non estis uos loquentes, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Et: Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cœlis. Pater autem reuelat filium per spiritum suum sanctum? Negari non potest, quin discipuli acceperint spiritum sanctum, cum baptisarentur à Ioanne, & audirent Euangelion à Christo. Cum enim baptismum & Euangelion acceperint fide, fides autem sit spiritus sancti opus, perspicuū est, quòd habuerint spiritum sanctum etiam cum Christus adhuc præsens cum ipsis externam uitę consuetudinem ageret. In hoc autem loco, cum dicit spiritum sanctum non uenturū, nisi abeat, non loquitur de uulgaribus illis spiritus sancti donis, quæ unicuiuis pio ad salutem necessaria diuinitus per prędicationem uerbi Dei dantur, sed loquitur de admirandis illis donis spiritus sancti, quæ data sunt discipulis in die Pentecostes, & quibus institutum & confirmatum est ministerium prędicandi & uulgandi Euangelij de Christo in totum orbem terræ. Quod igitur Christus dicit, habet hanc sententiam: Non est uobis dolendum, quòd abeam. Dolendum potius esset, si non abirem. Nam si non abirem, paracletus non ueniret, hoc est, non institueretur in die Pentecostes admirandis donis spiritus sancti publicum ministerium Euangelij de regno Christi. Quomodo enim dies festus Pentecostes recte pro noua Christianismi ratione peragi posset, si non prędederet magna feria sexta, dies Paschæ, & dies Ascensus in cœlū, uidelicet, si non præcederet mea passio, mea mors, mea resurrectio, meus ascensus in cœlū, & sessio ad dextrā Dei patris? Hęc si non fierent, tunc peccata non expiarentur, patris ira non placaretur, mors non uinceretur, & cœlestis uita cum hominibus non communicaretur. Nunc autem si abiero, omnia hęc ita perfitiam, ut etiam in toto orbe terrarę publica Euangelij prędicatiōe patefiant. Dices iterę, Si expedit Christū abire, non expedit ipsum uenire. Certe multū utrūque expedit. Et aduentus & abitus Christi habent suā utilitatē atq; etiā necessitatē. Christus em̄ aduētu suo factus est homo, prædicauit

Euangelion ſuum, & edidit miracula, quibus omnibus coprobauit ſe eum eſſe Meſſiam, qui ab initio mundi expectatus, & per Prophetas adnuntiatus ſit. Hæc fuerunt neceſſaria ad complenda uaticinia Prophetarum, & conſilium Dei, quod de mittendo filio in terram decretum fuerat. Chriſtus autem ſuo abitu expiauit peccata, meritus eſt nobis iuſtitiam, inchoauit nouam uitam, & fecit nos ſuos cohæredes in regno cœleſti. Fuerunt & hęc ad abſoluendam ſalutem noſtram neceſſaria. Quare et aduentus & abitus eius ſunt nobis ſalutares, et quãquam horribile ſit uidere Chriſtum rapi ad tam crudelia ſupplitia, tamen quia per ea ingreditur Chriſtus in ſuam gloriam, & affert nobis ſummam & perpetuam ſalutem, agnoſcenda eſt grato animo clementia Dei patris erga nos, quòd maluerit unigenitum filium ſuum in tam grauia ſupplitia conijcere, quàm ad æternam noſtram interitionem conniuere. Etſi autem cum Chriſto, qui eſt ſummum donum Dei, nullum aliud donum conferendum eſt, tamen quia in nomine doni conueniunt, idcirco, quod Chriſtus dixit de ſuo abitu. Expedit uobis, ut ego uadam, idem aliqua ex parte de ablatione aliorum donorum ſentiendum eſt, uidelicet, ꝙ expediat, ut aliquoties à nobis auferantur. Non eſt nobis nunc ſermo de donis, quę impijs collata ſunt. Cum enim hi non habeant Chriſtum per fidem, nihil eſt eis ſalutare, ſiue conferantur in ipſos dona, ſiue auferantur. De pijs loquor, quibus omnia adiumento ſunt in bonum. Deus confert in eos diuitias, confert potentiam, confert uitam corporalem. Et mox, quæ contulit, iterum auferre ſolet. Dedit Iobi magnas diuitias, quas ei iterum abſtulit. Dedit Dauidi regnum Iſraelis, è quo tamẽ Dauid per filium ſuum Abſolomum eijciebatur. Dat uitam corporalem, & tamen iterum aufert eam. Quid ſibi uult hæc uiciſſitudo? Expedit, ut det. Expedit ut auferat: Dominus dedit, inquit Iob, dominus abſtulit, Sit nomen DOMINI benedictum. In dando uult dominus agnoſci ſuam clementiam & bonitatem. In auferendo uult agnoſci ſuam poteſtatem, & probare noſtram obedientiam ac fidem. Nec enim aufert quicquam, ut non reſtituat. Et quemadmodum Chriſtus abſtulit corporalem ſuam præſentiam à diſcipulis, non ut eos deſeret, ſed ut maiori gloria, & commodo ad ipſos reuerteretur, & perpetuo conſeruaret, ita ſolet auferre à ſuis ſua dona, non ut inferat damnum, ſed ut maius lucrum conferat. Quare etſi donorum Dei ablatio commouet dolorem, tamen utilitas eius ablationis diligenter conſideranda eſt, ut dolor mitigetur, ac etiam penitus abijciatur. Si abiero (inquit) mittam eum ad uos. Quod promittit in die Pentecoſtes implendum erat. Quid ergo ſpiritus ſanctus in die Pentecoſtes mitten
,, dus perfitiet? Sequitur. Cum uenerit ille, arguet mundum de
peccato,

pēccato, de iuſtitia & de iuditio. De peccato quidem, quia non cre- ‹‹
dunt in me. De iuſtitia uero, quia ad patrem uado, & poſt hac non ‹‹
uidetis me. De iuditio autem, quia princeps huius mundi iam iudi- ‹‹
catus eſt. Arguet, inquit, mundum. Etſi arguere ſignificat aliàs repre- ‹‹
hendere, tñ cum Chriſtus ſuſceperit hoc loco explicandam uerā ratio
nē regni ſui in hoc mundo, utitur uerbo arguendi iuxta eam ſermonis
figuram, qua Prophetę Eſaias & Micheas in deſcribendo regno eius
uſi ſunt. Hi enim de regno Chriſti ſcribentes, ita loquuntur: Iudica- Eſa 2.
bit Gentes, & ARGVET populos multos. Et Eſaias iterum: Iudica- Mich. 4.
bit in iuſtitia pauperes, & ARGVET in ęquitate pro manſuetis ter
rę. Hac figura loquendi, ſignificant Prophetę, Chriſtum accepturum
regnū inter homines, & gubernaturū iuſte & clementer. Sic ut & a-
liàs dicunt eum regnaturum in iuſtitia & iuditio. Eſaias ait: Super ſo
lium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, ut confirmet & corrobo-
ret illud in iuditio & iuſtitia. Et Hieremias: Suſcitabo Dauid germen
iuſtum, & regnabit rex, & ſapiens erit, & faciet iuditium & iuſtitiam
in terra. Cum igitur hoc loco Chriſtus dicit, ꝙ ſpiritus ſanctus AR
GVAT mundum, ſignificat, ꝙ ſpiritus ſanctus inſtituat in die Pen
tecoſtes miniſterium uulgandi Euangelij, quo regnaturus ſit in toto
orbe terrarum. Arguere enim & punire ſcelera, una eſt è præcipuis
partibus adminiſtrationis regni. Et nemo ferre poteſt, ut arguatur, ni
ſi ab eo, qui poteſtatem habet & dominationem. Quare bene conue-
nit, ut uerbo Arguendi intelligamus regnum & dominationē. Cum
ergo ſpiritus ſanctus inſtituat regnū Chriſti in mundo. Videamus,
quomodo ſuo offitio defungatur. Sunt autem tres partes offitij in
legitimo regno. Vna eſt, punire ſcelera, ut honeſta uita inter homi-
nes conſeruetur. Altera eſt, ut fiat iuſtitia, hoc eſt, ut iuſta bonorum
cauſſa publicis ſententijs approbetur, & boni in ſua iuſtitia defendan
tur, & iuſtitiæ ſuæ fructum ac mercedem accipiant. In adminiſtra-
tione enim regni iuſtitiam facere, ſignificat, bonos & probos ci-
ues tueri, & cauſſam eorum rectam approbare, ut probitatis ſuæ fru-
ctum capiant. Tertia pars eſt, ut fiat iuditium, hoc eſt, ut mali coer-
ceantur, ne bonis noceant, & ut propulſetur uis ac iniuria hoſtium
à ceruicibus ciuium, quo unuſquiſque ſub uite & ficu ſua ſecure ha-
bitet. Habes offitia, quæ in legitimo regno neceſſaria ſunt. Quid
igitur dicemus de ſpiritu ſancto? Num quia inſtituet regnum Chri
ſti in hoc mundo, inſtituet etiam hæc offitia regni? Semper e-
nim iam inde ab initio orbis terrę tale regnum inter homines ex-
optatum, & expectatum eſt, in quo & ſcelera legitime puniren
tur, & iuſtitia ac iuditium fierent, quo tam publica quàm pri-

uata esset honestas ac tranquillitas. Sed nullum unquam inter homines tale extitit, in quo omnia recte administrarentur. Fuerunt quidem potentissimæ monarchię, fuerunt etiam aliquoties iusti & prudentes monarchę. Sed hic mundus semper sceleratior & furiosior est, ꝙ qui humana gubernatione in ordinem redigi potuerit. Promissum igitur est regnum Christi filij Dei, in quo uere fiat iuditium & iustitia, & in quo omnes boni summa tranquillitate fruantur. In diebus, inquit, illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter. Et iterum: Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis. Ac mox: Liberabit pauperem à potente, & pauperē, cui non erat adiutor. Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum saluas faciet. Quid ergo dicemus? Spiritus sanctus instituit regnum Christi in die Pentecostes. Ergòne instituit etiam administrationem de peccato, de iustitia & de iuditio, sicut necesse est fieri in legitimo regno? Certe instituit, non autem pro mundani sed pro cœlestis regni ratione. De qua re audiamus Christum ipsum. Arguet, inquit, mundum de peccato, de iustitia & de iuditio, hoc est, In meo regno, quod dilatabitur in toto mundo, tractabitur quidem de his tribus partibus offitij, sed longe alia ratione, ꝙ in mundanis regnis fieri solet. Primum igitur spiritus sanctus arguet mundū de peccato, quia non credunt, inquit, in me. Nam in regnis mundanis habentur ea tantum pro peccatis, quę sunt publice scelerata, quę etiam externis suis supplitijs puniuntur. Impietatem in Christum filium Dei, quę est summum peccatum, regna mundana non curant, imo fieri solet, ut iudicēt eam pro summa pietate. Sicut supra dixit Christus: Veniet tēpus, ut quisquis interfitiat uos, uideatur cultum præstare Deo. Euangelion autem, quod spiritus sanctus illustrauit in die Pentecostes, & quo administratur regnum Christi in mundo, etsi damnat etiam externa peccata, tamen nullum habet negotium cum externis supplitijs, & damnat maxime omnium incredulitatem in filium Dei, ac minatur propter hoc peccatum perpetuam pœnam inferni. Qui credit in eum, inquit, non condemnatur. Qui autem non credit, iam condemnatus est. Et iterum: Qui credit filio, habet uitam æternam. Qui uero non credit filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Ac rursus. Prædicate Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Qui uero non crediderit, condemnabitur. Quid igitur dicemus? Pugnant ne mundana regna, cum regno Christi, quòd illis tantum curæ sint externa peccata & corporalia supplitia, huic autem curæ sit impietas in filium Dei, & spirituale supplitium? Non sunt aduersa, sed tantum diuersa regna. Nam etiam mundana regna diuinitus sunt constituta. Et necessarium est ad conseruandam humanam

ſotietatem, ut externa peccata, externis ſupplitijs puniantur. Accedit huc, quod & in regno Chriſti ſeu Euangelio arguuntur & puniunt externa ſcelera. Sed magnū eſt inter hęc diſcrimē. In mundanis enim regnis non arguunt ſcelera propter incredulitatē in Chriſtum, nec arguunt ut agnoſcantur & remittant, ſed propter incōmoda, quę ex ipſis humano generi in hac terra accidunt, et ut corporali ſupplitio puniantur. In regno autem Chriſti ſeu Euangelio arguuntur ſcelera propter impietatē in Chriſtum, & arguuntur, ut agnita per fidem in Chriſtum remittant. Impietas em in Chriſtum filium Dei, id demū ſcelus eſt, propter quod damnatur non ſolum omnis humana iniuſtitia, ſed etiam iuſtitia, & propter quod omnes impij obnoxij ſunt ęterno ſupplitio, etiamſi fuerint in humano iuditio iuſtiſſimi. Contra autem, fide in Chriſtum ea donatur iuſtitia, ut propter eam omnia peccata remittantur, & conſequamur ęternā uitam, etiamſi nullum eſt noſtrum meritum coram Deo. Quare perſpicuum eſt, ꝙ regnum Chriſti non ſit mundanum, ſed relinquat quidem mundanis regnis ſuam de peccatis & ſupplitijs eorum adminiſtrationem, ipſum autem occupetur in reuelanda, & damnāda impietate in filium Dei, ut homines ea agnita, reſipiſcant, & fide in Chriſtum, ueram ſalutem conſequantur. Deinde ait, Spiritus ſanctus arguet mundum de iuſtitia, quia ad patrem uado, & poſthac me non uideris, hoc eſt, In regno Chriſti adminiſtrabit Spiritus ſanctus iuſtitiā per Euangelion. Sed longe alio modo, cūꝫ in regnis mundanis. In his enim cum princeps uult adminiſtrare iuſtitiam, uadit ad tribunal, audit litigatores, accuſatorem & reum, & cuius cauſſam iuſtam cognouerit, eam ſententia ſua approbat, & tuetur. Sed quantula eſt hęc pars iuſtitiæ? & quàm paucis contingit? In regno autem Chriſti uera adminiſtratur iuſtitia. Quomodo? quia Vado, inquit, ad patrem. Ego adminiſtraturus iuſtitiam, non uado ad externum aliquod tribunal, ſed uado ad patrem. Ego nunc moriar, & iterum reſurgam, ac ſedebo ad dextram patris. Quibus rebus fit, ut expiem peccata, impetrem adoptionem, & interpellem apud patrem, ut quotquot in me credunt, reputentur coram Deo iuſti, adoptentur in filios Dei, & ſeruētur in omnibus malis ad æternam uitam. Hoc eſt uere adminiſtrare iuſtitiam. Ieſus dominus noſter, inquit Paulus, traditus eſt ꝓpter peccata noſtra, & excitatus eſt propter iuſtificationē noſtri. Et iterꝝ: Quis intētabit crimina aduerſus electos dei? Deus eſt, qui iuſtificat. Quis ille, qui cōdemnet? Chriſtus eſt, q mortuus eſt, imo qui et ſuſcitatus eſt, qui eſt etiā ad dexterā Dei, q & intercedit pro nobis. Ac rurſus. Ieſus Chriſtus factus fuit nobis ſapientia à Deo, iuſtitiaq; et ſanctificatio et redēptio. Et iterꝝ: Eum, qui nō nouit

peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei per illum. Ex his perspicuum est, quód Christus uadendo ad patrem, hoc est, moriendo, resurgendo, & sedendo ad dextram Dei, impetrauerit nobis ueram corã Deo iustitiam, ut omnis qui credit in eum, etsi adhuc peccatum habet, tamen reputetur propter Christum coram tribunali Dei iustus, & fiat hæres omnium cœlestium bonorũ. Hęc est nostra iustitia. Nec est alia, qua possimus seruari. Qui hac iustitia caret, iniustus est corã Deo, etiamsi habeat in hoc mundo omnes iustissimas causas, & reputetur honestissimus. Qui autem hanc iustitiam habet, seruatur, etiamsi in hoc mundo, tanc̃p impijssimus condemnetur. Postremo, spiritus sanctus arguet mundum de iuditio, quia princeps huius mundi iam iudicatus est, hoc est, In regno Christi administrabitur etiam suum iuditium, sed longe alio modo, c̃p in regnis mundanis. In his enim dicitur administrari iuditiũ, cum princeps accingit se ad bellum, & opprimit hostẽ, ne ciues lædantur, sed ducant tranquillam uitam. Ac magnum quidem beneficiũ est, tutum esse ab hostibus mundanis, & in tranquillitate uiuere. Sed nondũ sumus uere tuti et liberati, etiamsi nullum habeamus externum hostem. Donec enim Satan, uerę & perpetuę salutis nostrę uixerit, & libere uagetur, manent nos quouis momento extrema pericula. Quare Christus suscepit uerum iuditium administrandum, in suo regno, ut perpetuo seruemur. Quod ergo est illud iuditium? Non suscipit carnale bellum, aduersus carnales hostes, sed suscipit bellum cum principe huius mundi, qui est Satan, quem & ita opprimit & uincit, ut etiamsi maxime cupiat, tamen non possit amplius populo suo nocere. Satan enim uerus & perpetuus est humani generis hostis. Et obambulat quasi leo rugiens, quęrens quem deuoret. Nec insidiatur tantum uitæ corporali, sed maxime omnium ęternæ saluti hominum. Et est potentissimus spiritus. Nec habet unum tantum angelum seu ministrum, sed innumerabiles. Vnde & Paulus uocat eos principatus, potestates, dominos mundi, rectores tenebrarum seculi huius, & spirituales astutias in cœlestibus. Quare, donec Satan cum angelis suis dominat in mundo, nulla potest hominibus uera & constans tranquillitas contingere, etiamsi omnes externi hostes & latrones oppressi fuerint. Sed bene habet. Sententia condemnationis pronuntiata est aduersus Satanam iam inde ab initio orbis terrę, cum dictum est: Semen mulieris conteret caput tuum. Hoc mulieris semen est Iesus Christus dñs noster, qui Satanã ita iudicauit, condemnauit, & contriuit, ut quotquot in Christum credunt, perpetuam securitatem consequantur. Quid ergo? Num Satan á Christo ita contritus est, ut prorsus interierit, nec amplius uiuat? Viuit quidem adhuc, sed

uiuit

uiuit iudicatus, uiuit condemnatus, uiuit ligatus catenis noctis, ſicut Petrus ait. Ac meditatur quidem adhuc hominibus pernitiem, quam etiam infert, ſi catena ei laxata fuerit, ſed eſt in poteſtate Chriſti, nec poteſt cuiquam ſine Chriſti uoluntate aut permiſſione nocere. Nam quemadmodum fœrox urſus magna catena fortiſſimi uiri manu ligatus & ſeruatus, non poteſt quenquam lędere, niſi aut temere propius acceſſeris, aut cuſtos catenã remiſerit, ita Satan tenetur manibus Chriſti, domini noſtri omnipotentis, duriſſima catena ligatus, nec poteſt in quenquam graſſari, niſi te ultro ei ingeſſeris, & Chriſtus eum ſoluerit. Tunc autem ingeris te ipſi ultro & temere, cum peccata deſignanda ſuſceperis, cum affectui peccati ceſſeris. Quare conferamus omnes curas & cogitationes noſtras in hoc ſtudium, ut in Chriſto maneamus, & peccata fugiamus. Sic enim fiet, ut à Satana tuti, fœliciter ex omnibus periculis euadamus per Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XXXXII.

AGNA ſunt, ac plane cœleſtia, quæ filius Dei de regno ſuo contionari cepit: Dixit, in regno ſuo longe aliam eſſe adminiſtrationem de peccato, de iuſtitia, & de iuditio, q̃ in regnis mundanis. Sed hæc ſunt maiora & excellentiorã, q̃ quæ diſcipuli in pręſentia capere potuerint: Inebriati enim opinione & expectatione mundani regni, non intelligebãt quæ dicebantur de ſpirituali regno Chriſti. Accedebat præterea dolor, quem ex commemoratione diſceſſus Chriſti conceperant, præ quo non ſatis aduertebant animum ad uerba Chriſti. Quare Chriſtus intermittit hoc argumentum contionis, & iterum pollicetur eis doctorem & conſolatorem ſpiritum ſanctum. Adhuc multa, inquiens, habeo, quę uobis dicam, ſed non poteſtis nunc portare. Cum autem uenerit ille, qui eſt ſpiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem. Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quęcunq; audierit, loquetur, & quæ futura ſunt, adnuntiabit uobis. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & adnuntiabit uobis. Omnia quæcunq; habet pater, mea ſunt, propterea dixi, q̃ de meo accipiet, & adnuntiabit uobis. Multa, inquit, habeo, quę uobis dicam, ſed non poteſtis nunc portare. Hoc dicto impie abutuntur hoſtes pię doctrinę Pontifices, & Monachi,

ad confirmandas humanas suas & impias de sacrificio Missæ, de purgatorio, de inuocatione mortuorum, de discrimine ciborum, de indulgentijs pontificijs, decp multis alijs nugis traditiones. Dicũt Christum non uoluisse hæc discipulis tradere, sed reiecisse ad reuelationẽ spiritus sancti, qui tradiderit ea Pontificibus & monachis. Sed quia hęc manifeste pugnant cum uera doctrina Christi & Apostolorum, quemadmodum mox indicabimus, nihil ineptius, nihil incogitantius dici potest, cp qp spiritus sanctus ea Monachis reuelauerit. Nam quod statim de spiritu sancto sequitur, perspicue indicat, spiritum sanctum non docturum aliena ab Euangelio Christi, & pugnantia cum doctrina eius, sed plane ea ipsa, quæ Christus docuit, illustraturum & confirmaturum. Quare percurremus ea, quę sequuntur, ut palam cognoscamus, quæ sint multa illa, quę Christus noluerit in hac contione pluribus persequi. Cum uenerit, inquit, ille, qui est spiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem. Quemadmodum in ijs locis, in quibus antea facta est mentio de spiritu sancto, tam natura cp offitium spiritus sancti nobis cognoscenda proponuntur, ita & in hoc loco utruncp de spiritu sancto obseruandum uenit. Quod enim ad naturam & essentiam eius attinet, sicut Christus in institutione baptismi aguoscit eum patri & sibi æqualem. Baptisantes, inquiens, in nomine patris & filij & spiritus sancti, ita & hoc loco tribuit ei eandem cum ipso maiestatem. Ducet, inquit, uos in omnem ueritatẽ. Hoc certe est opus diuinæ maiestatis. Et: De meo accipiet. Aequalis igitur est essentię cum Christo. Et: Me glorificabit. Quomodo posset Christum glorificare & illustrare, si esset eo minor? Ad patrem dicit postea Christus: Glorifica filium tuũ, ut & filius tuus glorificet te. Hic tribuit patri opus glorificandi filij. Cum igitur & patris & spiritus sancti idem sit opus maiestate, dubium non est, quin sint eiusdem essentiæ. Itaque spiritus sanctus essentia sua uerus est & æternus Deus. Et tamen non est eadem persona, sed distincta à patre & filio, id quod & hoc loco manifeste docetur. Dicit eñ: Ille, uidelicet, spiritus glorificabit ME, & oia quęcũcp habet PATER, mea sunt. Habes hic tres distinctas personas, patris & filij & spiritus sancti. Hęc pauca nũc de natura spiritus sancti suffitiunt. Accedamus ad offitium eius. Primum enim, spiritus sancti offitium est, Apostolos docere omnem ueritatem: Ducet uos, inquit, in omnem ueritatem. Quam, obsecro? Num Geometricam, an geoponicam, an politicã, an œconomicam? Multa enim sunt ueritatis genera. Etsi autem spiritus sanctus est omniscius, tamen hic non fit sermo de quauis ueritate uel politica, uel philosophica, sed de ueritate religionis, de uera religione, qua consequimur cœlestem iustitiam & salutem. Humanas ueritates dere-

bus

bus huius seculi, ratio ipsa humana suis naturalibus uiribus cognoscere potest. Sed in cognoscenda ueritate religionis, qua iustificamur coram Deo, & seruamur in morte ad æternam uitam, opus est spiritu sancto. Hic ergo omnem de religione ueritatem ita docebit, ut extra eam nulla alia de religione doctrina sit agnoscenda. Sed unde habebit, quòd sit docturus omnem ueritatem? Sequitur: Non loquetur à semetipso, sed quęcunq; audierit, loquetur. Hæc est manifesta antithesis spiritus sancti, & spiritus Satanę. Nam de spiritu Satanæ aliàs dicit: Cum loquitur mendatium ex propriis loquitur. Satan idcirco spiritus mendatij est, quòd quæ loquitur, ex seipso finxit. Spiritus sanctus autem est spiritus ueritatis, quia quæ loquitur, ea non finxit ex semetipso, sed audiuit à patre & filio. Procedit eñ ab utroq;. Quare quæ loquitur, ea sunt uerissima ac diuina. Deinde offitium spiritus sancti est glorificare seu illustrare Christum. Ille me, inquit, glorificabit. Quare spiritus, qui nõ illustrat sed obscurat Christũ, non est spiritus ueritatis sed spiritus mendatij. Spiritus sanctus aũt ideo illustrat Christum, quia de meo, inquit, accipiet. Procedit non solum à patre, uerumetiam à me. Omnia enim quę pater habet, mea sunt. Habet autem pater spiritum sanctum. Quare & meus est spiritus sanctus, & non docet ea quæ me obscurant, aut mecum pugnant. Sed priusquam ad reliqua pergamus, hoc dictum, Omnia quę pater habet, mea sunt, diligentius est considerandum. Valet enim ad confirmandam fidem in omnibus afflictionibus, ac in morte etiam ipsa. Christus enim donat se totum ei, qui credit in ipsum, & cooptat eum in suum cohæredem. Accepistis, inquit Paulus, spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater. Idem spiritus testatur unà cum spiritu nostro, quòd simus filij Dei, Quod si filij, igitur & hęredes. Hærędes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Quod si sumus cohæredes Christi, operæpretium est considerare, quę sit eius hæreditas, cuius cum ipso, in ipso, & propter ipsum participes sumus. Omnia, inquit, quæ pater habet, mea sunt. Pater autem habet æternam iustitiam. Ergo & Christus habet eam. Si Christus eam habet, habemus & nos eam, quotquot in Christum credimus, & cohęredes eius sumus. Quare si iuditium peccati conturbat conscientiam nostram, confidendum est iustitia Dei æterna, quæ nostra propter Christum facta est. Si paupertas molesta est, habemus diuitias Christi, ergo & Dei. Si mors imminet nobis, habemus uitam Christi, ergo & Dei. Omnia enim quę habet pater, sunt Christi, & propter Christum etiam nostra. Hęc meditanda sunt noctu diuq;, ut sciamus, quo coram tribunali Dei constare possimus. Quod cum ita se habet, pergamus ad aliud offitium spiritus sancti. Non solum docebit præterita, & il-

luſtrabit Chriſtum preſentem, uerumetiam adnuntiabit,(inquit)uo bis futura. Itaq; faciet ex uobis doctores & Prophetas. An non hoc in ſigne eſt offitium ſpiritus ſancti? An qui hoc offitium facit, non eſſet diuina maieſtate præditus? Sed uideamus nunc quando & quomodo hęc de ſpiritu ſancto impleta ſunt, quę Chriſtus hic promittit. Notę autem & perſpicuę ſunt res geſtæ in die Pentecoſtes, quo die miſſus eſt ſpiritus ſanctus, & cepit in Eccleſia ea perficere, quæ in hoc loco de ipſo prædicantur. Inſtituit enim & confirmauit doctrinam Euangelij de Ieſu Chriſto, ut uulgaretur per Apoſtolos in toto orbe terrarum. Audiamus igitur ſummam Apoſtolicę doctrinæ, quæ in die Pentecoſtes illuſtrata eſt, ut cognoſcamus, quę ſint illa MVLTA, quæ Apoſtoli non potuerunt antea portare, etiamſi ea ſępe audiuiſſent. Sed cognouerunt ea poſtea per ſpiritum ſanctum. Primum de perſona Chriſti, & uſu ſeu offitio eius. Prædicauit enim Ieſus Chriſtus ante paſſionem & reſurrectionem ſuam, ac teſtificatus etiam eſt multis & magnis miraculis, ſe uerum eſſe Meſſiam, ac uerum & unigenitum filium Dei, hoc eſt, Deum ipſum. Hoc etſi Apoſtoli audiuerunt & fide acceperunt, tamen non recte intellexerunt, nec firmam & ſtabilem aſſenſionem habuerunt. In die autem Pentecoſtes cognouerunt, autore ſpiritu ſancto, tanta certitudine Ieſum eſſe uerum Chriſtum ſeu Meſſiam, & uerum ab ęterno Deum, ut non ſolum ipſi firmo animo aſſenſerint, ſed etiam publice in toto orbe terrarum, extremis uitæ ſuæ periculis, conſtantiſſime uulgauerint. Prædicauit etiam Chriſtus ante paſſionem & reſurrectionem ſuam, ꝙ quicunq; crederet in ipſum, conſequeretur ęternam uitam. Sed Apoſtoli etiã hoc oſcitanter admodũ perceperũt. Poſtq; aũt miſſus eſt ſpiritus ſanctus in die Pentecoſtes, tantam huius uſus Chriſti cognitionem acceperunt, ut nullum alium ſeruatorem, pręter Ieſum Chriſtum & agnouerint ipſi, & docuerint alios. Petrus in prima contione, quam in die Pentecoſtes nomine omnium collegarum ſuorum, qui coram adſtabant, ſic ait: Certo ſciat tota domus Iſrael, ꝙ DOMINVM & Chriſtum fecerit Deus, hunc Ieſum, quem uos crucifixiſtis. Et poſtea. Hic eſt ille lapis, qui reiectus eſt à uobis ædificantibus, qui factus eſt caput anguli, nec eſt in alio quoq; ſalus. Nec enim aliud nomen eſt datum inter homines, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Et iterum: Huic omnes Prophetæ teſtimonium ferunt, ꝙ remiſſionem peccatorũ accipiat per nomen eius, quiſquis crediderit in ipſum. Quod cum ita ſe habet, manifeſtum eſt, ꝙ is ſpiritus, qui docet Ieſum non eſſe uerum Meſſiam, nec eſſe uerum Deum, non ſit ſpiritus ſanctus, ſed ſpiritus mendax, qualis eſt Thalmudicus, Mahumeticus & Arrianus. Manifeſtum etiam eſt, ꝙ is ſpiritus, qui tradit ſacrificium Miſſę, eſſe

meri

tum remissionis peccatorum, & ignem purgatorium esse expiationem pro peccatis, & alia opera esse merita ęternę uitæ, non sit spiritus sanctus, sed spiritus mendax. Si enim Christus solus est expiatio propeccatis nostris, & nos participes sumus Christi, per fidem, perspicuum est, quòd Sacrificium Missæ, & merita uel actionum uel passionum, non expient peccata. Quare traditiones Pontificum & Monachorum, de meritis Missarum, de igne purgatorio, deque id genus alijs nugis, non sunt numeranda inter MVLTA illa, quę Christus dixit Apostolos nō potuisse antequàm spiritus sanctus mitteretur, portare, & quæ spiritus sanctus in die Pentecostes reuelauit, sed inter ea numeranda sunt, quę Paulus dixit Spiritus impostores & dæmones posterioribus temporibus Ecclesię obtrusuros. Deinde uideamus de Regno Christi. Nam Christus multa prędicauit ante passionem de regno suo, & haud obscure significauit, regnum suum non esse mundanum, sed spirituale, in hoc quidem seculo multis aduersis obnoxium, in futuro autem fœlicissimum & perpetuum. Audiebant & hęc Apostoli, sed quicquid diceretur de regno, hoc ipsi ad mundanum regnum accommodabant. Postquàm autem missus est spiritus sanctus, aperte cognouerunt, & prędicauerunt regnum Christi esse spirituale & cœleste, non carnale aut terrenum. Oportet, inquit Petrus, Iesum Christum accipere cœlum usque in tempora restitutionis omnium quę locutus est Deus per os omnium sanctorum suorum à seculo Prophetarum. Quare doctrina Romani Pontificis de potestate sua, quam sibi in mundanis regnis usurpat, & gloriatur se id facere autoritate Apostolica, non est doctrina spiritus sancti, sed spiritus mendacis, qui hoc commento uerum regnum Christi obscurat. Prętea, Christus sępe ac multum significauit ante mortem suam, ꝙ lex Mosi abroganda esset, & Gentes ęquandę ludęis, & ꝙ Euangelion suū diuulgandū esset in totū orbem terrę, ut q̄tquot siue circūcisi siue incircūcisi credant in Christum, reputent coram Deo iusti, non propter merita operum, Sed tantum propter Christum, qui fide accipitur. Audiuerunt & hęc Apostoli, non tamen intellexerunt, sed existimauerunt, nullum posse fructum Christi capere, nisi onustum meritis operum legis, ideoque etiam post diem Pentecostes non uoluerūt recipere in communionem Christi Ethnicos, nisi ante ludæos factos circūcisione, sed spiritus sanctus tam uisionibus q̄ miraculis clare docuit, Non esse distinctionem uel ludæi uel Gręci. Eundem enim DOMINVM omnium diuitem esse in omnes inuocantes se, quemadmodum testantur Acta Apostolica cap. x. xi. & xv. Et Paulus ad Romanos & Galatas. Quare necesse est eam doctrinam, quam tradiderunt Pontifices & Monachi de meritis operum, non esse è spiritu sancto,

ſed è ſpiritu mendaci. Poſtremo ſpiritus ſanctus non tantum docuit Apoſtolos ea, quę antea audiuerant, uerumetiam adnuntiauit eis futura. Itaq; facta ſunt per ſpiritum ſanctum Prophetę. Non prophetarunt autem de regnis mundanis, de ſucceſſione & mutatione regnorum mundanorum, aut alijs corporalibus rebus, ſicut quondam Prophetæ ante aduentum Chriſti prophetarunt. In ueteri enim teſtamento promiſſus erat Chriſtus uenturus è certo populo, & è certa familia, eaq; regia, ac naſcendus in certo loco, promiſſum etiam erat, Euangelion Chriſti uulgandum è certo loco in totum orbem terræ. Ad has res neceſſaria eſt certa & definita populi ſedes, certa regio, & regnū. Quare neceſſarium etiam fuit in ueteri teſtamento, ut ſpiritus ſanctus excitaret prophetas, qui exponerent certitudines regnorum terrenorum, & mutationes eorum, ut manifeſtum fieret, in quo regno, in qua regione, & quo tempore Chriſtus ab initio orbis promiſſus, aduenturus, & quærendus eſſet. Poſtq; autem Chriſtus uenit, non eſt ad ſalutem neceſſaria cognitio de ſtatu regnorum mundanorum. Regno enim Chriſti & Euangelio eius non eſt definita certa ſedes in terra, ſed datus eſt ei in poſſeſſionem uniuerſus orbis terræ: Ite, inquit, in totum orbem terræ, & prædicate Euangelion omni creaturę. Et: In oēm terram exiuit ſonus eorum, & in fines terræ uerba eorum. Ac promiſſum quidem eſt. Reges terræ fore miniſtros & nutritios Eccleſię, plurimum etiam refert ad ſalutem regum ac principum, ut agnoſcant Chriſtum, & ſint membra regni Chriſti, non eſt autem certus locus, certa regio, certum regnum Eccleſiæ Chriſti definitum, ſed in quocunq; loco aut regno prædicatur Euangelion Chriſti, ibi eſt Eccleſia & regnum eius, nec pertinet ad Eccleſiam, quis ſit Monarcha in terra, & quę ſint ſucceſſiones ac mutationes regnorum & monarchiarum in hoc ſeculo, ſed quicunq; regum accipit Chriſtū, Deo gratus eſt & acceptus. Etſi enim Eccleſia maiorem habet externam tranquillitatem, ſub rege aut Monarcha pio, & agnoſcente etiā ipſo Chriſtū, tñ ſiue rex pius, ſiue impius fuerit Eccleſia ſemp erit martyr, hoc eſt, miſera & calamitoſa in hoc ſeculo. Oportet em̄ nos per multas tribulationes ingredi in regnum cœlorum. Et, Omnes qui pie uolūt uiuere, perſecutionē patient, ſi non á rege & magiſtratu, certe á ſuis ipſorum ciuis & amicis. Quare ſpiritus ſanctus nō adnūtiauit Aplis ea quę in terra futura erāt de regnis mūdanis, & de mutatiōibus eorum, ſed adnūtiauit ea, quę pprie ad Eccleſiā ptinent, uidelicet, de pſecutionibus, quas Eccleſia neceſſe habet in hoc ſeculo ferre, ſiue magiſtratus pius ſiue impius fuerit, de Antichriſto, de aduentu Chriſti ad extremum iuditium, & de uita æterna piorum ac perpetua damnatiōe impiorum. Audi Petrum prophetantem: Erunt inter uos falſi doctores, qui clam

inducēt ſectas pernitioſas, etiā DñM, qui illos mercatus eſt abnegantes. Et iterꝝ: Veniet dies Domini, ſicut fur in nocte, quo cœli procellę in mortē tranſibūt, elementa uero ęſtuantia ſoluentur. Audi & Ioannem, Filij, nouiſſimum tēpus eſt, & ſicut Audiuiſtis, ꝙ antichriſtus uenturus ſit, etiā nūc Antichriſti multi eſſe ceperūt. Vnde ſcimus nouiſſimum tempus eſſe. Audi & Paulum: Spiritus certo loquitur, ꝙ in poſterioribus temporibus deſciſcent quidam à fide attendentes ſpiritibus impoſtoribus. Et iterꝝ: In extremis diebus inſtabunt tempora periculoſa. Erunt enim homines ſui amantes, auari, faſtuoſi, ſuperbi, maledici, & reliqua quæ ſequuntur. Acrurſus: Non adueniet dominus, niſi uenerit defectio prius, & reuelatus fuerit homo ille ſceleroſus filius ꝑditus. Vides Apoſtolos nihil de regnis huius mūdi ꝓphetaſſe, ſed ea, quę proprie pertinent ad Eccleſiam Chriſti. Quare noſtri offitij eſt, non ea ſcrutari uelle, quæ de mundanis regnis in hoc ſeculo euentura ſunt, ſed præparare nos ad glorioſum aduentū DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, in quo ſolo noſtra perpetua ſalus conſiſtit. Habes quanta ſit autoritas Apoſtolicæ doctrinę, quę in die Pentecoſtes reuelata & cōfirmata eſt per ſpiritū ſanctū. Nam cū eius doctrinę autor ſit ſpiritus ſanctus, perſpicuum eſt, ꝙ omnes aliæ doctrinæ, quæ cum hac pugnant, ſint doctrinæ dęmoniorum. Damnatur igitur doctrina Thalmudica, Mahumetica, Papiſtica, & quicquid eſt harū doctrinarum. Neqꝫ enim licet nobis contra Apoſtolicā doctrinā, uel angelos aliud docentes, uel miracula aliud promittēta agnoſcere. Sola Apoſtolica doctrina, in die Pentecoſtes Apłis reuelata & confirmata, ea eſt, quę nobis ueram ſalutē oſtendit, per Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XXXXIII.

DIXIT Chriſtus aliquoties, ſe abire quidē, non tamen deſerturum diſcipulos ſuos, ſed rediturum maximo ipſorum commodo. Hanc conſolationē repetit nunc, ſed alia figura ſermonis, ut quod afflictis utile eſt, ſæpe ac multum proponatur conſiderandum. Eſt autem obſeruabilis conſolatio, & digna, quę in illuſtrem locum poſita ſit, & cui ſanctificatus ſit proprius dies dominicus, quo ſingulis annis publice in Eccleſia recitat. Nō ſolum eñ conſolatur Apoſtolos, ſed etiā uniuerſam Eccleſiam in ſuis afflictionibus, & exponit uerā rationē omniū afflictionū, quę pñs accidere ſolēt. Quare, magno ſtudio cognoſcēda eſt. Puſillū, inqꝫ, & nō uidetis me, et iterꝝ puſillū, et uidebitis me, ꝙa ego uado ad patrē. Nihil nec noui, nec obſcuri dicit. Idem eñ eſt, q̄d antea dixit: Si abi-

ero ad parandum uobis locum, iterum ueniam & assumam uos ad me ipsum. Et iterum: Non relinquam uos orphanos, ueniam ad uos. Ac rursus: Expedit uobis, ut ego uadam. Dicit ergo: Pusillum, & non uidetis me, hoc est, post paucas horas capiar, & abducar à uobis, ac crucifigar. Itaque carebitis aliquot diebus mea prę sentia, & magna tristitia affitiemini. Sed confidite. Iterum pusillum, & uidebitis me. Resurgam enim à morte, et reuelabo me uobis post meam resurrectionem, ut manifeste cognoscatis me ad patrem iuisse, me diuina maiestate ornatum esse, & cœlesti fœlicitate frui. Quę res afferet uobis maximum gaudium. Etsi autem hæc uerba Christi, si ad ea quę prius dicta erãt, conferantur, nullam continent obscuritatem, tamen discipuli non intelligunt ea: Dixerunt ergo quidam ex discipulis eius inter se: Quid est hoc, quod dicit nobis: Pusillum & non uidetis me, & rursus pusillum & uidebitis me, & quia uado ad patrem? Dicebant ergo. Quid est hoc, quod dicit pusillum? Nescimus quid loquatur. Audis discipulorum ruditatem & tarditatem. Quid ergo accidit eis, ꝙ tam perspicua uerba non intelligant? Primum, relicti erant suæ ipsorum humanæ prudentię, quę ad intelligendum uerbum Dei, quamuis clarũ, prorsus cęca est. Docemur igitur hoc exemplo, ꝙ ad intelligendum uerbum Dei necessarius nobis sit spiritus sanctus. Animalis homo, inquit Paulus, non percipit ea, quę sunt spiritus Dei. Et iterum: Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. Quare siue audituri sumus, siue in prę sentia audiamus, siue audiuerimus uerbum Dei, semper petendum est à Deo patre domini nostri Iesu Christi, ut illustret mentes nostras spiritu sancto suo, quo ea quę è sacra scriptura audimus, seu legimus, recte ac uere intelligamus. Nec dubitandũ est, quin Deus serio, diligenter & ex fide inuocatus beneficium spiritus sancti largiat. Si uos, inquit Christus, cum sitis mali nostis bona dona filijs uestris dare, quanto magis pater uester cœlestis dabit spiritum sanctũ poscentibus se. Deinde, Apostoli inebriati erant opinione & expectatione mundani regni & terrenę fœlicitatis. Non pollicebantur sibi de Christo, nisi corporalia & iucunda in hoc seculo beneficia. Quare non intelligunt, quæ de cruce, de afflictione, de mœstitia, & morte dicebantur. Suscipit igitur Christus uerba sua ipse interpretanda. Cognouit em̃ Iesus, ꝙ uellent ipsum interrogare, & dixit eis: De hoc quęritis inter uos, ꝙ dixi, Pusillum & non uidetis me, & iterum pusillum & uidebitis me. Amen amen dico uobis, plorabitis & lamentabimini uos, Mundus contra gaudebit. Vos autem mœrore affitiemini, sed mœror uester uertetur in gaudium. Non est obscura interpretatio. Cum enim dicit: Non uidetis me, significat se morte ab ipsis abiturum. Quæ res excitabit in eis magnum mœrorem,

rorem, ploratum & lamenta. Cum uero dicit: Iterum uidebitis me, significat se iterum a morte resurrecturum, quod afferet eis ingens gaudium, & maximam lætitiam. Describit autem Christus hoc loco apertissime, quę sit sors, quæ pars, quæ hæreditas Ecclesiæ suę in hoc seculo. Plorabitis, inquit, lamentabimini, & mœrore afficiemini. Sententia lata est, nec retractari potest. In mundo, ut postea sequitur, afflictionem habetis. Et Paulus: Omnes, inquit, qui pie uolunt uiuere in Christo Iesu persecutionem patientur. Negari quidem non potest, quin & impij habeāt suas afflictiōes & cruces, quippe cū uniuersum humanū genus obnoxium sit aduersis ꝓpter pc̄tum. Ad omnes enim homines pertinet, quod dictum est: Maledicta terra in opere tuo: In laboribus comedes ex ea cunctis diebus uitę tuæ. Et: In sudore uultus tui uescēris pane tuo. Accedit & hoc, quod Deus sæpe ac multum soleat impios etiam in hoc seculo uarijs calamitatibus propter impietatem affligere. Quare sui quoq; sunt impiorum ploratus & lamenta. Sed maximum est discrimen inter pietatem & impiorum afflictiones in hoc seculo. Cum enim impij aut scelerati affliguntur, habent qui casus ipsorum commiserantur. Vide mihi uel furem uel latronem, quem lictores ad publicum supplitiū educunt. Etsi enim homines detestantur scelera eorum, tamen & excusant & dolent de ipsorum supplitio, & optare solent, ut meliori fortuna uterentur. Cum autem pij affliguntur, primum quidem finguntur de ipsis horrenda & immania flagitia, deinde id plane accidit eis, quod Christus dicit: Mundus gaudebit. Hostes enim Ecclesiæ Dei, magno gaudio afficiuntur, si quando uiderint pios affligi, & quo crudelius trucidantur pij, eo sanctius putant illi terram expiari. An non manifestum huius rei exemplum proponitur nobis in Christo & Apostolis eius? Christus capitur & crucifigitur, Apostoli eius dispergūtur, & lugent. Hic ergo uideas ingentem impiorum lętitiam & insultationem: Speraut, inquiunt, in Deum. Liberet eum nunc, si uult. Et: Alios seruauit, seruet seipsum, si est Christus ille Dei electus: Sed idem testantur exempla omnium seculorum tam ante cꝫ post Christum. Dauid uehementer conqueritur de suis hostibus, q maximo afficiantur gaudio, de aduersis quę ipsi accidunt: Dilatauerunt, inquiens, super me os suum, dixerunt Euge, euge, uiderunt oculi nostri. Et mox: Erubescant & reuereantur simul, qui gratulant malis meis. Ac rursus: Auertantur retrorsum, & erubescant, qui uolunt mihi mala. Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi euge, euge. Sic cum affligerentur ciues urbis Hierusalem, qui erant populus & Ecclesia Dei. Ammonitæ plauserunt manu, concusserunt pedibus, gauisi sunt ex toto corde, dixerunt Euge euge. Sanctuarium pollutum est, terra Ezech. 25.

Iuda desolata est. Dixit & Tyrus de Hierusalem. Euge, euge, confractę sunt portę populorum. Post Christum autem, quanto gaudio affecti sint impij, in infœlicitate Ecclesię Dei, testatur Christus ipse, cum ait: Veniet tempus, ut quisquis interfitiat uos, uideatur cultum præstare Deo. Et quid sibi solennes illę uoces Ethnicorum de Christianis, Ad Leonem. Et: Tolle Sacrilegos, aliud significant, q̄ incredibile esse gaudium impiorum, de afflictione Ecclesiæ Dei? Cum igitur pij non solum ipsa crucis duritia, uerumetiam impiorum lętitia affligantur, magnum est discrimen inter piorum afflictiones & uulgares humani generis calamitates. Sed quid? Num afflictiones Ecclesię Dei sunt perpetuæ? Num perpetuus est mœror eius? Nihil certe minus. Mœror, inquit, uester uertetur in gaudium. Breuissimum dictum, sed latissime patens. Opponitur aūt & gaudio mœrori huius mundi. Gaudet mundus, sed gaudium eius uertitur in perpetuum mœrorem, ideoq̄ in mœrore desperat. Mœret Ecclesia Dei, sed mœror eius uertitur in perpetuum gaudium, ideoq̄ in mœrore optime confidit. Obsecro autem te, quid illud est, quo Ecclesia certa reddi-tur, q̄ mœror eius uertatur in gaudium, & quo firmam de uenturo et æternum duraturo gaudio fiduciam concipit? Num concipit eam ex humana ratione? Minime omnium. Nam si ex hac de euentu mœroris iudicauerit, pronuntiabit eum esse sempiternum. Videtur enim afflicto, ac prę sertim doloribus mortis comprehenso, si prudentię suę relictus fuerit, mœrorem nunc̄q̄ ullum finem habiturum, & crutiatus perpetuos fore. Cum enim non uideat adiutorem in terra, & in rebus humanis, putat nec in cœlo, nec in diuinis rebus ullum reliquum esse auxilium. Quare non est iudicandum de euentu mœroris ex humana ratione, aut ex præsenti doloris sensu. Quo ergo respitiendum est? Non certe alio, quàm quo Christus suos Apostolos remittit. Iterum, inquit, ueniam ad uos, uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollit à uobis. Hęc est contio de Resurrectione Christi. Nam Resurrectio Christi à mortuis, firmissimum pignus est, quo certi reddimur, q̄ quicunq̄ in Christum credit, non pereat in mœrore, sed habeat ętternam uitam. Nihil enim certius est, q̄ q̄ Christus resurrexit tertia Die à mortuis & sedit ad dexterā Dei, consecutus non solum liberationē ab omnibus doloribus mortis & inferni, uerumetiam cœlestem & perpetuam fœlicitatē. Christus, inquit Paulus, excitatus à mortuis, non amplius moritur, mors illi non amplius dominatur. Et iterum: Humilem præbuit semetipsum factus obediens usq̄ ad mortem, mortem aūt crucis: Quapropter & Deus extulit illum in summā sublimitatē, ac donauit illi nomē, q̄d est supra omne nomē, ut in noīe Iesu omne genu se flectat

ctat cœlestium, terrestrium & infernorum. En, hæc est maiestas & fœlicitas, in quam commutatus fuit dolor & mœror, quem Christus in passione, cruce & morte sua habuit. Non est autem sentiendum, ꝙ Christus resurrexerit, & cœlestem fœlicitatē acceperit sui solius gratia, sed quemadmodum mortuus est, propter peccata nostra, ita etiam resurrexit propter iustificationem nostri, ut quotquot in ipsum credunt, capiant cum ipso perpetuum fructum resurrectionis eius. Oseas dicit: Viuificabit nos post biduum. In die tertio faciet nos resurgere, & uiuemus ante faciem eius, hoc est, Sicut Christus resurget tertia die, ita nos fruemur eius resurrectione, ut æternam habeamus uitam. Christus ipse dicit: Iterum ueniam & assumam uos ad meipsum, ut ubi sum ego, & uos sitis. Et Paulus: Christus, inquit, resurrexit ex mortuis, primitię eorum qui dormierant, fuit. Postꝙ enim per hominem mors, etiam per hominem resurrectio mortuorum. Et iterum: Spiritus testatur unà cum spiritu nostro, ꝙ simus filij Dei. Quod si filij, igitur & hęredes. Hęredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si quidem simul cum eo patimur, ut & unà cum illo glorificemur. Ac rursus: Cum essemus mortui per delicta, conuiuificauit nos unà cum Christo, (per gratiā estis seruati) simulque cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit inter cœlestes. Et iterum: Cum essetis mortui per delicta & per præputium carnis uestrę simul cum illo, uiuificauit condonans nobis omnia delicta. Vides hunc esse fructum Resurrectionis Christi, ꝙ mœror Ecclesię uertatur propter Christum, in perpetuum gaudium. Quare hęc summa sit cura nostra, hoc sit studium nostrum, ut simus membra Ecclesię Christi, (id quod fit per fidem in Christum,) & ut ponamus nobis ob oculos Resurrectionem Christi, quæ certissimum pignus est, mœrorem nostrum, non fore perpetuum, sed mutandum in cœleste gaudium. Porro, ut in mœstitia maiorem habeamus consolationem, & spe futurę lętitię patienter aduersa feramus, ostendit Christus typum Resurrectionis, & consequendę lętitię in mœstitia, depictum esse in muliere prægnante, & parturiente. Mulier, inquiens, cum parit, dolorem habet, quia uenit hora eius. Cum autem peperit puerum, iam non meminit anxietatis, propterea ꝙ gaudeat hominem esse natum in mundo. Et uos igitur nunc quidem mœrorem habetis, sed iterum uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudiū uestrū nemo tollit à uobis. Obseruabile exemplum, ac initio magnam affert consolationē pijs mulieribus, ꝙ Christus hoc loco de dolore partus earum contionatur. Significat enim, ꝙ dolor partus non temere accidat mulieribus, sed accidat eis diuina ordinatione. Etsi enim omnes homines, qui ex Adamo descendunt, concipiuntur & nascuntur in peccato, & nonnullæ impudicæ

mulieres concipiunt liberos ex illegitimo & scelerato concubitu, tamen partus ipse & dolor partus sunt diuina ordinatio: Multiplicabo, inquit Deus ad mulierem, grumnas tuas cum conceperis, & in dolore paries filios. Quanꝯ autem hic dolor, maledictio est propter peccatum, tamen postꝯ Christus expiauit peccatum, mutata est hęc maledictio in benedictionem, ut ijs mulieribus, quæ credunt in Christū, dolor partus fiat propter Christum crux sancta, in qua Deo placeant, & à Deo conseruentur. Mulier, inquit Paulus, seducta, facta est obnoxia transgressioni, salua tamen fiet per generationē liberorū, si manserit in fide, dilectione, & sanctificatione cum castitate. Quare pręgnantes & parturientes mulieres reuocent in dolore partus sui hoc dictum Christi in memoriam, & inuocent Deum patrem domini nostri Iesu Christi, ut quam ipse imposuit crucē mitiget, & cum sit propter Christum filium suum propitius factus miseris mulierculis, conseruet eas clementer in summo ipsarum periculo. Deinde considerandum est, ꝙ Christus definiat hoc exemplo, quid sit dolor piorum, uidelicet, ꝙ sit dolor mulieris prægnantis. Qualis ergo est hic dolor? Certe dolor mortis est, & mulieres partui propinquę, morti propinquę esse uidentur. Sed quid? Num Deus imposuit pręgnantibus hunc mortis dolorem, ut uitam amittant & pereant? Minime omnium. Tantus quidem dolor partus est, ut mulieres eo laborantes existiment de uita sua actum esse, Sed ecce tibi, pro una morte redditur duplex uita, mulieris uidelicet. & filioli. Cum peperit puerum, inquit, iam non meminit anxietatis. Talis etiam est dolor piorum. Magna est grauitas afflictionis eorum. Et in media afflictione uidetur de salute ipsarum actum esse, adeoꝯ id fieri solet, quod Ezechias dicit: Venerunt filij usꝯ ad partum, & non est uirtus pariendi. Sed mane paulisper, & ueniet pro una afflictiōe, duplex gaudiū, ac pro maximo dolore, maxima consolatio. Nam quemadmodum tantus est dolor mulierum parturientium, ut eo uideatur genus humanum periclitari, & tamen non perit hoc dolore, sed potius cōseruatur, ita tantæ sunt calamitates, quę accidūt Ecclesię Dei, ut uideat in ijs peritura, & tñ euadit per eas ad summā salutē, idque nulla humana potentia, sed tm potentia Resurrectionis DOMINI nostri Iesu Christi, cui resurrectioni Ecclesia per fidē ita cōiuncta est, ut ab ea ne morte quidē auelli queat. Dices autem: An non moriuntur sępe mulieres in partu? an non accidit aliquoties, ut & mulier parturiens, & filius nascendus una in partu intereant? Vbi ergo manet mulieris gaudium? Hęc non est otiosa aut superuacanea interrogatio. Sicut enim mulieres parturientes aliquoties moriuntur in partu, & nullum uidentur consequi gaudium, ita & pij, uel tandem in hoc mundo aut occiduntur, aut una

cum

cum alijs hominibus morte intereunt. Vbi ergo est illorũ gaudiũ? Dicamus igitur primum de mulieribus. Exemplũ enim, quod Christus proposuit, non in hoc producitur in medium, ut significetur omnes mulieres partu laborantes, fœliciter parere, & externum gaudium consequi. Mortua est in partu sancta mulier Rahel, uxor Patriarchę Iacob. Moriuntur & quædam aliæ mulieres tam piæ q̃ impię in partu. Sed in hunc usum producitur istud exemplum, ut ostendatur, quid generaliter, iuxta communem rerum cursum fiat. Generalis Dei ordinatio est, ut dolorem in partu, sequatur nato filiolo, gaudium. Mulier autem, si uelit, efficere potest, ut etiamsi diuersum acciderit, & necesse habeat in partu una cum filiolo mori, uerum gaudium consequatur, si non corporale, & euanidum, certe spirituale, cœleste & perpetuũ. Initio enim mulieres prægnantes cogitare debent, se gestatione uteri & partu, uersari in diuina ordinatione. Etsi enim quędam impudicę mulieres concipiunt illegitime, tamen ipsa uteri gestatio et partus est diuina ordinatio. Deinde, quod est omnium hominum officium, agnoscere debent peccata sua, & credere in Christum, q̃ propter ipsum Deus sit propitius & remittat peccata. Adhæc inuocare debent Deum patrem domini nostri Iesu Christi, ut propter Christum adiuuet ipsas in summo suo periculo. Postremo suscipiant se sobolẽ, quam Deus daturus est, ad cognitionem Christi, pro uiribus sua educaturas esse. Deus enim dat parentibus liberos, non ut educent terrenos tantum ciues, & ut liberi sectentur uanitatem huius mundi, sed ut educent cœlestes ciues, & liberi cognoscant uerum Deum patrem domini nostri Iesu Christi, per spiritum sanctum, quæ sola cognitio, uita est æterna. Hęc si prægnantes mulieres fecerint, nullam faciunt iacturam in partu, siue uiuant, siue moriantur. Si enim non consequuntur corporale & externum gaudium, nihil certius est, q̃ q̃ consequãtur in Christo Iesu cœleste & perpetuum gaudiũ, cuius minima pars non est æquanda uniuerso huius mundi gaudio. Sic etiam sentiendum & dicendum est de omnibus ijs, qui magnis & extremis periculis obijciuntur. Primum enim, siue temere te in pericula conieceris, siue legitime in ea incideris, diuinitus immittuntur. Quare cogites te in sustinendis periculis & afflictionibus uersari in diuina uocatione, deinde agnoscas peccata tua, & credas in Iesum Christum, q̃ hic solus sit expiatio peccatorum, & iustitia tua. Præterea, inuoces Deum patrem domini nostri Iesu Christi, ut te propter filium suum Iesum Christum seruet. Postremo suscipias uitam tuam, diuina spiritus sancti gratia, regendam & gubernandam iuxta uerbum DOMINI, ut declares gratitudinem tuam erga Deum seruatorem nostrum. Hæc si feceris, fieri non potest, quin magnum dolorem sequatur maius gau-

dium, si non terrenum, certe cœleste, si non humanum & euanidum, certe diuinum & perpetuum. Iraq; nullam facies iacturam, siue uita siue mors sequatur. Nullus nostrum, inquit Paulus, sibi ipsi uiuit, & nullus sibi ipsi moritur. Nam siue uiuimus, domino uiuimus, siue morimur, dño morimur. Siue igit uiuamus siue moriamur, DOMINI sumus. In hoc enim Christus & mortuus est & resurrexit, & reuixit, ut mortuis ac uiuentibus dominetur. Et iterum: Mihi uita, Christus est, & mors lucrum. Hæc diligenter meditanda & facienda sunt in omnibus aduersis, ut ea fortiter feramus, & fœlicem eorum euentum nobis certe polliceamur per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXXXIIII.

AGNA piorum consolatio est, q̄ mœrorem ipsorum certū sequatur gaudium, idq; minime simplex & euanidum, sed cœleste & perpetuū. Gaudebit, inquit, cor uestrū, & gaudiū uestrum nemo tollit à uobis. Etsi em̄ in hoc seculo nullū gaudiū solet esse diuturnū, sed quemadmodū suę sunt uicissitudines hyemis & ęstatis, noctis & diei, pluuię & serenitatis, ita suæ etiā sunt successiones tristitię & lætitiæ, mœroris & gaudij, tamen gaudiū, q̄d pij cōcipiūt ex cognitione Christi, & resurrectionis ac regni eius, non est momentaneum aut mutationi obnoxium, sed est sempiternum, quod in hoc quidem mundo suam habet imbecillitatem, in uenturo autem seculo perfitietur absolutissime, & durabit perpetuo. Quare committendum nō est, ut in mœrore abijciamus Christum, sed potius, ut tanto diligentius Christum per fidem conseruemus, quanto grauior est afflictio, quo uerum gaudium consequamur & conseruemus. Ac de his quidem hactenus. Nunc autem commemorat Christus alia beneficia, quę collaturus est post mœrorē in Apostolos & Ecclesiam suā,

„ „ postq̄ resurrexerit à mortuis, & sederit ad dextram patris sui. In illo

„ „ die (inquit) me non interrogabitis quicquam. Amen amen dico uobis, quęcunq; petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Quæramus primum de quo die Christus loquatur. Cum autem supra dixerit. Iterum ueniam & uidebo uos. Et: Paracletus, quem mittet pater meo nomine, docebit uos omnia, & ducet uos in omnem ueritatem, manifestum uero sit, q̄ hæc à die resurrectionis Christi, & missionis spiritus sancti impleta sint, manifestum etiam est, q̄ Christus loquatur hic

tur hic de die seu tẽpore, quo resurrexit a' mortuis, et misit discipulis suis spiritum sanctũ. Eo igitur tẽpore cõtulit Christus in discipulos, hoc est, in uniuersam Ecclesiã suam duo maxima beneficia. Alterũ est. Non interrogabitis me quicq̃, hoc est, Vos ipsi oia ita cognoscetis, ut non necesse habeatis me amplius quicq̃ interrogare, & ex me cognoscere. Nam spiritus sanctus docebit uos omnia, & ducet uos in omnem ueritatem. Alterum est: Quæcunq̃ petieritis patrem in nomine meo dabit uobis, hoc est, omnia impetrabitis nomine meo, a Deo patre. Itaque Christus promittit hoc loco, se, misso spiritu sancto, effecturum, ut Apostoli & omnes credentes in ipsum fiant omniscij, &, ut ita dicam, omnipotentes. Quibus beneficijs, quid potest maius dici, aut cogitari? Omnia enim scire, & omnia apud Deum posse, excellit omnem humanã industriam, dignitatem, & maiestatem. Sciamus igitur, quomodo hæc intelligenda sint, ut nihil temere affirmemus. Ac initio de omniscientia piorum. Christus enim, cum dicit pios omnia ita cognituros, ut non amplius necesse habeant ipsum interrogare, non loquitur de quibusuis rebus, aut de ijs, quæ cognitioni humanę rationis subiectæ sunt. Non enim sentit Apostolos & alios pios cognituros, per spiritum sanctum, omnia humana opificia, omnes humanas artes, & intellecturos omnia obscura in philosophia Gentiũ. Hęc, etsi habent suum quendam usum, tamen possunt absq̃ singulari dono spiritus sancti, humana tantum ratione comprehendi, & non pertinent proprie ad regnũ Christi. Sed loquitur Christus de ijs rebus, quę cognoscendæ sunt ad consequendam ueram coram Deo iustitiam, & perpetuam salutem. Non interrogabitis me quicquam, hoc est, Spiritus sanctus ita uos omnem ueritatem docebit, ut cognoscatis omnia quę sunt uobis necessaria ad salutem. Cognoscetis enim me esse uerum Messiam, meum regnum non esse mundanum, sed cœleste, meum officium esse expiare peccata uestra coram Deo, & reconciliare uos cum Deo. Cognoscetis omnes eos, qui in me credunt, reputari coram Deo iustos, & adoptari in filios ac hęredes Dei, cognoscetis item uerum usum & finem legis, uidelicet, q̃ lex non iustificet, sed occidat potius, & hoies ad me remittat, ut mea solius gratia, per fidem, iustificent. Breuiter. Cognoscetis me solum esse sapientiam, iustitiam, sanctificationem & redemptionem uestram. Cognitiones & scientię aliarum rerum, etsi humano generi utiles esse possunt, tamen sine cognitione Christi, nihil sunt. Sola autem cognitio & scientia Christi, etiamsi fuerit sine aliarum rerũ cognitione, tñ ęterna est uita & fœlicitas. De hoc beneficio, quod spiritus sanctus esset in Ecclesiam a die Pentecostes, collaturus contionati etiam sunt Prophetæ. Ioël dicit: Effundam spiritum meum, dicit DñS, super omnem

carnem & prophetabunt filij uestri & filiæ uestræ. Senes uestri somnia somniabunt, & iuuenes uestri uisiones uidebunt. Hoc dictum est, ut & Petrus interpretatur, de publica reuelatione Euangelij de Christo, ex quo Euangelio manifeste cognoscuntur omnia ea, quę nobis ad consequendam iustitiam & salutem necessaria sunt. In Esaia, de reuelato Euangelio Christi dicitur: Repleta est terra scientia DOMINI, sicut aqua maris omnia operiens. Et apud Hieremiam: Non docebit ultra uir proximum suum, & uir fratrem suum dicens: Cognosce DOMINVM. Omnes enim cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum. Hæc non eo rapienda sunt, uel quòd Apostoli omnia post acceptum spiritum sanctum in die Pentecostes, ita exacte cognouerint, ut non indiguerint amplius alijs spiritus sancti reuelationibus, cum Petrus non uoluerit Gentes adhuc incircũcisas ad communionem Euangelij recipere, nisi cœlesti uisione admonitus, quemadmodum scribunt Acta Apostolica, uel quòd nos non debeamus post acceptum Baptismum, qui est lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, sacræ scripturæ operam dare, & contiones piæ doctrinæ audire. Sed quòd is qui assecutus est, autore spiritu sancto, uerã cognitionẽ Christi, etsi quędã ignorat, & necesse habet in fide Christi subinde magis ac magis per uerbum Dei illustrari, confirmari, & crescere, tamen quantum attinet ad Christum ipsum, qui per fidem cognitus est, nihil prorsus deest credenti ad salutem. Ac habuerunt etiã Patriarchæ Christum per fidem, postq; aũt Euangelion reuelatum est per spiritum sanctum in die Pentecostes, & uulgatum in toto orbe terrarum, tantum superat nostra cognitio, Patriarcharum de Christo cognitionem, quantum lux, tenebras, & dies noctem. Nunc propius, inquit Paulus, adest nobis salus, q; tum cum credebamus. Nox progressa est, dies autem appropinquauit. Et aliàs uocat Euangelion Christi, mysterium æternis temporibus tacitum, nunc uero manifestatum, & in omnes gentes patefactum. Quare agnoscamus hoc beneficium Dei, & amplectamur hanc lucem Euangelij grato animo, ut quicquid reliquum in nobis est tenebrarum, splendore Christi dispellatur. Deinde contionatur Christus de omnipotentia piorum. Amen amen dico uobis: Quæcunq; petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Si Deus pater dat petentibus nomine Christi, quæcunq;, quæcunq; inquam, petierint, certe tales petentes sunt precibus suis apud Deum omnipotentes. Hoc ut recte intelligamus, primum omnium cognoscendum est, quid sit petere aliquid à Deo, nomine Christi. Sciamus igitur, quis sit Christus, & quod sit officium eius. Christus enim est unigenitus & æternus filius Dei, qui assumpsit hominem, & uenit in mundum, ad hunc usum, ut placa-

caret morte sua peccata nostra, & reconciliaret nos Deo patri suo. Et hunc Christum Deus pater ita diligit, ut reputet iustos, & adoptet in filios ac hæredes suos, omnes illos, qui amplectuntur ipsum fide sua. Petere igitur aliquid à patre nomine filij sui Christi, est credere, ꝙ Christus placauerit nobis patrem, & pater faueat nobis propter Christum, ac petere ex hac fide, ut Deus largiatur nobis propter Christū beneficia sua. Itaq; petere aliquid nomine Christi duo complectitur. Alterum est fides in Christum, quòd ipse sit propitiatio nostra coram Deo. Alterum est inuocatio propter Christum, & propter propitiationem ab eo factam. Non enim habemus aliud, propter quod à Deo beneficia petamus. Nostra iustitia, si qua est, infirma est, & uitiata, nec potest in conspectu Dei constare. Sed & sanctorum omnium iustitia per se sordet coram Deo. De omnibus enim dictum est: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Quare nec nostrę, nec sanctorum iustitię nomine possumus Deum inuocare & beneficia ab eo petere. Sola iustitia Christi perfecta est, & constat in iudicio Dei. Solus Christus sua sanctitate Deo patri acceptus est. Amat autem nos pater propter Christum, si in eum credimus. Sic enim mox ait: Ipse pater amat uos, quia uos me amastis, & credidistis, ꝙ à Deo exiuerim. Reliquum igitur est, ꝙ patrem, solo nomine Christi & propter Christum inuocare queamus & debeamus. Et ꝙ hi, qui contemnunt & nō credūt in Christū, non possint Deum uere inuocare, etiāsi uerba inuocationis sexcenties iterēt. Quod cum ita se habeat, uideamus nunc, quę per QVÆCVNQVE, sunt intelligēda. Dicit enim Christus: QVÆCVNQVE petieritis. Quę ergo sunt illa QVÆCVNQVE? Hic considerandum est, in qua materia, & in quo argumento dicēdi Christus uersetur. Non em̄ loquit̄ de omnibus rebus indiscriminatim, sed de omnibus, quę ad regnū Dei, & ad gloriam ac sanctificationē nominis eius pertinent. Primum igitur per QVÆCVNQ; non intelligit iniusta, & impia. Quale esset, si quis peteret, ut liceret ipsi impune scortari & furari. Aut si qui sunt facti hostes pię doctrinę, tamen peterent in nomine Christi, ut Deus fortunaret bellum, quod aduersus Ecclesiam suscipere uellent. Hoc certe esset petere, ut Deus faueret impietati, & iuuaret crudelitatem. Qua petitione, quid esset impudentius, aut detestabilius? Deinde Christus non intelligit per QVÆCVNQVE, ea, quę sunt aliena à nostra uocatione. Apostolorum uocatio erat, non solum prædicare Euangelion Christi, uerumetiā ædere miracula. Infirmos, inquit, sanate, leprosos mundate, mortuos suscitate. Quare quęcunq; Apostoli in hac uocatione à patre, nomine Christi petierunt, ea ita impetrarunt, ut & infirmos mi-

Act. 3. rabiliter sanarent, & mortuos suscitarent. Petrus ad claudum dicebat. In nomine Iesu Christi Nazareni, surge & ambula. Claudus protinus consolidatis plantis exilijt, & ambulauit. Venit & Petrus ad Dorcadem uiduam mortuam in Ioppe. Cum igitur positis genibus

Act. 9. orasset, ut Dorcas resurgeret, impetrauit, quæcunq; petijt. Dorcas enim uiua surrexit. Nam hęc erat uocatio Petri. Nostra autem, qui hoc tempore prædicamus Euangelion Christi, uocatio quidem est, docere Euangelion, non autem ędere talia miracula, qualia Apostolis concessum fuit ędere. Quare nisi quis singulari spiritu Dei excitaretur ad ædenda miracula, non fieret uoti sui cõpos, etiamsi inuocato Deo per nomen Christi, iuberet mortuum ad hanc corporalem uitam redire. Nostra enim uocatio hoc tempore non est, ut miracula ædamus. Commemorarunt nobis his diebus amici fide dignissimi, mulierem anabaptistico spiritu afflatam, eò insanię processisse, ut existimarit, se posse, exẽplo Mosi, uicinos suos cœlesti Manna pascere. Vocatis igitur uicinis ad prandium, cum nihil ciborum ad focum paratum esset, & ex ordine ad mensam collocatis, uertit se mulier ad preces, et petijt, ut cibus è cœlo mitteretur. Hic tum hospites attoniti sedere, & cœlestẽ cibũ expectare. Quid plura? Deus uanissimas preces mulieris nõ audit, & conuiuę spe sua falli, uel tandem domum suam famelici repetere coguntur. Mosi enim uocatio fuerat, non huius superstitiosæ mulierculę, Manna de cœlo dare. Quare in inuocatione petenda sunt ea, quę ad nostram uocationem pertinent. Nam quæ sic in nomine Christi petierimus, ea omnia dabit nobis cœlestis pater. Postremo Christus, cum dicit, QVÆCVNQVE, non intelligit ea, quæ sunt ab ipsius officio aliena. Quale esset, si quis peteret à Deo in nomine Christi, ut daret ipsi magnam uim auri, & multum pecuniæ, aut ut faceret ex ipso regem mundanum. Hęc non esset uera petitio, nisi si quis singulari uerbo Dei huc uocaretur. Generale enim officium Christi non est, externam pecuniam cultoribus suis distribuere, aut creare ex ipsis reges mundanos. Apud Matthæum petunt duo discipuli, ut unus sedeat ad dexteram Christi in regno eius, alter ad sinistram. Sed audiunt: Nescitis, quid petitis. Apud Lucam petunt Iacobus & Ioannes, ut Christus iubeat ignem descendere, & consumere Samaritanos, quòd non reciperent eum in suam ciuitatem, sed & ipsi audiunt: Nescitis cuius spiritus estis uos. Filius enim hominis non uenit ad perdendum animas hominum, sed ad seruandum. Nam uerum officium, & propria uocatio Christi est, placare iram patris, reconciliare humanum genus Deo, remittere peccatum, conseruare in morte, & dare cœlestem uitam ac fœlicitatem. Quodcunque igitur harum spi-

ritualiũ

ritualium & cœlestium rerum petierimus patrem nomine Christi, dabitur nobis. Quid ergo dicemus de terrenis rebus? Quid? Si quispiam aut fame afflictus, aut difficili morbo grauatus, aut ab hostibus circumuentus fuerit, non petat à Deo patre nomine Christi panem, corporalem sanitatem, & externam ab hostibus liberationem? Quid? non petam, ut Deus defendat amicum suscipientem ex uocatione sua periculosam peregrinationem? Certe hæc & id genus alia beneficitia Dei corporalia petenda sunt, sed his conditionibus quas iam enumerauimus, primum enim, corporalia beneficitia non sunt petenda, ut abutamur ipsis ad peccandum aduersus Deum. Qualis enim, & quàm impia esset hæc oratio, si quis diceret, Peto domine, in nomine Christi filij tui, ut me restituas pristinæ incolumitati, quo possim pro mea libidine helluari aut scortari? At sic orant hi, qui in morbo non resipiscunt, sed cogitant, se si recuperauerint sanitatem, uetera sua scelera sectaturos. Deinde petenda sunt corporalia beneficitia ad hunc finem, ut ijs seruiamus legitimę nostrę uocationi, et ut gloria nominis Dei promoueat, ac nostræ perpetuę saluti consulatur. Sed quia nos non possumus humana ratione cognoscere, quæ corporalia proprie conducant ad illustrationem gloriæ Dei, & quæ utilia sint ad nostram uocationem & salutem, idcirco in petitione beneficiorum corporalium, semper addendum est, quod Christus ipse addidit, cum precaretur, ut transiret ab ipso calix passionis: Non, quod ego uolo, inquiens, sed quod tu uis. Et quod docuit nos in dominica oratione: Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum, Fiat uoluntas tua, quemadmodum in cœlo, sic & in terra. Quare, cum Christus dicit, QVÆCVNQVE petieritis, intelligit per QVÆCVNQVE, omnia spiritualia & corporalia beneficitia, sed hoc discrimine, ut cum spiritualia & æterna proprie pertinent ad regnum Christi, & gloriam nominis Dei, ac ueram nostram salutem, petamus ea sine ulla exceptione, in nomine Christi, certa fiducia concepta, quòd contingant nobis diuinitus propter Christum, corporalia autem, quia de ipsis humana ratione iudicare non possumus, petamus cum hac additione, ut fiat uoluntas DOMINI, & quod in ipsius oculis bonum uidetur. Habes, quàm late pateat, quod Christus dicit: QVÆCVNQVE petieritis patrem in meo nomine, dabit uobis. Ac profecto nostra culpa & ignauia accidit, si quid rerum utilium ac necessariarum nobis defuerit. Cur enim hoc non petimus à Deo? An deterrent nos a petitione peccata nostra? Sed Christus peccata expiauit? An iudicamus nos benefi-

tijs Dei indignos? Recte. Indigni quidem sumus, sed Deus sua sponte nos his dignat, primum præcepto. Præcepit enim ut in periculis inuocemus ipsum. Non præcepisset autem, nisi uellet inuocationem exaudire & iuuare, deinde, promissione. Promisit enim se daturum, quæcunque credentes petierimus. Quid autem promissione Dei uerius aut certius. Postremo addidit etiam iuramentum: Amen, amen, inquiens, Quid autem iuramento filij Dei firmius? Petamus igitur & accipiemus, quęramus & inueniemus, pulsemus & aperietur nobis. Cæterũ, hocloco diligenter considerandũ est, quòd cũ sermo nobis est de oratione seu inuocatione Dei, non loquimur de publicis Litanijs, quæ sunt in Ecclesia solennes. Hæ Litaniæ, si piæ fuerint, (Nam illę Litanię, in quibus inuocantur mortui, impię sunt) suum quidem usum habent. Sunt enim pędagogia Ecclesię, & admonent Ecclesiam de præsentibus periculis, & de ijs rebus, pro quibus nomen domini inuocandum est, non absoluunt autem, per se, ueram Dei inuocationem, & magna diligentia cauendum est, ne inferamus in eas superstitionem & impietatem Iudaĩcam, ac Papisticam. Iudæi enim duxerunt impiam & sceleratam uitam, sed habebant in templo solennia sacra & precationes. Itaq; cum affligerentur fame aut bello, aut pestilentia, aut alia calamitate, statim omni festinatione in templum ad facienda sacra properabant, interim autem nulla erat resipiscentia, nulla uera agnitio peccati, nulla uera fides de peccati remissione, nulla sceleratę uitę in melius mutatio. Tantum solennia illa sacra peragebant, quorum meritis pollicebantur sibi expiationem peccatorum suorum, & liberationem a præsenti calamitate. Et quæ scelera designauerant ante sacrorum peractionem, ad ea, peractis iam sacris, secure reuertebantur. Hęc est magna impietas, & per Prophetas grauissime reprehensa. In Esaia dicit DOMINVS: Quo mihi multitudo uictimarum uestrarum? Et mox: Incensum abominatio mihi est. Neomeniam & sabbatum & alias festiuitates non feram. Iniqui sunt cœtus uestri. Et: Cum extenderitis Manus uestras, auertã oculos meos à uobis, & cum multificaueritis orationem, non exaudiam. Quam obrem? Sequitur, quia manus uestræ sanguine plenæ sunt. Et apud Hieremiam: Hæc dicit Dominus Zebaoth Deus Israel: Holocautomata uestra addite uictimis uestris & comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus uestris, & non præcepi in die qua eduxi eos de terra Ægypti de uerbo holocautomatum & uictimarum, sed hoc uerbum præcepi eis dicens: Audite uocem meam, & ero uobis Deus, & uos eritis mihi populus. Et in Osea: Misericordiam, inquit, uolo, & non sacrificium, & scientia Dei pluscũ holocausta. Vides Israelitas

litas attuliſſe ad ſua ſacra impœnitentiam, & ſacra alioqui legitima et pia, damnata eſſe propter impietatem populi. Eadem dicenda ſunt de papiſticis moribus. In regno enim papiſtico excogitata ſunt quædam ſacra, uidelicet, Miſſæ, Proceſſiones, Litanię mortuorum inuocatrices, certa ieiunia, ordines monaſtici, & id genus alia. In hęc ſacra reiecerunt tam populus q̄ ſacerdos omnem iuſtitiam. Nulla enim cura fuit piæ & honeſtæ uitę, nulla habita ratio ueræ pœnitentiæ. Poſtquam autem uenerat calamitas uel belli uel peſtilentiæ, uel famis, continuo properabatur ad hęc ſacra peragenda. Ac uidentur quidem homines, dum ſacra peraguntur, ualde pij, ſed impie ſentiunt, quia confidunt ſe meritis horum ſacrorum placare iram Dei, & manent impœnitentes, quia mox ut ſacra peracta ſunt, ad priſtina ſcelera reuertuntur. Hęc eſt antiqua Papiſtarum impietas, propter quam etiam ea ſacra, quę habent aliquam utilitatem, fiunt inutilia & impia. Quid ergo faciamus? Abijciemus ne pias illas & ſolennes Litanias, q̄bus hoc tempore in Eccleſia utimur, ne & ipſę fiant impię? Minime, Sed non inferamus in eas impietatē Iudaïcam & Papiſticā. Non exiſtimemus nos hoc Litaniarum cultu defunctos eſſe uerę inuocationis officio, ſed inuocemus DOMINVM ſine intermiſſione. Oportet ſemper, inquit Chriſtus, orare, nec defatigari. Et Paulus: Indeſinenter orate. Orabimus autem indeſinenter, non ſi ſine intermiſſione recitauerimus uerba orationis, ſed ſi reſipuerimus, & in uocatione Dei ambulauerimus, & crediderimus, quòd Deus nobis ſit propitius propter Ieſum Chriſtum filium eius, & ex hac fide inuocauerimus Deum, ſi non uerbis, certe gemitibus & ſuſpirijs. Hæc eſt oratio, quæ penetrat nubes, & conſiſtit ante thronum diuinæ maieſtatis, & impetrat quæcunq̄ petierit, per Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XXXXV.

QVM Propheta Zacharias uaticinaretur de beneficijs noui teſtamenti, commemorat hanc promiſſionem Dei: Effundam ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Hieruſalem ſpiritum gratiæ & precum. Quod igitur Propheta futurum prædixit, hoc Chriſtus iam inſtare adnuntiat: Amen amen, inquiens, quęcunque petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. De quo ſententia & promiſſione, antea, quantum

quidem in præsentia satis uidetur, diximus. Nunc autem, ut beneficium huius promissionis magis illustretur, opponit Christus inter se tempora ueteris & noui testamenti, & addit caussam, cur Deus omnia det beneficia his, qui inuocant ipsum in nomine suo.

» Hactenus, inquiens, non petistis quicq̃ meo nomine. Petite, (meo
» nomine) & accipietis, ut gaudium uestrum sit perfectum. Quid obsecro, hoc uerbi est? Hactenus nihil petistis meo nomine? Apostoli igitur nunq̃ uere inuocauerũt Deum patrẽ? Non em̃ potest Deus uere inuocari, nisi per Christum filium suum. An non crediderũt in Christum? An non habuerunt sua quædam dona spiritus sancti, ex quo spiritu sancto confessi sunt de Iesu. Tu es Christus ille filius Dei uiuentis? Accedit huc, q̃ Christus ipse docuit eos orare, Pater noster, qui es in cœlis? Si hanc orationem non recitauerunt in nomine filij Dei, certe nunquam recte orauerũt. Et si Apostoli non inuocauerunt hactenus patrem in nomine filij sui, multo minus uidentur Patriar-
Matt. 13. chę & Prophetæ Deum, recte inuocasse, quippe q̃ Apostoli præ his beati a Christo pronuntiantur. Quid ad hęc dicemus? Christus non negat, Apostolos pie inuocasse Deum, sed confert inter se tempora, & distinguit inter obscuram & reuelatam sui cognitionem. Nam Apostoli, & ante ipsos, Patriarchę & Prophetæ crediderunt quidem in Christum, & inuocauerunt Deum ex hac fide, (non enim potuissent uera fide dicere: Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam, nisi spiritu credidissent, Deum esse misericordem & propitium propter semen mulieris aut Abrahæ) nondum habuerunt autem reuelatam cognitionem Christi, qualis patefacta est in die Pentecostes per spiritum sanctũ, & uulgata in toto orbe p Euãgelion. Quare, etsi inuocauerunt Deum ex fide in Christum, non tamen inuocauerunt eum reuelata Christi cognitione, sed obscura, & multis adhuc tenebris inuoluta. Nunc propius, inquit Paulus, adest nobis salus, q̃ tum cum credebamus. Nox progressa est, dies aũt appropinquauit: Aliud est noctis, aliud diei tempus. In nocte accendit lumẽ lucernę, ut uel aliquo modo tenebras disp̃tias. Interdiu autem lucet lumen Solis. Sed quantum, obsecro, discrimen est inter lumen Solis, & lumen lucernę? An non lumen lucernę obscuratur luce Solis? ita aliud est tempus ueteris testamenti, ante diem Pentecostes, aliud tempus noui testamenti, post aduentum Christi, & reuelationem Euangelij de Christo. Illud suas habet lucernas, uidelicet Propheticas promissiones de Christo, & sacrificia adumbrantia Christum, quibus pij, utcunque quidem, sed quantum ad salutem satis erat, potuerunt Christum cognoscere. Hoc autem tempus, habet clarissimum lumen Solis, In die em̃ Pentecostes Euãgelion de Christo sic reuelatũ & illu-

stratum

ſtratum eſt, ut ex eo perſpicue cognoſcatur Chriſtus & regnum eius. Quare, ſicut ante diem Pentecoſtes obſcura fuit cognitio Chriſti, & regni eius, ita etiam obſcura fuit inuocatio in nomine Chriſti, poſtq; autem ſpiritus ſanctus miſſus eſt, & Chriſtus illuſtratus, perſpicuum iam eſt, non eſſe aliud nomen, præter Chriſtum, hominibus datum, in quo oporteat eos inuocare Deum, & ueram ſalutem conſequi. Agamus igitur DOMINO gratias pro beneficio huius lucis, & demus operam gratitudine, ne eam lucem amittamus, & tenebris obruamur, ſed ut ea illuſtrati, Deum uere & retecta facie in nomine Chriſti inuocemus: Petite, inquit, & accipietis. Hactenus non petiſtis quicq;, reuelata uidelicet cognitione, in nomine meo. Nunc autem, poſtq; miſero ſpiritum ſanctum, petetis nomine meo manifeſte, & accipietis, quicquid petieritis. Et additur: Vt gaudium ueſtrum ſit perfectum. Quid ergo eſt, Vt gaudium ueſtrum ſit perfectum? An nō multi exiſtimant, Chriſtianiſmum eſſe mœſtam quandam triſtitiam, & Stoicam ſeueritatem? Non approbat Chriſtus impudens carnis gaudiū, ſed nec delectatur Stoica triſtitia. Quod autem hoc loco de gaudio contionatur, opponit ei gaudio, quod homines ſolent ex euanidis rebus huius ſeculi concipere. Alius enim gaudet diuitijs, alius uoluptate corporis, alius honoribus, alius magiſtratu. Sed hoc gaudium non explet animum, nec conſtat perpetuo. Vt res euanidę ſunt, ſic & gaudium euanidum eſt. Omnis, qui bibit ex hac aqua, iterum ſitiet. Beneficia autem regni Chriſti, uidelicet, Remiſſio peccatorum, placatio irę diuinæ, adoptio in filios Dei, liberatio in morte, & hæreditas æternæ uitæ, quę Deus pater dat in nomine Chriſti filij ſui per ſpiritum ſanctum, ea demum uere animum explent, & afferunt perfectū ac perpetuum gaudium. Hoc diligenter conſiderandum eſt, ut aſſuefaciamus nos ad quærenda beneficia regni Chriſti. Homines enim huius ſeculi ſolent magna ſollicitudine quærere terrena bona, & putant ſe his poſſe animum ſuum explere, & perfectum gaudium conſequi. Sed profecto falluntur. Hæc enim bona dimittunt hominem inanem & uacuum. Sola bona regni Chriſti poſſunt hominis animum explere. Quare ſi terrena bona diuinitus & iuſte contingunt tibi, utere his in gloriam Dei & utilitatem proximi. Si autem non contigerint, noli ea ſcelere parare. Quid enim tibi proderunt? Non explent animum optime parta, & explerent eum impoſturis conquiſita? Sed in hoc ſtudiū incumbe, ut quæras bona regni Chriſti, & inuoces patrē in noīe Chriſti, ſic eī fiet, ut uerū & perfectū gaudiū conſequaris. Hęc, etſi ſatis ꝑſpicue dicta ſunt à Chriſto, tñ diſcipuli nō intelligunt. Quare Chriſtus iterę reijcit explicationem eorę in diem Pentecoſtes. Et ait:

,,Hæc per prouerbia locutus ſum uobis. Veniet tempus, cum iam non
,, per prouerbia loquar uobis, ſed palam de patre meo adnunciabo uo-
,, bis. In illo die in nomine meo petetis. Et nõ dico uobis, quod ego ro-
,, gaturus ſum patrem pro uobis. Ipſe enim pater amat uos, quia uos
,, me amaſtis, & credidiſtis, q̃ a' Deo exiuerim. Quod Chriſtus dicit, hanc ſentẽtiam habet: Quæ uobis dixi, per ſe quidem perſpicua ſunt, Sed uobis ſunt adhuc obſcura, ac uidentur uobis parabolæ & ænigmata. Veniet autem tempus, quo hęc manifeſte uobis explicabo. Hoc eſt tempus poſt reſurrectionem, quo mittetur ſpiritus ſanctus. In illo die tantum benefitium in uos conferetur, ut ego non ſim rogaturus pro uobis patrem, ſed uos ipſi accedetis ad patrem, ad thronum diuinę maieſtatis, rogaturi quęcũq; uolueritis, quę & impetrabitis. Queſo autem te, quid hic noui, & ut uidetur, abſurdi dicit? Ego non ſum, inquit Chriſtus, rogaturus patrem pro uobis. Num Chriſtus, poſtq̃ aſcendit in cœlum, & miſit ſpiritum ſanctum, non amplius rogat pro ſua Eccleſia? Num Eccleſia non eget nunc opera Chriſti, ſed ipſa ſibi ad conſequendam ueram ſalutem ſufficit? Hæc quidem eſt ſententia impiorum monachorum, qui primum finxerunt Chriſtum meruiſſe nobis tantum primam gratiam, ac effeciſſe ſua paſſione, ut nos nunc noſtris uiribus poſſumus coram deo mereri expiationem peccatorũ & uitam æternam. Deinde ademerunt Chriſto offitium intercedendi, & fecerunt ex eo ſeueriſſimum iudicem, tribuerunt autem offitium intercedẽdi beatæ Marię Virgini, & reliquis ſanctis. Sed hi ſunt horrendi & deteſtandi errores. Fingunt hominem a' Satana propter peccatum, non aliter ligatum fuiſſe, q̃ ſi fœra ſylueſtris capitur & catenis coercetur. Hæc etſi uinculis ligata eſt, tamen retinet adhuc uires ſuas, quas etiam ſęuiendo exercere poſſet, ſi modo ſolueretur, ita uani iſti nebulones putant hominem a' Satana uinctum, retinuiſſe uires ſuas integras aut non omnino debilitatas. Cum igitur Chriſtus hominem ſoluerit a' uinculis Satanæ, exiſtimant hominem nunc ſuis ipſius uiribus ad conſequendam iuſtitiam & ſalutem incedere. Sed repudiandum eſt hoc figmentum. Homo enim, poſtq̃ captiuus factus eſt Satanæ propter peccatum, non retinuit uires ſuas, quibus initio prædituſ fuit, nec factus eſt tantum imbecillis, Sed amiſit omnes ſuas uires, (ad conſequendam uidelicet, iuſtitiam, ac æternam ſalutem) & plane mortuus eſt. Cum eſſemus, inquit Paulus, mortui per delicta, conuiuificauit nos unà cum Chriſto. En, Paulus dicit nos per delicta Mortuos fuiſſe. Mortui autem, nõ ſunt ſicut uincti aut infirmi, qui adhuc aliquantas uires habent, ſed ſunt prorſus omnibus uiribus deſtituti, nec omnino quicquam poſſunt agere, ut uitam recuperẽt, & uitę offitia exerceant. Quare uita, qua Chriſtus credentes in ipſum uiuificat,

non eſt ue

non est uetus carnis uita, sed noua spiritus uita, qua quod ueteris uitæ reliquum est, mortificatur, tantum abest, ut uetus uita aliquid ad iustitiam conferat. Sine me, inquit Christus, nihil potestis facere. Et Paulus: Nõ sumus ex nobis ipsis idonei cogitare (uidelicet de uera iustitia consequenda) quicquam, tanq̃ ex nobis ipsis, sed si ad aliquid idonei sumus, id ex Deo est. Ac rursus: Deus is est, qui agit in uobis, & ut uelitis, & ut effitiatis pro bono animi proposito. Quare quo fauore & beneficio Christi soluti sumus initio à uinculis Satanæ, eodem etiam uiuificamur, & conseruamur, ut uere coram Deo iusti propter Christum reputemur, & in operibus iustitiæ ambulemus. Deinde Christus non desijt, etiam post resurrectionem suam, orare pro Ecclesia sua. In Psalmo uocatur æternus sacerdos: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Sacerdotis autem offitium est, pro populo orare. Et Paulus ad Romanos scribens: Christus, inquit, est, qui mortuus est, imo qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis. Neque enim oratio nostra posset ad thronũ diuinæ maiestatis penetrare, nisi Christus una nobiscum oraret. Vnde & iubet nos SVO NOMINE Deum inuocare, significãs se nostram inuocationem ad Deum patrem perferre, et nobiscum orare. Quid ergo est, quod dicit: Non sum rogaturus patrem pro uobis? Non negat se rogare patrem, sed negat q̃ SOLVS, roget patrem. Non sum rogaturus patrem, uidelicet, SOLVS. Impetraui enim uobis spiritum precum, ut mecum ad thronum diuinæ maiestatis accedatis & oretis. Vna est uestra & mea oratio. Sicut enim impetraui, ut Deus sit uobis placatus, & adoptet uos in filios propter me, ita etiam impetraui, ut det uobis spiritum orandi mecum, & consequendi quicquid petieritis. Magna hæc est consolatio, magna animi confirmatio in inuocatione Dei. Primum enim, nihil reliquũ est, quod nobis obstat, quo minus queamus inuocatione nostra ad Deũ accedere. Apud Persas capitale erat, accedere ad regem, nisi forte rex ei qui accedebat, porrigeret aureum sceptrum attingendũ, quemadmodum in Ester scriptum est. Ad regem autem nostrum cœlestem, non accedere, capitale est, quippe quòd filius huius regis sustulerit omnia accedendi obstacula, & mandauerit nobis nomine patris sui, ut accedamus. Ac nisi accesserimus, nulla reliqua nobis salus est. Non enim remorantur nos ab accessu peccata nostra, quia Christus expiauit ea. Non indignitas nostra, quia Christus impetrauit nobis ius adoptionis in filios Dei: Non magnitudo periculorum, quia maior est, qui in nobis est, q̃ qui in mundo. Deinde, nos non soli oramus & inuocamus Deum, sed orat nobiscum uno spiritu uniuersa Ecclesia, imo orat nobiscum filius ipse Dei Iesus Christus DOMI-

NVS noſter. Hoc diligentiſſime conſiderandum eſt, ne in inuocatione Dei meticuloſi & puſillanimes ſimus, ſed reuertemur ad contionem Chriſti. Dixit. Nos ipſos poſſe nunc accedere ad Deum, & petere ab eo beneficia. Hæc magna eſt poteſtas, magna dignitas. Quo igitur noſtro merito ea nobis contigit? Certe nullo noſtro merito, Sed tantum fauore & amore Dei patris, ac merito filij eius Ieſu Chriſti, quem per fidem accipimus. Sic enim ſequitur: Pater enim amat uos, quia uos me amaſtis, & credidiſtis, q̃ à Deo exiuerim, hoc eſt, Pater complectitur me ſummo amore, de quo publice teſtificatus eſt. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacitum eſt. Cum igitur uos acceperitis me per fidem, & credatis me uerum eſſe filium Dei, ac Meſſiam illum, quem Prophetæ olim diuino ſpiritu afflati promiſerunt, Deus uiciſſim uos propter me ita amat, ut non ſolum patefecerit uobis aditum ad ſe accedendi, uerumetiam daturus ſit uobis, quæcunq; meo nomine petieritis. Hæc eſt obſeruabilis ſententia, cui etiam ea conuenit, quæ ſupra commemorata eſt. Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & aperiam ei meipſum. Et iterum: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & manſionem apud eum faciemus. Hę & id genus alię ſententię, continent ſummam Euangelij, quod de Ieſu Chriſto prędicatur. De Chriſto enim prędicamus, q̃ propter ipſum Deus ſit placatus humano generi. Vbi ergo hoc ſcriptum eſt? Habes hic ipſius Chriſti teſtimonium. Pater amat uos, quia uos me amatis, hoc eſt, quia creditis in me, idcirco Deus propitius eſt uobis propter me. Prædicamus de Chriſto, q̃ propter ipſum Deus reputet omnes eos iuſtos qui credunt in ipſum. Dic ergo nobis huius rei teſtimonium? Audi quid Chriſtus ipſe contionetur: Pater amat uos, quia uos me amatis. Prędicamus de Chriſto, q̃ propter ipſum adoptet nos Deus in filios & hęredes ſuorũ bonorum, & ſeruet nos in morte ad æternã uitã. Quomodo hoc probatur? Pater, inqt, amat uos, quia uos me amatis, & creditis q̃ ego ſim uerus Meſſias filius Dei. Nec exiſtimandum eſt, amorem Dei, quo complectitur eos, qui credunt in Chriſtum, eſſe tam frigidum, q̃ ſolet in hac corrupta hominũ natura eſſe, ſed ardentiſſimus eſt, & flagrantiſſimus. Deus enim non eſt ex uarijs rebus compoſitus, ſed eſt ſimpliciſſimus, ideoque, quod eſt, totus eſt. Cum igitur dicitur amare eos, qui credidit in Chriſtum, non eſt ſentiendum, q̃ aliud ſit Deus ipſe, aliud amor Dei. Nam amor Dei, eſt Deus ipſe. Ioannes aliás dicit: Deus eſt caritas, & qui manet in caritate, in Deo manet. Non ait: Deus habet caritatem, ſed Deus ipſa eſt caritas. Quare cum totus ſit caritas, perſpicuum eſt, quod quem diligit, eum totus diligat, & omnia bona in eum effundat.

effundat. Cæterum, cum Christus dixisset, Credidistis q̃ à Deo exiuerim, repetit illud exire, ut inferat abitum suum, & significet, regnum suum non esse de hoc mundo: Exiui, inquiens, à patre, & ueni in mundum, iterum relinquo mundum & uado ad patrem. Quid ergo est exire à patre, & uenire in mundum? Num filius Dei ita à patre suo exiuit, ut deseruerit eũ, nec fuerit uerus in hac humana sua carne Deus? Absit. Filius Dei non deseruit patrem suum. Semper em̃ & ab ęterno uerus est Deus, & manet in ęternum Deus, Sed dicitur exĩsse a patre & uenisse in mundum, cum assumpsit hominem, & duxit inter homines humanam uitam. Cum esset, inquit Paulus, in forma Dei, non rapinam arbitratus est, esse ęqualis Deo, sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo, humilem præbuit semetipsum. Hoc est exire a patre, & uenire in mundum. Quid autem est: Relinquere mundum, & uadere ad patrem? Num est abijcere curam administrationis huius mundi, ac pręsertim Ecclesię suę, & sedere ad dextram Dei otiosum, oblectantem se spectaculis & lusibus angelorum? Nihil certe minus, sed est suscipere mortem, & per mortem ingredi in regnum suum. Hęc est manifesta contio de regno Christi, quòd non sit mundanum. Dicemus ergo Christum nullam habere curam suæ Ecclesię, quæ est in his mundanis regnis? Absit. Nam idcirco ascendit in cœlum, & sedit ad dextram patris sui, ut tueatur Ecclesiam suam diuina maiestate, & seruet eam in omnibus huius mundi periculis. Neque enim solus consedit ad dextram patris, sicut nec solus pro Ecclesia intercedit, sed assumpsit secum ad dextram patris Ecclesiam suam. Conuiuificauit nos, inquit Paulus, unà cum Christo, simulque cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit inter cœlestes. Etsi enim nondum apparet humanis oculis Ecclesiam sedere cum Christo ad dextram patris, tamen quia Ecclesia, est corpus Christi, in quo corpore ipse caput est, & supra dixit Christus: Vbi ego sum, ibi & uos eritis, nihil uerius, nihil certius est, quàm Ecclesiam sedere cum Christo in dextra patris, quod & suo tempore palam reuelabitur. Bene igitur confidamus in omnibus aduersis, & siue morbus, siue mors nos affligat, consideremus Christum abĩsse ad patrem suum, & sedere ad dextram eius, ut nos perpetuo seruet. Pro quo benefitio, semper ei gratias agamus, & celebremus eum una cum patre & spiritu sancto benedictum Deum in secula, Amen.

HOMILIA XXXXVI.

VDiuimus Christum sæpenumero promisisse, ꝙ missurus sit spiritum sanctum, qui doceat discipulos omnem ueritatem. Qua promissione significauit eos nondū recte intelligere contiones suas, id quod & paulo ante ostendit, cum ait: Hæc per prouerbia locutus sum uobis. Audiamus igit nunc quo affectu discipuli hāc Christi sentētiam acceperint. Etsi enim inepta, & reprehensione digna respondent, tamen afferunt nobis hanc utilitatem, ꝙ exemplo eorum discamus nostrum corruptum ingenium agnoscere, & ꝙ dent Christo occasionem plura, obseruatu dignissima, contionandi. Quare non sit nobis molestum, auribus et animis ea percipere, quæ discipuli Christo ad ea, quę de obscuritate suarum contionum, & illustratione spiritus sancti dixit, respondeant. Dicunt enim:

„ Ecce nunc aperte loqueris, nec prouerbium ullum dicis. Nūc scimus,
„ ꝙ scis omnia, nec opus est tibi, ut quis te interroget. Per hoc (uidelicet, ꝙ uidemus tibi etiam occultas cordis cogitationes notas esse) credimus, ꝙ à Deo exijsti. Hæc (impliciter commemorata, nihil absurdi in se continere uidentur, sed profecto, si diligenter ea expendas, arguunt non mediocrem animi discipulorum insolentiam & arrogantiam. Intellexerant enim se haberi à Christo imperitos, & ut ipsi cogitabant, stultos, qui non tanta ratione præditi essent, ut possent contiones suas recte cognoscere, nisi alius quispiam doctor ad ipsos mittatur. Hoc est, quod dolebant, & quod ęgre ferebant. Natura enim humana ita arrogans est, ut non possit ferre accusationem imperitiæ & stultitiæ, Sed in summa sua stultitia uult uideri sapientissima. Quare discipuli in medium procedunt, & suscipiunt defensionem suæ sapientię: Ecce, inquiunt, nunc aperte loqueris. Promittis nobis alium doctorem, quasi uero nos essemus tam stulti, ut non possemus nostri ingenij acumine, absq; alio doctore, tua uerba intelligere. Quid enim adhuc nobis deest? Vt tua uerba satis perspicua sunt, ita ea etiam manifeste intelligimus, & credimus te uerum esse Messiam, qui omnia noueris & possis. Quare non est opus, ut nobis mittas doctorem spiritum sanctum. Etsi autem discipuli merentur hac inepta responsione grauem reprehensionem, Christus tamen, qui complectebatur ipsos summo fauore, fert æquissimo animo imperitiam eorum, & corrigit

„ eos clementissime. Nunc creditis, inquiens, Sed ecce instat tempus, et
„ iam uenit, ut dispergamini unusquisq; in sua, mecq; solū relinquetis,

& ta-

& tamen non sum solus, quia pater mecum est. lactauerunt se credere. Christus igitur non negat ipsos nunc credere, sed exponit fidem eorū esse ualde imbecillem. Statim enim futurum est, ut hanc fidem amittant & deserant Christum solum in manibus hostium, ac aufugiāt in ea quisque loca, in quibus se tutos putabunt. En hæc est fides discipulorū. Ante pericula uidentur sibi probe intelligere Euangelion Christi, & constanter in Christum credere. In periculis autem turpissime deficiunt. Ex quo manifeste cognoscitur, ꝙ ante nec recte intellexerint contionem Christi, nec constanter crediderint. Hæc infirmitas non fuit in solis Apostolis, sed est in omnium piorum carne. In rebus prosperis uidentur sibi certissimam fidem habere. In aduersis autem, fieri solet, ut nesciant, quo se uertant. Spiritus em̄, ut Christus ipse ait, promptus est, caro autem infirma. Et maior est potentia peccati, in quo concepti & nati sumus, quàm humana ratione iudicari queat. Et quemadmodum Apostoli ante acceptum spiritum sanctum, semper somniabant regnum Christi mundanum, ideoque postquàm uidebant Christum capi & affligi, contra quàm ipsi sperauerant, existimant eum à Deo desertum, & cōtiones eius meras fuisse impostu ras, ita & alij studiosi doctrinæ Christi, cum audiunt in Christo omnem esse redemptionem & fœlicitatem, solent sibi etiam in hac terra cuncta prospera propter Christum polliceri. Quare si euētus non respondet expectationi ipsorum, uarijs aduersus Euangelion Christi cogitationibus sollicitantur. Quid igitur faciendum est, ut muniamur in aduersis, ne à Christo deficiamus? Primum diligenter cognoscendum est, ꝙ regnum Christi non sit mundanum, hoc est, ꝙ regnum Christi non sit in hunc usum proprie ordinatum, ut quicunque in Christum credens, affligitur in hoc seculo, seruetur corporali & externa liberatione. Etsi enim multis pijs contingit diuinitus etiam corporalis salus in aduersis, tamen regnum Christi in hoc proprie cōstat, ut pijs contingat spiritualis, cœlestis & perpetua salus. Abel percussus est à fratre suo Cain & occisus. Dicemus igitur eum non esse diuinitus adiutum & seruatum? Animalis quidem homo non putat deum iuuare & liberare hominem, nisi uideat externam liberationem, Quæ si defuerit, existimat hominem à deo deseri. Sed longe aliud est iuditium spiritus. Abel enim uere à deo adiutus & seruatus est, quia deus seruauit eum in morte ne interiret, sed haberet æternam uitam. Quid hac salute utilius & precioſius? Esaias dicitur a rege Manasse in duas partes sectus, Cur deus non adiuuit prophetam tam pium, & effecit, ut liberato Esaia, impius & crudelis rex subita morte periret. Certe Deus adiuuit & seruauit Esaiam, non quidem externa liberatione, quæ nec est uera, nec perpetuo cōstans liberatio, sed seruauit eū cœlesti salute.

Quid ergo maius, quid excellentius potuisset Esaię contingere? Stephanus lapidatur à Iudæis: Num putes ipsum ideo à Deo desertum, ꝙ corruit inter lapides, & efflauit animam? Nihil minus. Non uere seruatus esset, si euasisset manus impiorum externa fuga, sed tunc uere seruatus est, cum uidit Iesum stantẽ a dextris Dei, et tradidit spiritum suum seruatori Christo. Hęc de spirituali ratione regni Christi, & de cœlesti salute dei magna diligẽtia cognoscẽda sunt, ne si destituamur externo auxilio, existimemus nos destitui uera et ꝑpetua salute Christi, & offensi defitiamus a Christo. Deinde perseuerandum est in uocatione, & in inuocatione Dei, ut cum nostrę uires sint imbecilliores, ꝙ quæ possint tentationes ferre, ipse nos cõseruet, ac tueatur. Sic Christus enim docet discipulos suos: Orate, ne intretis in tentationẽ. Hęc si fecerimus, non dubito, quin Deus daturus sit euentum in omnibus aduersis, ut ea ferre queamus & seruemur. Sed quid est, quod addit: Ego non sum solus, quia pater mecũ est? Etsi, quod ad diuinitatẽ attinet, Christus unus est Deus cũ patre suo, tñ Christus hoc loco non loquit de unitate diuinæ naturę, sed docet, quam consolationem in passione & afflictione sua habeat: Vos, inquiens, relinquetis me solum. Nam Christum deseruerunt & afflixerunt in sua passione omnes homines, non inimici tm̃, sed etiã amici. Inimici cõprehenderunt eum, abduxerunt eũ captiuũ, crucifixerũt eum, et tradiderũt eum non tam flagellis, ꝙ omni genere conuitiorꝝ proscissum contumeliosissimę morti. Hæc certe grauis est afflictio, sed multo grauior fuit, quę ipsi ab amicis illata est. Amici enim, partim uendiderunt & prodiderunt eum, partim turpissime eum abnegarunt, omnes certe fugerunt & deseruerunt eum. Nec inter tot discipulos, Apostolos & amicos, in quos maxima beneficia contulerat, & quorũ alios a læpra mundauerat, alios ex claudis sanos reddiderat, alijs uisum & auditum restituerat, alios dęmonibus liberauerat, alios a mortuis suscitauerat, ne unus quidem inueniebatur, qui cum ipse publicæ impietatis & seditionis accusaretur, & insanis uulgi clamoribus ad crucem postularetur, in medium processisset, & testimonium innocẽtiæ eius dedisset. An non hæc fuit grauissima omnium afflictio? De qua etiam Christus nondum homo factus, conquęstus est. Homo pacis męę, inquiens, in quo speraui, qui edebat panes meos magnificauit super me supplantationem. Et iterum: Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filijs matris męę. Ac mox: Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit. Qui consolaretur, & non inueni. Hoc illud etiam est, quod hic significat: Dispergemini unusquisque in sua, & relinquetis me solum. Quam ergo consolationem habuit Christus omni humano auxilio destitutus, in tam graui afflictione? Contionatur de

hac

hac consolatione in psalmis. Ego inquiens, mendicus sum, & pauper. DOMINVS autem sollicitus est mei. Adiutor meus, & protector meus es tu, Deus meus, ne tardaueris. Et iterum: Ego sum pauper & dolens, SALVS TVA DEVS, suscepit me. Hoc plane illud ipsum est, quod hic ait: Non sum solus, quia pater mecum est, hoc est, Etsi destituor omni humano auxilio, non tamen destituor auxilio diuino. Deserunt me homines, tam amici quàm inimici, non tamen deserit me DEVS pater. Hæc est consolatio longe omniũ maxima. Quid enim est Deus pater? An non est omnipotens rerum omnium administrator? an non habet innumerabiles cohortes angelorum? Quare, qui habet Deum à parte sua stantem, & quem Deus tuendum suscipit, eum tuetur omnipotens maiestas, & omnes angeli Dei. Hæc defensio, non uidetur quidem statim corporalibus oculis, sed fieri non potest, ut non opportuno suo tempore patefiat. Vide mihi Christi exemplum. Hic ut ab hominibus deseritur, ita etiam uidetur à Deo desertus. Capitur, flagellatur, crucifigitur & moritur. In hac afflictione nullus uidetur Deus, qui ipsum adiuuet. Sed commorare paulisper, donec tertius dies illucescat, & uidebis manifestissimam Dei præsentiam. Resurgit enim Christus à morte, non solum uincit omnes dolores mortis & inferni, sed etiam exaltatur super omnes cœlos, & sedet ad dextram Dei. Quo argumento, an non satis perspicue declaratur, Christum non fuisse solum in passione, cruce & morte sua, sed habuisse secum patrem seruatorem, & liberatorem? Quod Christo accidit, hoc etiam Ecclesiæ Christi tam publicè q̃ priuatim accidere solet subinde. Nam q̃ aduersarij piæ doctrinæ conãtur uel armis defendere, aut ui statuere suam impietatem. Sed pij in hoc periculo deseruntur & destituuntur omni humano auxilio. Quid ergo? num pij prorsus sunt deserti? Nihil certe minus. Deserunt nos amici. Non tamen sumus soli, quia Deus pater nobiscum est. Quanta, obsecro, hæc est potentia? quantum auxilium? DOMINVS suscepit me, inquit psalmus: Non timebo igitur milia populi circumdantis me. Et iterum: In Deo speraui, non timebo, quid faciat mihi caro. Sed quod publicè Ecclesiæ, & nutritoribus eius accidit, hoc priuatim unicuiuis pio, præsertim in morte, accidere solet. In ea enim hora, qua migrandum est ex hoc seculo, & ingrediendum in tenebras mortis, deserunt nos omnes homines, non extranei tantum, sed etiam amici, cognati, parentes & liberi. Necesse habet unusquisque solus in horrendas illas mortis tenebras ingredi. Sed bene habet. Non sumus soli, si modo Deus pater nobiscum fuerit. Si enim hic nos comitatur, non solum tuti penetrabimus per mortem, sed etiam perducemur ad uerã & perpetuã fœlicitatẽ. Quid ergo faciendum

est, ut nobiscum sit Deus pater? Hoc ex Euangelio manifestius est, & quod hoc loco multis sit cõmemorandum. Pater enim nobiscum est: Si Christus filius eius nobiscum fuerit. Si quis me diligit, (inquit Christus) sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Christus autem nobiscum est, si credimus in eum, quod ipse expiauerit peccata nostra, & recõciliauerit nos cum Deo patre, ut adoptati in filios Dei, in uocatione eius ambulemus. Quare omne nostrum studium in hoc ponendũ est, ut Christum filium Dei ex Euangelio eius cognoscamus, & per fidem suscipiamus. Sic enim fiet, ut etiam in ipso mortis certamine alacres illud psalmi cantemus: Etiamsi ambulauero in medio umbrę mortis, non timebo mala, quoniam TV mecum es. Et illud: DOMINVS illuminatio mea & salus mea, quem timebo? DOMINVS protector uitę meę, à quo trepidabo? Ac mox. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum, si exurgat aduersum me prelium, in hoc ego sperabo. Cæterum, cum Christus satis sibi, hoc quidem tempore, discipulis dixisse uisus est, concludit tandem suas contiones, & ait: Hęc locutus sum uobis, ut in me pacem habeatis. In mundo afflictionem habetis, sed bono animo sitis. Ego uici mundum. Hęc est conclusio superiorum contionum, in qua paucis indicat scopum earum. Hæc locutus sum uobis, omnia hęc contionatus sum uobis, ut consoler uos, ne in aduersis despondeatis animum, sed in me, in uerbo meo, in promissionibus meis conquiescatis. Et addit explicationem, ne quod de pace & tranquillitate dixit, intelligant de mundana pace seu fœlicitate, & existiment ipsum fore mundanum regem, qui in hoc uenisset, ut suos terrenis bonis cumularet. In mundo, inquiens, habetis afflictionem, sed confidite, ego uici mundum. Hoc ut est nouissimum dictum in contione Christi, ita est maxime omnium memorabile & obseruabile. Non pecunia, non auro, non gemmis, denique nullo huius mundi pretio ęstimari potest. Continet enim in se totam Christianismi, adeoq; perpetuę salutis nostrę doctrinam. Christianismus enim non est regnum mundanum, in quo homines fœlicẽ & tranquillam uitam ducant, sed est regnum afflictionis, et angustię. In mundo, inquit, afflictionem habetis. Hæc sententia lata est, nec potest retractari. Primum enim manẽt in Christianis, hoc est, pijs & uere credentibus in Christum, communes afflictiões humani generis, de quibus in Geneli dictum est. In laboribus comedes ex terra, cunctis diebus uitæ tuæ. Et mox: In sudore uultus tui uescęris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es. Hæc est generalis afflictio, quę in totum humanũ genus iam inde à primo Adamo deriuata est. Etsi eñ nõnulli inter homines uidentur alijs fœlitiores, tñ nihil certi

us

us est, quàm in quouis uitæ genere suas esse spinas & tribulos, labores & sudores, quibus tam pij q̃ impij obnoxij sunt. Deinde, preter has communes cum humano genere afflictiones, acceduut pijs peculiares molestiæ. Satan enim summo odio prosequitur pios. Quare nihil intentatum relinquit, quo effitiat, ut non simpliciter affligantur, sed ut immaniter crutientur. Si qui enim in exilium eijtiuntur, hi addita summa contumelia eijtiuntur. Si qui interfitiuntur, hi non ut uulgares scelerati, sed ut pernitiosissima totius humani generis pestis, tollunt. Hoc Christus supra significauit, cum ait: Veniet tempus, ut quisquis interfitiat uos, uideatur cultum prestare Deo. Et alibi: Ego emitto uos, sicut oues in medio luporum. Quę, obsecro, est securitas ouium inter lupos? Talis est uita piorum inter homines huius seculi. Omnino enim decretum est, q̃ Ecclesia Christi debeat in hoc mundo esse, uelut ouis inter lupos. Nec unq̃ deerunt Ecclesiæ sui lupi. Si princeps non est lupus, magistratus seu offitialis eius erit lupus. Si is non sit lupus, lupi erunt ciues & rustici, lupi erunt Pontifices & hęretici. Breuiter, Ecclesia necesse habet uitam suam ducere inter lupos, ac etiam uulpes, quorum illi crudelitate & immanitate, hæ astu & uafritie in eam sæuient. Vnde & Paulus ad Corinthios scribens: Ad hoc usque tempus, inquit, esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cedimur, & incertis uagamur sedibus. Ac mox: Velut excrementa mundi facti sumus, omnium reiectamentum ad hunc usq̃ diem. Hęc est uita Christianorum in hoc seculo, & qui uere Christianus esse uoluerit, necesse habet sese ad has afflictiones ferendas parare. Sicut & Christus ait: Si quis non baiulat crucē suam & uenit post me, non potest meus esse discipulus. Et mox: Omnis ex uobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Dices igitur. Si talis est conditio Christianorum, expedit ut maneamus Ethnici, aut fiamus Turcę, aut eam sequamur religionem, quam uidemus inter homines esse tutam, siue ea sit uera, siue falsa. Hoc fortassis non imprudenter dici uideretur, si non esset Deus, & nulla esset reliqua uita post hanc corporalē uitam, & ut Paulus ait: Si in uita hac spē in Christo tantum fixam habemus, maxime miserabiles omnium hominum sumus. Sed optime habet. Vere Deus est, qui misit filium suum in hunc mundum, ut nos in ipsum credentes omnibus huius mundi aduersis, ac morte ipsa liberaret, & sempiterna fœlicitate conseruaret. Sic enim additur: Confidite, ego uici mundum. Hoc dictum diligentissime considerandum est. Mundi enim nomine intelligitur primum, princeps huius mundi, qui est Satan. Hunc autem uicit Christus potentissime, quia cōtriuit caput eius, per passionē & mortē suā, & deiecit omnē tyrannidē eius. Venit (inq̃t) princeps huius mundi,

& in me non habet quicquam. Ac iterum: Princeps huius mundi iam iudicatus est. Et Paulus: Expoliatos principatus ac potestates ostentauit palam, triumphans de illis per semetipsum. Deinde mundi nomine intelligitur peccatū in mundo, cuius peccati autor est princeps huius mundi, diabolus. Vicit & hoc Christus, quia expiauit peccatū morte sua, & adduxit, quemadmodum Daniel ait, sempiternam iustitiam. Etsi enim Christus, cum diceret: Ego uici mundum, nondum subierat mortem, tamen quia in hunc mundum uenerat, ut ex uoluntate patris mortem susciperet, & se ad obediendum patri obtulerat, mundus iam coram Deo uictus erat, sicut & recte in Apocalypsi dicitur: Agnus occisus est ab origine mundi. Postremo nomine mundi intelliguntur omnia supplitia, quæ propter peccatum intrauerunt in hunc mundum, & quibus homines facti sunt obnoxij, qualia sunt, paupertas, ignominia, morbus, Mors, & infernus. Hæc omnia Christus ita uicit, ut euaserit per ea ad cœlestes diuitias, honores, & perpetuam uitam, ac fœlicitatem. Vnde & Ioannes alias dicit: Ad hoc appareat filius Dei, ut dissoluat opera diaboli, quæ sunt peccatum, calamitas, mors & infernus. Sed quid nos hoc, inquies, iuuat, q̄ Christus uicit mundum? An non ridiculum aut potius contumelioſum esset, si quispiam auarus diues diceret ad pauperem fame pereuntem. Confide, ego sum diues. Aut sanus quispiā ad ęgrotū, Confide, ego sum sanus? Hoc potius esset miseris insultare, & eos consolari. Sed tu recte Christi uerba intelligas. Christus non insultat nostræ miseriæ, nec ridet nos, sed docet ueriſſima & grauiſſima. Quod ēm dicit: Ego uici mundum, significat, uictoriam eius, nostram esse, & nos uictoria eius liberari ac seruari. Supra dixit: Iterum ueniam & assumam uos ad meipsum, ut ubi sum ego, & uos sitis. Et postea: Pater, quos dediſti mihi, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecum. Nam, qui credunt in Christum, fiunt per fidem membra Christi, fiunt & fratres, ac cohęredes eius. Dedit enim, inquit, caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quę est corpus illius. Et: Narrabo nomen tuum fratribus meis. Et: Accepistis spiritū adoptionis, per quē clamamus Abba pater. Idem spiritus testatur unà cum spiritu nostro, quòd simus filij Dei. Quod si filij, igitur & hęredes. Hæredes quidem Dei, cohęredes autem Christi. Cum igitur nos qui credimus in Christum, simus membra Christi, & fratres atque cohæredes eius, perspicuum est, q̄ uictoria eius sit nostra uictoria, adeoq̄ quicquid bonorum habet, ad nos pertineat: Omne, inquit aliàs Ioannes, quod natum est ex Deo, uincit mundum, & hæc est uictoria quæ uincit mundum, fides nostra. Quis est, qui uincit mundum, nisi qui credit, quòd Iesus est filius Dei? Hoc est, Tunc fruimur uictoria Iesu Christi, cum in eum credimus,

mus, quòd non sit tantum homo, sed etiã uerus ab æterno filius Dei, qui expiauerit peccata nostra, placauerit iram patris, & consecutus sit nobis æternam iustitiam, redemptionem, & salutem. Hac uictoria Christi, pertulerunt obedienter & confidenter omnes afflictiones & mortem, non solum Apostoli & Martyres, uerumetiam Patriarchæ & Prophetę. Hac uictoria Christi conterit caput diaboli & uincitur omnis potentia eius. Agnoscamus igitur eam per fidem, & transferamus ipsam in usum nostrũ, ut superato hoc mundo, fruamur cœlesti triumpho in Christo Iesu uictore & seruatore nostro, qui est una cùm patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

CAPVT XVII.

HOMILIA XXXXVII.

BSOLVIMVS duas contiones, quas Iesus Christus filius Dei, post nouissimam cœnam habuit, & quibus exposuit discipulis ueram rationem regni sui, ac muniuit eos aduersus oĩa pericula, quę essent ipsis in hoc seculo euentura, ut etsi affligentur, tamen habeant in ipso ueram consolationẽ & salutem. Nunc aũt, addit his contionibus insignẽ precationẽ, id quod apte congruenterq; facit. Fieri eñ non potest, ut uerbum Dei fructũ afferat, nisi corda auditorum excitentur & accendantur diuino spiritu, ut quod auribus acceptum est, fide agnoscatur & retineatur. Nam quẽadmodum in facienda semente, agricola absoluit quidem suum externum offitiũ, cum semen in agrum sparserit, sed nisi accedat incrementum Dei, inanis est labor agricolæ, ita in prędicãdo uerbo Dei, quod est cœleste semen, fungitur quidem contionator sua uocatione, cum exponit auditoribus cœlestem uocẽ Dei, sed ut ea fiat utilis, necessariũ est diuinũ incrementũ: Ego plantaui, inquit Paulus, Apollo rigauit, sed Deus dedit incrementũ. Itaq; neq; qui plãtat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui dat incrementũ Deus. Incrementum aũt seu benedictio dei impetrãda est fideli precatiõe. Quare cõtionibus semp addẽdę sunt precatiões, ut q̃d uerbo recitat, spiritu sancto fiat efficax. Ac profecto hęc precatio Christi memorabilis est, et obseruatiõe dignissima. Continet eñ ea, quę uniuersę Ecclesię ad salutẽ necessaria sunt, & utitur ea nõ uanus quispiã aut simplex homo, sed unigenitus filius Dei, idq; eo tẽpore, quo iam ex hoc mundo discessurus erat, ut facilę

conijci queat, eam maxime omnium seriam esse. Extant quædam precationes Patriarcharum, Prophetarum, Dauidis & aliorum piorum, quę & suam habēt utilitatē. Hęc autem precatio Christi omnibus prę ferenda est, quippe ꝙ ex hac omnes aliorum precationes suam habuerunt efficatiam. Nisi enim Christus impetrasset eis fauorem patris, & aditum ad patrem, sua intercessione, nunꝙ potuissent precationibus suis ad Deum peruenire. Nec sentias hanc precationem Christi transijsse unà cum externo sono in cōspectu Dei, aut Christum, postquam ascendit in cœlum, & sedit ad dextram Dei, desijsse hæc precari. Christus enim nunquam intermittit officium intercedendi pro Ecclesia sua, & uox huius precationis semper sonat in auribus Dei. Pater ipse dicit ad Christum, adeoꝙ iurat, & non pœnitet eum, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Vocat Christū perpetuum sacerdotem. Sacerdotis autem est orare pro populo. Quare & Christi oratio pro suo populo perpetua est. Et Paulus ait: Christus est qui mortuus est, imo qui & suscitatus est, qui est etiam ad dex-
Rom. 8. teram Dei, qui & INTERCEDIT pro nobis. Quid aūt pater intercedenti filio tam dilecto negaret? Quare hęc precatio Christi reponēda est altissima mente, ut ex ea ueram nostrarum precationum efficatiam cognoscamus, & certissimam spem salutis nostrę concipiamus. Constat autem hæc precatio tribus partibus: Vna, precatur Christus pro se, ut gloria & sua maiestas publice in orbe patefiat & cognoscat: Altera, precatur pro Apostolis suis, ut ministerium eorum fœliciter procedat, & doctrina Euangelij propagetur & conseruetur in Ecclesia. Tertia, precatur pro uniuersa Ecclesia, ut consequatur propter ipsum, Apostolico ministerio, ueram & æternam salutem. Quid his rebus Ecclesię maius, quid fœlicius contingere potest? Non precatur Christus, ut Ecclesia habeat externa regna in hoc seculo, non precatur, ut habeat mundanam fœlicitatem. Hæc enim non sunt uera salus, sed precatur, ut gloria nominis sui patefacta, pia doctrina Euangelij promoueat, et credentes in ipsum conseruentur in omnibus aduersis, & cum ipso cœlesti hęreditate fruantur. Pater, inquiens, quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecum. Hęc est uera & perpetua fœlicitas. Quare sentiamus Christum hac precatione tale beneficium complexum esse, quo nullum nec maius nec melius Ecclesia accipere queat. Sed priusꝙ accedamus ad explicanda uerba precationis,
,, uideamus quo corporis gestu Christus hæc sit precatus. Hęc locutus
,, est Iesus (inquit Euangelista) & sublatis oculis in cœlū, dixit. Varij sunt gestus, quibus homines in precatione uti solent. Alias enim flectunt genua, alias attollunt manus, alias procumbunt in faciem, alias attollunt oculos ad cœlum, alias demittunt oculos ad terram, ut Euan-

gelicus

gelicus ille Publicanus. Ac quod ad Deum quidem attinet, iuxta refert, quo gestu utaris in precatione, hoc tantum curandum est, ut ex uera fide Deum inuoces. Deus enim fidem respicit, sine qua corporis gestus quantumuis pij uideantur, hypocritici sunt, & coram DOMINO abominabiles. Quod autem ad nos attinet, externi gestus corporis, sunt indices animi nostri, qui quod cogitatione & uerbis agimus, etiam moribus significant. Inter gestus autem precandi, usitatissimum est attollere manus & oculos in cœlum, quod non a pijs tantū, uerumetiã ab impijs fieri solet. Siue enim Deum precantur, siue Deũ nominant, non respiciunt ad lapidea templa, sed ad cœlum. Hoc perspicuum argumentum est, cognitionem Dei conditoris cœli & terræ, naturaliter homini inditam esse, etsi impij hanc ueritatis cognitionem in mendatio detinent, sicut Paulus loquitur. Respicimus autem in oratione ad cœlum, non ut significemus nos credere, Deum habitare tantum in cœlo. Cœlum enim, & cœli cœlorum angustiores sunt, q̃ ut possint magnitudinẽ Dei capere, Sed respicimus in cœlum, ut testemur nos non inuocare idolũ manufactũ, sed ęternũ Deũ, conditorem cœli, & omnium, quę cœli ambitu continentur. Quare, cum Christus aliàs docuerit discipulos inuocare patrem, qui in cœlis est, attollit etiam in sua precatione oculos ad cœlum, ut testificetur se & ardere spiritu inuocandi, & solum Deum, patrẽ cœlestem inuocare. Deinde Christus inuocat patrem suum, non tantum cogitatione cordis, aut tacito murmure oris, sed aperta & manifesta uoce, ut & discipuli uerba audiant. Etsi autem externa uox in precatione non est necessaria, Deus enim cor intuetur, & audit cordis clamores, etiamsi lingua ne moueas quidem, tamẽ externa locutio in inuocatione, ut habet exemplum Christi, ita etiam habet suum, opportuno suo tempore, usum. Initio enim, confessio est, coram proximo, fidei nostræ, ut cognoscat quem Deum inuocemus, & excitetur etiam ipse ad inuocãdum Deum, deinde externa locutio in oratiõe etiam nobis priuatim prodest. Humana enim mens, si se receperit ad internam meditationem, occupari & euagari solet uarijs, ac sępe absurdissimis & execrandis cogitationibus. Et prę sertim, si suscipiant precandum Deum, Satan committere non potest, quin quoquo possit instinctu, abducat eam à proposito. Externus autem uerborum sonus, mentem ad se quodam modo trahit, et in attentione continet. Quare, cum opportunitas fert, inuocemus Deum, non solum cordis cogitatione, uerumetiam externa uoce, ut uagos animi motus intra suos terminos concludamus. Sed accedemus nunc ad ipsam Christi precationem. Pater (inquit) uenit hora, glorifica filium tuum, ut & filius tuus glorificet te. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut quotquot dedisti ei, det eis ui-

tam æternam. Hæc est prima pars orationis, in qua Christus precatur, ut maiestas ipsius reueletur in orbe terrarum. PATER, inquit, Quid? prꝛteribimus ne hoc uocabulum oscitanter? Nihil certe minus. Non enim est alius, prꝛter Christum, qui natura sua possit Deum appellare patrẽ. Deus enim genuit Christum filium suũ ab ꝛterno, & complectitur eum perpetuo fauore. Hic est, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. Et aliàs: In æternum seruabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi. Quomodo autem talis pater, tali filio aliquid negabit? Pater terrenus, etsi malus est, tamen filio petenti panem non dat lapidem, petenti piscem aut ouum non dat serpentem aut scorpium, & pater cœlestis, bonitas ipsa, non daret unigenito filio suo, quod peteret? Quare Christus hoc primo precationis suæ uocabulo perspicue significat, fieri non posse, quin preces suæ à Deo exaudiantur. Porro, non solum Christus ipse Deum, ut patrem, appellat, Sed docuit etiam nos sic orare: Cum oratis, inquiens, dicite, Pater noster, qui es in cœlis. At enim dices tu uicissim, qua fronte licebit nobis, exemplo Christi, Deum, ut patrem inuocare, cum Christus sit natura filius Dei, & potuerit Deũ uere & ex animo, patrem appellare, nos autem simus natura filij iræ, & mancipia Satanæ? Respondebo uerbis Pauli: Eramus, inquit ille, natura filij iræ, quemadmodũ & ꝛteri, sed Deus qui diues est in misericordia, propter multam caritatem suam, qua dilexit nos, etiã cum essemus mortui per delicta, cõuiuificauit nos unà cum Christo, (per gratiam estis seruati) simulꝙ cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit inter cœlestes. Nam si naturam, aut iustitiam carnis nostræ considerauerimus, necesse habemus Deum magis, ut seuerum iudicem metuere, ꝙ ut clementem patrem appellare. Sed si conuersi fuerimus ad Christum, & agnoscamus eum seruatorem nostrum, non solum liberamur uinculis Satanę, uerumetiam adoptamur in filios Dei propter Christum. Quotquot, inquit, receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credidissent in nomẽ ipsius. Et aliàs: Accepistis spiritũ adoptionis, per quem clamamus Abba, pater. Ac iterũ: Vbi uenit plenitudo temporis, emisit Deus filiũ suum, factum ex muliere, factum legi obnoxiũ, ut eos qui legi erant obnoxij, redimeret, ut adoptione ius filiorum acciperemus. Quare si cum Christo per fidẽ cõiuncti fuerimus, licebit & nobis uere & ex animo Deum, ut patrẽ appellare, quam etiã appellationẽ ille ita agnoscit, ut nõ possit teneri, quo minus sic ex corde appellatus omnẽ paternã beneuolentiam filijs suis exhibeat. Nec possumus in hac terra excellentiorem scientiam, aut utilius artifitiũ discere, ꝙ ut sciamus Deum, uere & ex animo, ut patrẽ inuocare. Hoc enim affectu animus eius ita expugna-

tur,

tur, ut omnia cœlestia benefitia largiatur. Sed pergamus in precatione Christi. Venit hora, inquit, glorifica filium tuum, hoc est, Absolui nunc meum ministerium, quod te, pater, iubente, prædicando Euangelio & ædendis miraculis in terra suscepi, ac tẽpus uenit, ut mea maiestas in mundo patefiat, & illustretur. Quare oro & obtestor, ut me glorifices, & gloriam meam notam ac manifestam reddas. Quod precatur Christus, rectius intelligemus, si considerauerimus, quę sit maiestas & gloria Christi. Primum igitur, Gloria Christi est, ꝙ sit uerus & unigenitus ab ęterno filius Dei, eiusdem essentię & maiestatis cum patre & spiritu sancto. Hac gloria nihil maius, nihil excellentius, nec in terra nec in cœlo inueniri potest. Deinde Gloria eius est, ꝙ sit uerus ille Messias seu Christus, qui ab initio orbis terræ diuinitus promissus fuit, & qui solus est seruator humani generis, uictor mortis, rex regum, dominus dominantium, cui datum est nomen, ut Paulus ait, super omne nomen, ut in nomine eius omne genu se flectat cœlestium, terrestrium, & infernorum, nec sit aliud nomen, quo homines ueram ac perpetuam salutem consequantur. Hæc est summa gloria, quę superat omnes omnium regum & monarcharum maiestates. Cum igitur Iesus Christus sciat hanc gloriã ad se solum pertinere, precatur patrem, ut eam publice patefaciat. Quod autem precatus est, hoc etiam impetrauit. Pater enim suscitauit Iesum Christum a mortuis, collocauit eum in throno suę maiestatis, misit nomine eius spiritum sanctum, qui excitauit discipulos Christi, ut non solum magna miracula nomine eius ęderent, uerumetiam Euangelion eius in toto orbe terrarum uulgarent, & Gentes imperio eius subiicerent. Quibus rebus palam declaratum est, hunc Iesum, esse uerum & unigenitum ab æterno filium Dei, ac uerum Messiam, seruatorem humani generis. Certo sciat, inquit Petrus, tota domus Israel, quòd DOMINVM & CHRISTVM fecerit Deus hunc Iesum, quem uos crucifixistis. Sed hic considera mihi mirandã rationẽ exaudiendi & impetrandi. Christus orat, ut glorificetur, Et exauditur oratio eius, attamen non statim sequitur gloria, sed ignominia, non mox sequitur maiestas, sed extrema deiectio. Paulo enim post capitur Christus, flagellatur, conuitijs proscinditur, crucifigitur, & tractatur ut bipedum omnium nequissimus & sceleratissimus. Iudicatur indignus, quem terra ferat. Hæccine est gloria, hæccine est maiestas, quam filius Dei à patre impetrauit? Sed sic solet Deus benefitia sua conferre, & exauditionem suam reuelare. Exaltaturus enim, humiliat, ditaturus, pauperem facit, glorificaturus in ignominiã cõijcit, uiuificaturus, mortificat. Sic est ingenium Dei, quod & in unigenito filio suo testatus est, & nobis diligentissime cognoscendum proposuit. Alius enim paupertate

pressus, orat Deum, ut largiatur honestas diuitias, sed ecce paupertas subinde fit grauior. Alius morbo afflictus, orat Deū, ut restituat ipsi sanitatem, sed ecce morbus fit difficilior. Alius horrore mortis concussus, orat Deum, ut tribuat uitam, sed ecce uenit mors. Quid igitur dicemus? Num Deus orationem non exaudiuit? Absit, si modo ea ex fide fuerit profecta. Vere enim exaudiuit eam, sed solet alienū opus facere, ut operetur opus suum, quemadmodum Propheta ait: Quare aduersa, quę post orationem accidunt, non ideo accidunt, ꝙ Deus orationem non exaudierit, sed quòd exauditionem suam aliter reuelet, ꝙ humanus captus intelligat, ideoq; bene confidendum est, & in oratione perseuerandum. Sic enim fiet, ut post tenebras, clara nobis lux oriatur. Sed quid est, ꝙ Christus precatur, ut glorificetur? Adeo'ne ambitiosus est, ut sua ipsius caussa gloriā in hoc mundo quęrat? Ego, inquit aliàs, gloriam meam non quęro. Quid ergo facit? Cohonesto, inquit, patrem meum. Et hoc loco addit: Vt filius tuus glorificet te, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut quotquot dedisti ei, det eis uitam ęternam. Hic cōmemorat duas caussas, propter quas petit glorificari. Vna est, ut per gloriam suam Deus pater glorificetur. Itaque non quęrit suam gloriam humana ambitione, sed patris gloriam, ad quam illustrandam omnia tam in cœlo ꝙ in terra operā suam conferre debent. Quæ est ergo gloria patris, ut & cognoscamus quomodo pater glorificetur per Christum filium suum? Dicam hoc uerbis in Exodo cap. xxxiiij. scriptis. Cum enim Moses peteret, ut Deus ostenderet ipsi gloriam suam, iubet eum Deus stare in uertice montis Sinaï, & recitat coram eo hęc uerba, DOMINATOR, DOMINVS, Deu smisericors, & clemens, patiens & multę miserationis, ac uerax. Custodiens misericordiam in milia, auferens iniquitatem & scelera atq; peccata. Dimittens impunem, non dimittens impunem, hoc est, seruans eum, qui crediderit, damnans eum, qui non crediderit. Audiamus & uerba psalmi centesimi secūdi, quibus similiter gloria Dei perspicue exponitur. Miserator & misericors DOMINVS, longanimis & multum misericors. Non in perpetuum irascitur, nec ꝙ ineternum comminatur. Non secundum peccata nostra facit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundum altitudinem cœli à terra, corroborauit misericordiam suam super timentes se. Et reliqua, quæ sequuntur. En, hæc est gloria Dei patris, quæ his epithetis commemoratur, uidelicet quòd sit misericors & clemens, & remittat peccata gratis, ac seruet timentes ipsum perpetua salute. Hę enim uirtutes tam honestæ sunt, ut nulla humana lingua possit eas satis pro dignitate laudare. Reuelatæ autem & patefactę sunt de Deo patre in toto orbe terrarum, postquam Euan-

gelion

gelion de Christo filio Dei uulgatum est. Euangelion enim docet, quod Deus pater tanta caritate complexus sit humanum genus, ut ne proprio quidem filio suo pepercerit, sed pro nobis omnibus eum in mortem tradiderit. Docet, quod Deus pater humano generi propter filium suum ita placatus sit, ut adoptet omnes in Christum credentes, in filios & hęredes cœlestiũ suorũ bonorũ. Quo manifeste declaratur Deũ esse uere misericordẽ & clementissimũ seruatorẽ. Quare cum Christus petit, ut ipse glorificetur, eo maxime oĩm respicit, ut Deus pater glorificetur, & nomẽ eius in tota terra illustretur. Altera causa, cur Christus petit glorificari, hęc est, ut ex cognitiõe gloriæ eius hoĩes uerã salutem, & ęternã uitam cõsequantur. Sic enim addit: Sicut dedisti ei potestatẽ omnis carnis, ut quotquot dedisti ei, det eis uitã ęternam, hoc est, Tu Deus pater misisti me in mundũ, ad hunc usum, ut habeã potestatẽ oĩs carnis, ut salutẽ meam impertiar non ludęis tm̃, uerumetiam gentibus in toto orbe terrarũ, (Iudæi enim & Gentes, nomine omnis carnis comprehenduntur) Dixisti ad me: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam, terminos terrę. Et iterum: Dominabiturà mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad terminos orbis terrarum. Ac rursus: Parum est ut sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas: Dedi te in lucẽ Gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ. Quare precor, ut quemadmodũ tu uoluisti me dominari in omni carne, in ludęis uidelicet, & in gentibus, ita uelis etiã me diuulgatione Euangelij glorificare & illustrare in uniuerso mũdo, quo omnes illi, siue sint ludęi siue gẽtes, quos mihi dedisti, & qui in me credunt, ueram & perpetuam uitam ac salutẽ consequantur. Ex his iterum uides Christum glorificatione nominis sui, non tam suam maiestatem, q̃ hominum salutem quęrere. Quid enim de sua ipsius maiestate tam sollicitus esset, cum eam habuerit longe omnium maximam ab æterno, nec ulla sit creatura, quæ possit ipsam uel adimere, uel saltẽ minuere? Sed de nostra salute sollicitus est, & nostram fœlicitatẽ curat. Quare non est accusandus uanę ambitionis, sed summæ gratiæ agendę sunt ei, quod cum potuisset contentus esse æterna sua gloria & maiestate, quam habuit ab ęterno apud patrem suũ, maluerit tm̃ nostræ salutis gratia seipsum inanire, & formã serui assumere, ut etiam corã mundo glorificaretur, q̃ nos in nostro inceritu deserere. Discamus & nos ex hac precationis Christi particula, quem nobis diuinorum beneficiorum finem, in nostris precationibus proponere debeamus. Christus enim precatur, ut pater ipsum glorificet. In quem finẽ aut usum? Num, ut assecuta gloria liceat ipsi præse, Deum et homines cõtemnere, ac in eos contumelioſus esse? Nihil minus, sed ut hac sua gloria, Dei patris gloria illustretur, & hominũ

ſaluti conſulatur. Proponamus & nobis hunc finem in noſtris precationibus. Alius enim affligitur morbo, & precatur à Deo ſanitatem. In quem finem? Vt poſſit conſecuta ſanitate liberius indulgere genio, aut impoſturas ſuas, quibus aſſueuit, exercere? Hunc quidem ſanitatis finem impij ſibi proponunt. Nos autē cogitemus uerū ſanitatis finem eſſe, ut noſtris offitijs glorię dei ſeruiamus, & proximorum neceſſitati, pro noſtra uirili ſuccurramus. Alius premitur paupertate, & precatur à deo benedictionem ſuę negotiationis. In quem uſum? ut partis opibus tradat ſe ignauo otio, & helluationi? Hoc certe quęrunt filij huius ſeculi. Nos autem quęramus gloriam dei, & utilitatem proximi. His temporibus precamur in Eccleſia publice & priuatim, ut deus clementer tribuat tranquillitatem & pacem Eccleſię et patrię. Quis autem debet eſſe finis huius beneficij? Non dubito, quin multi ſint, qȝ cupiant direptionem facultatum Eccleſiaſticarum, & licentiam uiuendi pro ſua libidine. Sed hi, etiamſi inter nos ſunt, tamen non ſunt ex nobis. Pij enim hunc ſibi tranquillitatis finem proponunt, ut gloria Chriſti promoueat, ut pia doctrina in Eccleſia conſeruetur, ut idolatria aboleatur, ut non ſolum nos ipſi ſyncerum Euangelion Chriſti cognoſcamus, uerumetiam ad finitimas gentes, & ad poſteros noſtros propagetur. In hunc enim uſum nati, in hunc uſum renati ſumus, ut et deum uere cognoſcamus, & gloriæ dei, ac utilitati proximi noſtri ſeruiamus. Quare meminiſſe debemus offitij noſtri in precatione, ut deum ex fide inuocātes, proponamus nobis uerum ac legitimum finem beneficiorum dei, quo poſſimus ea, certa & firma fiducia expectare, per Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XXXXVIII.

ON dubito, quin multi, cum audierint Chriſtum precari, ut pater glorificet filiū ſuum, quo & filius patrem glorificet, admiraturi ſint, ꝙ Chriſtus extremo ſuo tēpore tantam curam de patris & ſua gloria ſuſcipiat, ut etiam precibus eam impetrare contendat. Pater enim & filius eius Ieſus Chriſtus, una cum ſpiritu ſancto tam illuſtri ab ęterno gloria ſecum inſignes fuerunt, ut etiāſi celeberrimū inter hoīes nomen habeant, tñ nihil ad cumulū maieſtatis et fœlicitatis eorę, ex humana laude accedere pōt. Sed deſinēt illi mirari, ſi cōſideraverint, Chriſtū hęc nō aut ſua aut patris cauſſa, ſed propter ſalutem humani generis petere. Niſi eñ hoies cognoſcāt deum patrē, et filium eius Ieſum Chriſtum, nō poſſunt uerā ſalutem

lutem conſequi. Non cognoſcunt aũt nec patrem, nec filiũ, niſi hi fuerint ſpiritu ſancto, ſiue id fiat publice, ſiue priuatim, illuſtrati & glorificati. Quare, quod Chriſtus de glorificatione precatur, humanæ ſalutis gratia precatur, ad quam conſequendam neceſſaria eſt cognitio patris & filij per ſpiritum ſanctum. Sic enim ſequitur. Hæc eſt autem uita æterna, ut cognoſcant te ſolum uerum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Dixit ſe ſuam & patris glorificationem ideo petere, ut det hominibus, quos dedit ipſi pater, uitam ęternam. Quomodo ergo datur ęterna uita ex hac glorificatione? Reſpondeo: Ex glorificatione, uenit cognitio. Ex cognitione aũt, uenit æterna uita, imo ipſa cognitio patris & filij eſt ęterna uita. Hęc, inquiens, eſt ęterna uita, ut cognoſcãt te ſolum uerũ Deum, & quẽ miſiſti Ieſum Chriſtũ. Hęc ſentẽtia una eſt ẽ pcipuis dictis totius ſacrę ſcripturę. Cõtinet em̃ ſummatim doctrinã totius Chriſtianiſmi, & deſcribit eam religionẽ, qua ſola conſequimur ueram & perpetuã ſalutem. Quare hoc dictũ, non tantum audiendum eſt, ſed ad uerbum ediſcendum, & ſubinde diligentiſſime conſiderandum. Sed dices, Quid? an non hoc dicto uera Chriſtianiſmi doctrina refutatur potius, q̃ confirmatur, cum uideatur hic dici, ſolum patrem eſſe uerum Deum? Dicemus igit̃ filiũ nõ eſſe ueꝝ deũ, nec ſpũm ſanctum eſſe ueꝝ deũ? Sic quidem impij Arriani abuſi ſunt hoc dicto, ſed manifeſtũ eſt, ſi conferant̃ alia loca ſcripturę cũ hoc dicto, q̃ ſicut pater eſt uerus Deus, ita & filius eſt uerus deus, et ſpũs ſanctus eſt uerus deus. Nam Chriſtus ante dixit, ſe dare uitã ęternã, & nũc ait, uitã æternã contingere ẽ ſui cognitiõe. Ac mox rontionabit̃ de gloria, quã habuit apud patrẽ priuſq̃ hic mundus fieret. Quibus uerbis haud obſcure tribuit Ieſu Chriſto diuina natura, pręſertim cum accedant multa alia teſtimonia ſcripturę, de quibus alias copioſe diximus. Idem etiam de ſpiritu ſancto ſentiendũ eſt. Quare Chriſtus hoc loco non ſic tribuit patri diuinitatẽ, q̃ ſe & ſpiritum ſanctum ab ea excludat, ſed excludit fictitios deos gentiũ, & damnat uanam opinionem ludęorum de Deo. Nam Pauloante dixit: Datam ſibi eſſe poteſtatem omnis carnis. Intelligit aũt per Omnem carnem, Iudæos & Gentes. Quo enim tempore Chriſtus humanam uitam in terra egit, non fuit alius, præter hos in hoc mundo, populus. Porro, nec Gentes, nec Iudæi (loquor autem non de ijs Iudæis, qui credebãt propheticis promiſſionibus de Meſſia, quorum erant pauciſſimi, ſed de Iudęis Phariſaicis, Saducęicis, & Epicuręis, quorum orbis plenus erat) habebant ueram religionem & cognitionem de Deo. Gentes enim, etſi naturaliter fuerunt gnarę Dei, quemadmodũ Paulus docet, tamen non crediderunt Deum eſſe patrem illum, qui miſſurus eſſet filium ſuum Meſſiam, ſeruatorem humani generis, nec glorificaue-

Autem pro Enim, phraſi greca.

runt eum, ut Deum, sed mutauerunt gloriam immortalis Dei in effigiem similem mortali homini, similem bestijs, uolatilibus, quadrupedibus, & reptilibus. Ac tribuerunt diuinitatem uarijs creaturis, coluerunt q; uarios Deos. Alij enim coluerunt Iouem, & Martem, & Saturnum. Alij Solem & Lunam, alij crocodilum & felem, alij his etiam absurdiora, & magis abominabilia. In hanc Gentium impietatē respicit Christus hoc loco & dicit: Patrem solum esse uerum Deum, hoc est, non esse alium Deum præter patrem suum. Dij enim Gentium, non sunt dij, sed dæmonia. Nam quod Christus hic dicit, plane illud est, quod in psalmo dicitur: Non est similis tui in dijs DOMINE, & non est secundū opera tua. Ac mox. Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, Tu es Deus Solus, hoc est, Non est alius uerus Deus præter te. Et Paulus ad Timotheum scribens. Seruas, inquit, præceptum immaculatus & irreprehensibilis usq; ad apparitionem domini nostri Iesu Christi, quam temporibus suis ostensurus est ille beatus & SOLVS princeps, rex regnantium, & dominus dominantium, qui SOLVS habet immortalitatem. Hic loquitur Paulus de patre, non ut de persona distincta à filio & spiritu sancto, sic enim nō solus habet immortalitatem, sed ut de Deo, cui una essentia coniuncti sunt filius & spiritus sanctus. Et ad Corinthios scribens, ait: Scimus q; nullum est simulacrum in mundo, & q; uullus sit Deus alius nisi unus. Nam etiamsi sunt qui dicātur dij, siue in cœlo, siue in terra, quē admodum sunt dij multi & domini multi. Nobis tamen unus est Deus, qui est pater ille ex quo omnia, & nos in illum, & unus DOMINVS Iesus Christus, per quem omnia, & nos per illum. Hic uides, quōd cum fit collatio inter uerum Deum, & fictitios Gentiū deos, tribuat spiritus sanctus ueram diuinitatem uni soli Deo, & quia tres sunt personę unius diuinitatis, iuxta refert, quā personā in ea collatione expresse nomines. Pie cū dices: Solum patrem esse uerū Deum: Dices etiam pie, Solum filium esse uerū Deum. Similiter pie dices, Solum spiritum sanctum esse uerum Deum, uidelicet si conferas inter se non personas diuinitatis, (Inter has enim una est diuinitatis essentia) sed si uerum Deum conferas cum fictitijs dijs. Quare cum Christus hoc loco dicat, Patrem esse solum uerū Deum, & conferat, quemadmodū antea ostendimus, patrē cum dijs gentium, non excludit se & spiritum sanctū, sed excludit tm̄ uanos deos gentium, qui nō sunt ueri dij, sed dęmonia, & refutat religionē Gentiū, q; nullus consequatur ęternam uitam ex cognitiōe eorum, quos illę pro dijs agnoscunt & colunt. Iudæi autem, etsi uidebantur colere eum Deum, qui creauit mundum, qui eduxit maiores ipsorum ex Ægypto, q promisit Messiam, tñ cum Messias olim à Deo promissus iamueniret, nō

credebant

credebant Deum patrem misisse hunc Iesum filium Marię, nec credebant hunc Iesum esse uerum filiū Dei, & uerum Christum à Deo patre missum. Quare nec Iudęi agnouerūt uerū Deum, nec potuerūt ex tali Dei cognitione æternā uitā consequi. Porro, quemadmodum Christi temporibus, duæ erant religiones, Iudæorę uidelicet, Phari saïcorę, & Gentium, quę non potuerunt cultores suos ad æternā uitā perducere, ita his temporibus tres sunt generales Religiones in orbe terrarum, quæ cultores suos magis ad ęternam mortē, q̄ ad æternam uitam ducunt. Vna est Iudęorum Rabbinicorum, qui sunt successores illorum pharisaïcorum. Hi dicunt se credere in Deum patrem omnis creaturę, sed non credunt eum misisse Iesum Christum filium suum. Altera est Turcarum. Hi dicunt se credere in unum Deum creatorem cœli & terræ, qui & miserit Iesum Christum in hunc mundum, non credunt autem, q̄ hic Iesus Christus sit uerus ab ęterno filius Dei, & q̄ morte sua expiauerit p̄cta nostra, sed faciūt ex ipso legislatorē. Tertia est Papistarum. Hi etsi agnoscere se dicunt Iesum Christum à Deo missum, & esse uerum filium Dei, tñ non agnoscunt uerum eius officium, q̄ ipse solus expiauerit sua morte peccata nostra. Tribuunt eñ expiationem peccatorum, etiam meritis iustitię, quam homines faciunt. Sed nulla harum religionum potest hominem ad æternā uitam seruare. Queso igitur te, dicito nobis, quę sit illa religio, in qua ęternam uitam & fœlicitatem certo consequimur? Hic audiendus est filius ipse Dei, quem pater audire iussit. Sic autem dicit filius Dei: Hęc est uita æterna, ut cognoscant te solum, uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Cognoscendum est ex Euangelio, per spiritum sanctum patefacto & illustrato, quod non sit alius uerus Deus, nisi pater ille, qui misit unigenitum filium suum Iesum Christum, in hunc mundum, ut expiaret peccata humani generis, & placaret iram suam, ac uinceret mortem & infernum. Hęc cognitio affert æternā uitam, imo est ipsa ęterna nostra fœlicitas & beatitudo. Non est autem sentiendum, quòd p̄j in futuro tantum seculo consequantur ęternam uitam, sed quòd cognitio Christi æternam uitam ita afferat, ut ea tam in hoc, quàm in futuro seculo fruamur. Primum eñ, si uere crediderimus in Iesum Christum, quòd ipse sit à Deo patre missus, & placauerit iram patris, tunc consequimur ius filiorum Dei, ut simus ueri hęredes ęternæ uitæ. Qua fide, ita regeneramur & recreamur, ut habeamus tranquillam & lętam conscientiam coram Deo, non solum spe iustitiæ in Christo, uerum etiam certissima expectatione liberationis in media etiamnum morte. Hic est gustus ęternæ uitæ, etiam in hoc mundo. Regnum Dei, inquit Paulus, non est cibus ac potus, sed iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto. Et

iterum. Iustificati ex fide pacem habemus erga Deum, per DOMINVM nostrum Iesum Christum, per quem & contigit nobis, ut fide perduceremur in gratiam hanc, in qua stamus, & gloriamur sub spe gloriæ Dei. Etsi enim caro adhuc imbecillis est, & multę sunt afflictiones, quas feramus, necesse est, denicp, ut nihil aliud accesserit, morte uel tandem obruimur, tamen, quia fide in Christum, certissimi sumus, afflictiones & mortem, non esse in nobis uiam ad interitum, sed ad salutem, possidemus etiam in hac mortali uita, non mediocrem partem immortalis & ętern ę uitæ. Si quis, inquit Christus, seruauerit sermonem meum, mortem non uidebit in ętternum. Et iterum: Ego sum resurrectio & uita: Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet, & omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in ętternum. Deinde, si de futuri seculi fœlicitate dicendum est, tunc cognitio, seu ut uulgo loqui solent, uisio & fruitio patris & filij & spiritus sancti, summa & perpetua est omnium piorum uita & beatitudo. Sordidissimi homines, Turcæ & Iudęi, constituunt futuram beatitudinem in perpetuo usu carnalium uoluptatum. Fingunt nescio quas, paradisi amœnitates, quibus se beati perpetuo sint oblectaturi. Hæc autem non est hominum, sed porcorum uita ac fœlicitas. Nam uera hominum uita & fœlicitas consistit in cognitõie, in uisiõe & fruitione patris & filij & spiritus sancti, solius ueri Dei ac DOMINI nostri. Deus em̃ est summum bonum, summa sapientia & iustitia, summa potentia & maiestas. Quantam igitur putas esse fœlicitatem Deum, ut est, non solum coram uidere, sed etiam eo frui? Si quis famelicus corã m uideat, ac fruatur optimo cibo, miram concipit uoluptatẽ. Si quis diu in tenebris uersatus, contempletur amœnitas uerni temporis, & fruatur ijs sano corpore, quantum animo suo exhilaratur? Quid ergo de ea animi lętitia dicemus, quę ei homini contingit, qui diu ac multum aduersis huius seculi grauissime afflictus, uidet tandem corã, & fruitur DOMINO Deo suo? Si quis physicam causam admirandæ cuiusdam rei, exempli gratia, repentini hiatus terræ, aut accessus & recessus maris, inuenerit ipse, aut ab alijs inuentam cognouerit, teneri non potest, si modo aliquid hominis habet, quin gaudio impleatur. Archimedes, cum in balneo sedens, excogitaret, quomodo portio argenti auro mixta, in integro opere deprehendi ac discerni posset, tanta perfusus est ex hoc inuento lætitia, ut mox è balneo exiliens, & nuditatis suæ oblitus, domum uersus properaret, identidem uociferans: Inueni, Inueni. Si cognitio naturalis caussæ, aut alterius rei in hoc mundo non admodum excellentis, tantam affert animi uoluptatem, quantã, obsecro, ea cognitio affert, qua Deus ipse uidetur, & cognoscuntur in ipso non tantum rerum omnium caussæ, uerumetiam admirabile

εὕρηκα, εὕρηκα,

rabile illud mysterium trium unius diuinitatis personarum? Pios enim in uenturo seculo uisuros & cognituros Deum, ut est, Paulus perspicue docet. Ad Corinthios enim scribens: Cernimus nunc, inquit, per speculum, in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc uero cognoscam, quemadmodum & cognitus sum. Et Ioannes: Carissimi, inquit, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid futuri sumus. Scimus autem, quoniam si apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum, SICVT EST. Quis autem uidens Deum sicut est, non frueretur ea? & quis ea fruens, non summo impleretur gaudio, non uita frueretur æterna? Quare conferamus omnem nostram cogitationem & curam in hoc studium, ut cognoscamus Iesum Christum, quem pater ad seruandum humanum genus in hanc terram misit, & quem spiritus sanctus illustrauit. Nam cognitiones aliarum rerum, seu artium, quas ita uocant, liberalium, seu agriculturę, seu negotiationum, seu opificiorum, habent quidem suam in hoc seculo utilitatem, non sunt autem æterna sed tantum terrena uita. Sola cognitio ueri Dei, qui nobis misit filium suum Iesum Christum, æterna uita est. Hanc cognitionem urget Hieremias cum ait: Hęc dicit DOMINVS, Non glorietur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec diues in diuitijs suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, Scire & NOSSE ME, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiā & iuditiū & iustitiam in terra. Et Oseas: Scientiam Dei uolo plusq̄ holocausta. Nam aliatū rerę scientię seruiūt corporali utilitati, quæ est caduca, hęc autem scientia hominem perpetuo beat. Et aliarum rerum scientię, sine hac, mutilę sunt, hæc autē, etiam sine alijs, ad uerā & perfectam salutem ducit. Quare etsi alijs scientijs suam debemus, pro sua quisq̄ uocatione, operam, tamen in hac omne studium collocandum est, & ad hanc consequendam, omnia alia referenda sunt, ut uere coram Deo huius uitæ nostræ corporalis offitio fungamur, & ad finē uocatiōis nostrę, qui est æterna beatitudo perueniamus. Sed percurramus etiā eam periodon, quæ sequit. Ego te glorificaui super terram, opus cōsummaui, quod dedisti mihi ut facerē. Et nunc glorifica me tu pater apud temetipsum, gloria, quam habui, priusq̄ hic mundus esset, apud te. Precatus est antea filius Dei ut glorificet a patre. Nunc igitur exponit, quam gloriā petat. Varię em̄ sunt species glorię. Gloria est, eloquentē oratorem esse. Gloria est, acutum philosophū esse. Gloria est, industriū artificē esse. Gloria est, diuitē ciuē esse. Gloria est, potentē Monarchā esse. Et multa id genus alia. Quā ergo gloriā petit filius Dei? Num ut pater faciat ex ipso eloquentē iuxta hoc seculū, oratorē, aut diuitē mercatorē, aut potentē in terra Monarchā? Nihil minus. Non petit uana aut mūdana, sed petit

uera, cœleſtia & diuina. Petit enim ea gloria illuſtrari, qua ipſe miniſterio ſuo patrem glorificauit, & quam habuit ante conditionē mundi. Videamus ergo, quę ſit illa gloria, qua Chriſtus patrem in terris glorificauit: Ego te, inquit, glorificaui ſuper terram, opus conſummaui, quod dediſti mihi, ut facerem. Pater enim mittens filium ſuum in terram, impoſuit ei hoc opus, & hoc offitium, ut prędicaret Euangelion, ut ædereț miracula, & ut ſuſciperet oēs humanas imbecillitates, ac tandem etiā crucis mortē, qua expiaret humani generis pctā. Hoc opere et offitio Chriſtus diligentiſſime & obediētiſſime ita functus eſt, ut nunc̄ ſuam humanam, ſed tm̄ Dei patris ſui gloriam quęſiuerit, & omnia ad patrem ſuum retulerit, quo palam declararet eum ſolum eſſe uerum Deum, ab omnibus adorandum, & colendum. Ego gloriam meam, inquit, non quęro, ſed cohoneſto patrem meum. In doctrina enim omnia ad Deum patrem refert: Ego, inquiens, quod uidi apud patrem meum loquor. Et iterum: Ego ex Deo proceſſi & ueni. Nec̄ enim à me ipſo ueni, ſed ille me miſit. Cum in deſerto tentaretur a' diabolo, & diabolus iuberet ipſum, ſe adorare, reĳcit eum hoc Dei præcepto: DOMINVM Deum tuum adorabis, et illum ſolum coles. In Nazareth patria ſua contionatur ex Eſaia, ac manifeſte tribuit ea quę docet & facit, Deo patri & ſpiritui eius. Spiritus, inquiens, DOMINI ſuper me, propterea quod unxit me. Et aliàs perſpicue facit Deum patrem, doctrinę ſuæ autorem. Mea, inquiens, doctrina, non eſt mea, ſed eius, qui miſit me. Cum filĳ Zebedei peterent, ut unus ſederet in regno eius ad dextrā, alter ad ſiniſtram, appellat ad Deum patrē. Meum, inquiens, non eſt hoc dare, ſed ĳs cōtinget, quibus paratum eſt à patre meo. In contione de afflictionibus in orbem terræ uenturus, ſoli Deo patri ſuo dat gloriam cognitionis. De die, inquiens, illo ac tempore nemo nouit, ne angeli quidem, qui in cœlo ſunt, nec ipſe filius, ſed ſolus pater. Quid autem dicemus de miraculis? Nam ea omnia accepta fert Deo patri ſuo: Dicit enim: Opera quę dedit mihi pater, ut perfitiam ea, ipſa, inquam, opera, quæ ego facio, teſtificantur de me, q̄ pater miſerit me. Ait, patrem dediſſe ſibi opera, ſeu miracula quæ ędat. Et cum eieciſſet apud Gadarenos ex homine dęmonia, ablegauit eum a ſe dicens: Redi in domum tuam, & narra quæcunq̄ tibi fecerit DEVS. Hic uides eum totam miraculi gloriam Deo tribuere. Cum excitaturus eſſet Lazarum a morte, attollit oculos ad Deum, & manifeſte agit patri gratias, ut tota miraculi gloria ad Deum patrem rediret. Quid, q̄ cum uocaretur bonus, reſpondet, neminem bonum eſſe, niſi ſolum Deum. Quid q̄ ſubĳcit ſe ubique legi Dei, & in ſuſcipienda cruce & morte palam profitetur ſe obedire ſcripturę Dei. In ſcriptura enim Deus uoluntatem ſuam patefecit.

fecit. Iam in precationibus suis, solum Deum patrem inuocat, & inuocandum docet. Breuiter, Christus tam in doctrina & miraculis, q̃ in omnibus alijs actionibus & passionibus, in uita & morte contionatur de Deo patre, & commendat bonitatem atque clementiam eius, ut solus ipse uerus Deus agnoscatur & colatur. Cum igitur Christus tali gloria patrem suum illustrauerit, ac ipsum solum esse uerum Deum adorandum comprobauerit, adeoq; suo offitio, ad quod è cœlo missus est, diligenter functus sit, ac totus sit in eo, ut quod est ipsi mandatum, absoluat, precatur nunc, ut pater uicissim illustret ipsum, & eadem gloria ipsum cohonestet, qua ipse eum cohonestauit, uidelicet, ut quemadmodum Christus declarauit patrem suum uerum esse Deum ab omnibus adorandum & colendum, ita pater declaret etiã Christum filium suum, uerum ab æterno esse Deum ab omnibus adorandum & colendum. Sed quid? an non hæc uidetur esse impudentissima precatio, q̃ cum ego doceam unum esse solum uerum Deum creatorem cœli & terræ, petam à Deo, ut me pro hoc offitio, uerum Deum sibi æqualem faciat, & me talem esse coram uniuerso mundo testificetur? Magna quidem & detestabilis impudentia esset, si is homo, qui non esset natura Deus, sic precaretur. In Iesu Christo autem, non est impudentia, sed offitiũ, & ueritas. Is em̃ non est tantum homo, sed est etiã natura ab æterno uerus Deus. Nec precatur, ut Deus aliquid nouæ diuinitatis in ipsum conferat, sed tantum, ut suam illam diuinitatem quam ab æterno habet, coram mundo illustret: Glorifica me, inquit, tu pater apud temetipsum, hoc est, TV ipse me glorifica. Nam mundus afficit me ignominia, ideoq; necessariũ erit, ut tumetipse me spiritu tuo sancto illustres, Sed qua gloria? Non certe à me aliena, & me indigna, sed ea, quam habui apud te priusq; hic mundus esset. Ec qualis est ista gloria? primum non est mundana, quia habuit eam priusq̃ mundus conditus fuit. Denide non est angelica, quia angeli non sunt filij, sed serui Dei. Christus autem est filius Dei: Filius meus es tu, inquit, ego hodie genui te. Et angelis prꝛcipitur, ut adorent Christum. Adorent eum, inquit, omnes angeli. Christo autem non prꝛcipitur ut adoret angelos, sed potius ut angeli ei seruiant. Reliquum igitur est, q̃ hic sermo fiat de diuina gloria, uidelicet, q̃ Iesus Christus habeat ab ꝛterno diuinam gloriam, & sit unus solus uerus & ꝛternus Deus, eiusdem essentiæ & maiestatis cum patre & spiritu sancto. Itaq; cum Christus precatur, ut pater glorificet ipsum tali gloria, quali ipse eum ministerio suo glorificauit, & qualem habuit ante mundi conditionẽ, perspicue precaretur, ut pater declaret ipsum esse uerum ab ꝛterno Deum, eadem cum patre & spiritu sancto ueneratione adorandum & colendum. Quod autem Christus precatus est, hoc pater pau

Vide Hebr. 1.

lo post manifeste præstitit. Iesus enim resurrexit à mortuis, ascendit ad cœlos, sedit ad dextram Dei, misit spiritum sanctum magnis miraculis, dedit discipulis potestatem ædendi miracula suo nomine, diuulgauit per Apostolos suos Euangelion in toto orbe terrarum, collegit Ecclesiam suam ex omnibus terrę nationibus, defendit ac tuetur eam in omnibus huius mundi persecutionibus, iustificat omnes credentes in ipsum, dat spiritum inuocandi Deum, ut patrem, consolatur in omnibus aduersis, conseruat in morte, & dat ęternam uitam. Hæc non sunt humana, sed diuina opera, quibus pater palàm comprobat, ꝙ Iesus Christus filius eius sit uerus ab ęterno Deus. Quod cum ita se habeat, nostri offitij erit, ut hunc Iesum Christum, non tantum fide cordis amplectamur, sed etiam omni generi obedientiæ colamus & ueneremur, quo & nos nostris operibus publice testificemur, eum esse uerum unà cum patre & spiritu sancto Deum benedictum in secula, Amen.

HOMILIA XXXXIX.

OSTENDIMVS precationē Christi, quā suscepimus explicandam, tribus partibus constare. In quarum prima Christus petit, ut gloria & maiestas sua illustretur, quo humanū genus cognoscat ipsum, & ex ea cognitione, ueram ac perpetuam salutem consequatur. Cum autem hanc precationis partē qualicunꝙ nostra interpretatione absoluerimus, accedemus nunc, uestris precibus adiuti, ad secundam partem, in qua Christus precatur pro Apostolis suis, ut conseruentur, & ut ministerium eorum fœliciter in hoc mundo procedat, exponens interim, quanta sit ueritas & autoritas Apostolicę doctrinę. Quę nobis pręsertim hoc tempore, quo propter Apostolicę doctrinæ professionem plurimū affligimur, diligentissime sunt considerandа. Apostolica enim doctrina hęc est, ꝙ habeamus remissionem peccatorum & æternam uitam propter solum Iesum Christū, per fidem, quę est in eum. Aduersarij autem instituunt homines cogere, ut agnoscant Pontificiam doctrinam, quæ obtrudit nobis merita humanę iustitię, & indulgentias Papæ, id quod ex diametro cum Apostolica doctrina pugnat. Quare magnę nobis curę sit, ut certitudinē Apostolicę doctrinę recte cognoscamus. Manifestaui, inquit, nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt, ꝙ omnia, quęcunꝙ dedisti mihi, abs te sunt, quia uerba quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt, & cognouerunt uere, ꝙ à te exiui, &

& crediderunt, ꝙ tu me misisti. Ego pro eis rogo. Manifestaui, in- "
quit, nomen tuum hominibus: Qui ergo sunt illi homines? De A-
postolis loquitur. Nam postea faciet mentionem aliorum hominum,
qui credunt doctrinę Apostolicæ. Nunc autem de Apostolis ipsis ser
mo est. Pro his, inquit, rogo. Queso igitur te, exponito nobis, quales
hoĩes sint Apostoli, ꝙ filius Dei tam sollicite pro ipsis apud patrẽ su
um intercedit. Quid, obsecro, fecerũt, ꝙ tantę curæ sint Christo? Pri
mum, Apostoli, hi homines sunt quibus Christus nomen Dei patris
sui, & ueram doctrinam, qua æterna nobis salus proponitur, patefe-
cit. Manifestaui, inquit, eis nomen tuum. Et mox: Verba quæ dedisti
mihi, dedi eis, hoc est, Docui eos uerã Dei cognitionẽ, & uere cœle-
ste Euangelion. Quid ergo? Num Apostoli non cognouerunt antea
nomen Dei? aut Deum ipsum? Non enim fuerunt Ethnici, sed Iudęi,
qui erant populus Dei electus, in quo nihil notius erat nomine Dei.
Notus in Iudęa, dicit psalmus, Deus, & in Israel magnum nomen ei-
us. Quid ergo est, ꝙ Christus dicit, se iam primum patefecisse Apo-
stolis suis nomen Dei? Cognouerunt quidem Deum antea cognitio-
ne Ethnica & Iudaïca, uidelicet quòd Deus sit summum bonum,
benefaciens bonis, & puniens malos, ꝙ Deus sit creator cœli &
terræ, ꝙ Deus eduxerit Israelitas è terra Ægypti. Non autem cog-
nouerunt eum Christiana cognitione, uidelicet, ꝙ Deus sit pater Do
mini nostri Iesu Christi, quem olim promiserit, & nunc præstiterit,
ut propter ipsum placatus esset humano generi, & seruet omnes, qui
credunt in ipsum. Deus autem non recte cognoscitur, si cognosci-
tur tantum, ut summum bonum, benefaciẽs bonis, & puniens malos.
Sic enim & Ethnici Deum cognoscunt. Nec recte cognoscitur, si cog
noscitur tantũ, ut creator cœli & terræ, & liberator Israelis ex Ægyp-
to. Hęc est Iudaïca cognitio, qua nemo in iuditio Dei a peccatis libe-
rari & seruari potest. Sed Deus cognoscendus est ut pater filij sui do-
mini nostri Iesu Christi. Hæc est uere pia recta & salutaris cognitio
Dei, quam & Patriarchæ & omnes pṙi ante Christum hominem fa-
ctum habuerũt. Abraham (inquit) exultauit ut uideret diẽ meum, Vi
dit & gauisus est. Et: Credimus nos saluos futuros, per gratiam domi Act. 15.
ni Iesu Christi, quemadmodum & ILLI, uidelicet, Patriarchæ. Nam
extra Iesum Christũ, Deus est iratus & condemnator, imo extra Chri-
stum, ne Deus quidem est. Quare nisi cognoueris Deum, ut patrem
Christi, nullam prorsus habes ueram Dei cognitionem. Itaq; nec Iu-
dæi, quales nunc sunt, nec Turcę, nec Pontifitṙi uere Deum cogno-
scunt, quia non cognoscunt eum, ut patrem domini nostri Iesu Chri-
sti, propter quem solum consequamur salutem. Cæterum, superua-
caneum puto, hic cõmemorare, ubi Christus manifestauerit nomen

Dei patris Apostolis suis. In omnibus enim contionibus suis, quibus docuit se à patre missum, & uerũ esse Messiam, ac filiũ Dei, docuit etiam deum tunc uere cognosci, si cognoscatur, ut pater ipsius, qui propter ipsum faueat humano generi, & seruet omnes credẽtes in ipsum. Accedunt etiam miracula, quę ędidit Christus, quibus similiter manifestatum est, deum esse propitium, & ut populus loquitur, uisitasse plebem suam. Sed & de cœlo audita est uox patris de Christo: Tu es filius meus dilectus, In te complacitum est mihi. Vnde & apostoli ipsi ingenue confitentur: Tu es Christus ille filius dei uiuentis. Hęc est uera manifestatio nominis dei, uidelicet, quod deus sit pater domini nostri Iesu Christi, & sit propitius propter Christum omnibus inuocantibus ipsum in ueritate. Deinde, Apostoli hi hõmines sunt, q non temere uenerunt ad Iesum, & crediderunt eum esse uerum Christum, sed sunt diuinitus á patre ad eum adducti. TV, inquit, dedisti mihi eos de mundo, TVI erant, & mihi eos dedisti. Quod Christus dicit tale quid est, quale est, si quis parens habeat numerosam prolẽ, & commendaturus salutem eorum deo in periculis uel famis, uel pestilentię uel incursionis hostilis, dicat: Clementissime pater, uides multitudinem liberorum meorum, & magnitudinem periculorum, quę impendent eis: TVI erant, & mihi eos dedisti. Neq; enim ipsi se creauerũt, neq; ego is sum, qui fecerim sterilem matrem filiorum lętantẽ: TVA dona sunt, Tua est benedictio. Queso igitur te, per Iesum Christum filium tuum, ut cũ ego in tantis periculis eos conseruare non queam, tu in tuam curam eos suscipias: Defende & tuere tua ipsius dona, ut glorificemus nomen tuum perpetuo. Sic & Christus abiturus morte ab Apostolis suis, & relicturus eos in medio furore huius mũdi, commendat eos curę Dei patris hoc argumento, quod non ipse Apostolos ad se recipiendum uiolenter coegerit, nec Apostoli Christum humana prudentia elegerint, sed quod pater eos Christo dederit. TVI, inquit, erant, & mihi eos dedisti. Non temere uenerunt ad me. Non sunt coacti humana uiolentia, ut me susciperẽt. Non uenerunt ad me humana eloquentia persuasi. Nullus hic est uel casus, uel temeritas, uel humanum consilium: Sed Tui erãt, tuo spiritu excitati sunt, ut me audirent, & cognoscerent. Sicut & alias dicit: Nemo uenit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Et, Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cœlis. Sunt autem suæ causse, cur Christus in hac precatione commemoret, Apostolos esse dei patris dona. Significat enim, se probe confidere, q; cum sint dona dei, & ipse necesse habeat ab eis discedere, non dubitet, quin sint deo curæ, & deus sit ipsos seruaturus. Significat etiam hoc, q; Apostoli acceperint doctrinam suã á Christo, non humano consilio, sed diuino spiritu excitati. Quare sentiendum

tiendum est Apostolicam doctrinam, non esse humanum somnium, sed cœleste oraculum, quo ueram salutem consequamur. Iam & hoc significat Christus, ꝙ qui audiunt & accipiunt Euangelion Christi fide, sint uere Dei populus, a Deo ipso electus. Nullus enim audit et accipit Euãgelion Christi fide, nisi à Deo excitatus, & edoctus. Quare nulla teneat te anxia sollicitudo de prędestinatiõe Dei. Sed in hoc studium incumbas, ut audias & ames Euangelion Christi, & credas solum Christum esse seruatorem tuum. Si enim inueneris te in Christo per fidem, inuenies etiam te in Deo patre, electum & ad perpetuam salutem prædestinatum. Tui, inquit, erant, & dedisti mihi eos. Qui ergo dati sunt Christo, hi etiam sunt electi & prædestinati. Sed pergamus ad reliquam descriptionem Apostolorum. Apostoli enim hi homines sunt, qui acceperunt, inquit, uerba, quæ eis dedi, & seruauerunt sermonem tuum, hoc est, Audiuerunt meas contiones diligentissime, & acceperunt eas, non ut hominis, sed ut Dei uocẽ. Et ex his contionibus cognouerunt, ꝙ tu me misisti, ꝙ sim uerus Messias, cognouerunt, ꝙ omnia, quęcunq; dedisti mihi, abs te sunt, hoc est, quòd omnia quæ habeo, loquor & facio, non sint humana, sed diuina. Cognouerunt meam doctrinam esse diuinam, & mea miracula esse diuina, ideoq; crediderunt ꝙ tu me misisti, quòd sim uerus Messias, seruator humani generis. His uerbis Christus non solum cõmendat Apostolos suos Deo patri, ut cum credant Euangelio suo, tueatur eos ne pereant, uerumetiam commendat Apostolicam doctrinam nobis Apostolorum discipulis. Quam enim doctrinam Apostoli tradiderunt nobis, non somniarunt, nec excogitarũt sua humana ratione, sed acceperunt eam diuinitus. Non docuerunt ipsis incognita, sed quæ certissime cognouerunt, & probauerunt. Quare, si angelus aliud Euangelion, præter Apostolicum, docet, sit nobis anathema. Cum igitur Apostoli sint tales, uidelicet, a te, Deo patre, mihi donati, quibus nomen tuum manifestaui, qui & Euangelion meum acceperunt, & me, ut uerum Messiam cognouerunt, idcirco, ROGO, inquit, PRO EIS. Non pro mũdo rogo, sed pro ijs, quos dedisti mihi. Quæ hæc noua est precatio? An non precandum etiam pro inimicis? Orate, inquit, pro ijs, qui uos persequuntur. Et Christus ipse precatus est in cruce pro ijs, qui ipsum crucifigebant. Et Paulus: Deprecationes, inquit, fiant pro omnibus hominibus. Deus enim cunctos homines uult saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Quid ergo est quod dicit: Non rogo pro mundo? Cum Christus hic de mundo loquitur, non excludit alios homines pręter Apostolos, quia postea orat etiam pro ijs, qui credituri erant per sermonem eorum, sed excludit maximam partem hominum in hoc mundo, qui aut non requi-

runt Christũ, aut cõtemnunt, aut persequunt eũ, & non resipiscũt ab hac impietate. Tres em̃ sunt hoim ordines, pro quibus Christus nõ orat: Primus est eorũ, qui non requirũt Christum. Secundus eorũ, q contemnũt Christũ. Tertius eorũ, qui persequuntur Christum. Hi, si manserint impœnitẽtes, non fiunt participes oratiõis Christi, Si manserint, inquã, impœnitentes. Aliud est, si egerint impietatis suæ pœnitentiam. Sic em̃ & ipsi comprehendunt hac oratione. Quod si autẽ pergant semper impij esse, nihil ad eos oratio Christi. Quid autem grauius est, q̃ non esse orationis Christi participem? Qui em̃ huius non est particeps, is nec potest regni cœlestis particeps esse. Quare in hoc incumbendum nobis est, ut resipiscentia & studio pietatis in oratione Christi comprehendamur. Nam, q̃ pro inimicis, ac etiam pro omnibus hominibus orandum est, non sic intelligi debet, q̃ orandum sit, ut inimicorũ malitia, & hominum impietas promoueat: Deus enim non est Deus uolens iniquitatem, neq̃ permanebunt iniusti ante oculos eius, sed orandum est, quemadmodum Paulus ipse exponit, ut ad agnitionẽ ueritatis ueniãt, ut resipiscant, quo & ipsi salutem consequantur. Cum autem Christus non orat pro mundo, significat neminem posse seruari nisi in Ecclesia sua. Non enim sentiendum est, q̃ unusquisq̃ in quauis religione seruetur, sed q̃ uera salus sit in sola Ecclesia Christi. Quare & oratio Christi ad solam suam Ecclesiam pertinet, & qui eius oratiõis particeps esse uoluerit, membrũ Ecclesiæ sit, necesse est. Sed Christus repetit iterum causſam, propter quam Apostolos suos Deo patri tam sollicite commendat. Repetit autem eam, & ut clarius ipsam exponat, & fiduciã suam fortius confirmet. Dicit enim: Pro ijs rogo, quos dedisti mihi. Quia TVI sunt. Et mea omnia tua sunt, & tua, mea sunt, & glorificatus sum in eis. Et iam non sum in mundo, & ij in mundo sunt, & ego ad te uenio. Sicut antea dixerat, TVI erant, & mihi eos dedisti. Ita nunc dicit, Tua sunt, & mea omnia tua sunt. Quod autem dicit, hanc habet sententiam. Ego rogo pro meis Apostolis, & commendo eos tibi cœlesti patri. Hactenus enim, cum agerem apud ipsos externam huius uitæ consuetudinem, defendi eos, ne ab aduersarijs opprimerentur. Nunc autem non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te uenio, hoc est, Nunc mihi discedendum & moriendum est, ut non amplius corporalem uitam cum ipsis in hoc mundo sim acturus, sed ascendam in cœlum, & sedebo ad dextram tuam. Ipsi uero non sunt hoc tempore morituri, sed in mundo mansuri, & in medio inimicorum suorum uitam actuari, ac nomen meum glorificaturi. Glorificatus sum, inquit, in eis, hoc est, Apostoli hi sunt, per quorum ministerium gloria mea in mundo illustratur. Rogo igitur te, ut suscipias eos in tuam tutelam. Et cur

id non

id non faceres? Omnia em̃ mea, tua ſunt, & tua, mea ſunt. Apoſtoli autem ſunt Tui, ſunt igit̃ & mei, ideoq; dediſti mihi eos. Et ſunt mei, ſunt igit̃ & tui, quia oĩa mea, tua ſunt, ſicut & oĩa tua, mea ſunt. Quare cum cõmendo Apoſtolos tuæ curæ, non commendo tibi alienos, ſed Tuos. An uelles Tuos deſererẽ? Non facies. De te em̃ dictũ eſt: DOMINVS non derelinquet ſanctos ſuos, In ęternum conſeruabuntur. Vides, q; fortem cauſſam cõmemoret Chriſtus, cur pater debeat Apoſtolos, ipſo diſcedente, in tutelam ſuſcipere. Petendum aũt eſt nobis hinc exemplum, ut precaturi ſalutem à DOMINO in afflictiõe, exponamus ei, nos non eſſe alienos, ſed SVOS, ſanguine Chriſti redemptos propter Chriſtum in filios & hęredes cœleſti regni adoptatos. Deus aũt tantæ eſt clementię, ut ſuos in omnibus periculis conſeruet. Montes, inquit, cõmouebuntur, & colles contremiſcẽt, miſeri cordia aũt mea non recedet à te, & fœdus pacis meę nõ mouebit̃, dixit miſerator tuus DOMINVS. Quare bene cõfidamus, & certã in omnibus aduerſis liberationẽ ſperemus. Sententia aũt hęc, quam Chriſtus hoc loco recitat: Omnia mea, tua ſunt, & tua, mea ſunt, diligenter eſt obſeruanda. Non ſolum em̃ exponit nobis maieſtatem Chriſti, ue rumetiã conſolat̃ nos in omnibus afflictionibus. Primum em̃, ſi omnia patris, Chriſti ſunt, q̃d reliquũ eſt, niſi ut ſentiamus, etiã patris eſt ſentiã Chriſti eſſe, hoc eſt, Chriſtum eſſe unum uerũ & ęternũ cum patre ſuo Deum. Deinde, ſi oĩa Chriſti, ſunt patris, reliquũ eſt, q; & credentes in Chriſtum, ſint patris. Qui em̃ in Chriſtum credunt, ſunt Chriſti. Sunt igit̃ & patris, ſi patris, quomodo non ſeruarent̃? Quid em̃ potentius Deo patre? & quid eo clementius propter filium ſuum Chriſtum? Non terreamur igit̃ aduerſis, ſed reſpiciamus in Chriſtũ filium Dei, per fidem, ut cum huius membra ſimus, in protectione Dei patris cõmoremur per Ieſum Chriſtum ſeruatorẽ noſtrũ, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA L.

ERGIT Chriſtus eas, quas inſtituit preces proſequi, pergamus & nos eas, qualicunq; conſideratione noſtra expendere. Ac ante quidem commemorauit Chriſtus cauſſas, cur ſuſceperit pro Apoſtolis ſuis precandũ. Nunc aũt exponit, q̃d preceṫ, & q̃d ipſorũ noĩe à deo patre petat. Pater ſancte, inquiens, ſerua eos in noĩe tuo, q̃s dediſti mihi, ut ſint unũ, ſicut et nos: Hic initio cõſiderandũ eſt epithetõ, q̃d Chriſtus patri ſuo tribuit. Vocat eũ ſãctũ. Hoc epithetõ ꝓprię cõuenit deo. Solus em̃ deus uere ſãctus eſt,

In Esaia clamant Seraphim ad seinuicem, Sanctus, Sanctus, Sanctus, DOMINVS DEus Zebaoth. Et, sicut Christus ait: Nemo bonus, nisi solus Deus, ita etiam nemo sanctus, nisi solus Deus. Homines enim sunt natura sua, propter peccatum prophani, & carent sanctitate, Reperitur & in angelis prophanitas. Solus autem Deus, sanctus est. Quid ergo? Si solus Deus sanctus, & nos prophani, quomodo conueniemus? quomodo cōstabimus in iuditio Dei? An non hoc epitheton multo magis nos à Deo alienat, & ad ipsum inuitat? Certe si sine mediatore contulerimus nos in hoc epitheto, cum Deo, fieri non potest, quin conīciamur in horrores inferni, Sed bene habet. Deus, qui solus uere sanctus est, saluti nostræ ita consulit, ut non sibi soli suam sanctitatē retineat, sed habeat eam cōmunem cum hominibus, id autem hoc modo fieri solet: Pater sanctus, mittit filium suū sanctum in hanc terram, & donat eum omnibus credentibus in ipsum, per spiritum sanctum. Quotquot igitur recipiunt filium Dei sanctum per fidem, hi propter filiī Dei sanctitatem, reputantur & ipsi coram Deo sancti. Hæc aliena quidem sanctitas est, sed fit nostra, per gratuitam Dei imputationem. Et fit etiam in nobis per spiritū sanctum efficax, ut incipiat in nobis mortificare carnem, & deducere nos in uiam faciendæ iustitiæ, imperfectæ quidem propter carnem, attamen obedientiam, & gratitudinem nostram aliquo modo declarantis. Hoc nobis preter multas alias causas, etiam propter hanc cognoscendum est, ut sciamus, quid in diuinis promissionibus nomine sanctorum & iustorum intelligendum sit. Extant multæ promissiones sanctis & iustis dictæ: Non derelinquet DOMINVS sanctos suos, Ineternum conseruabuntur. Et iterum: Clamauerūt iusti, & dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. Ac mox: Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberauit eos DOMINVS. Qui ergo sunt isti sancti, & iusti, quibus promissa est salus à DOMINO? Si opera respexeris, & contuleris ea cum iuditio Dei, nullus hominum est, sanctus & iustus, quia non iustificatur in conspectu Dei omnis uiuens. Si autem respexeris Christum per fidem acceptum, omnis ille sanctus & iustus est, qui in Christum credit, & ambulat ex hac fide in uocatione Dei. Quare qui uoluerit fructum diuinarum promissionum capere, ad Christum se conferat, necesse est, ut propter Christum reputetur coram Deo sanctus & iustus. Sed audiamus nunc, quid Christus à sancto suo patre precetur: SERVA, inquit, EOS. Si Christus sollicitus est pro Apostolis suis, ut seruentur, perspicuum est, quòd multa & magna sint pericula ipsorum, & graues afflictiones. Videamus igitur, quæ sint illæ afflictiones. Ac unum quidem genus afflictionum est generale, quod est com-

mune

mune cum omnibus hominibus. Postquam enim Adam peccauit, factum est humanum genus obnoxium omnibus tam corporalibus, q̄ spiritualibus calamitatibus, ijsq̄ tam publicis q̄ priuatis, uidelicet, morbis, fami, frigori, ægestati, morti, bellis, incendijs, oppressionibus, dolori, tristitiæ, ægritudini animi, denicq̄ infinitis malis. Cum igitur Apostoli, homines fuerint, nihil ab eis humanarum calamitatum alienum fuit. Alterum genus est speciale, q̄ cum Apostoli adnuntient Euangelion Christi, mundus habeat eos odio, persequatur ipsos, & adimat ipsis etiã uitam. Sic enim supra dixit: Ego selegi uos de mundo, propterea odit uos mundus. Et mox: Ego tradidi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit. Tertium genus est priuatum, q̄ obijciunt̃ terroribus mortis ac inferni. Profecto, hęc singula sunt grauissima. Quid ergo de uniuersis sentiendũ esset? Quare precat̃ Christus, ut Apostoli in his omnibus aduersis seruentur ne pereant. Existimas autem preces Christi non esse efficaces? Certe res ipsa probat, Apostolos in hac uita, & morte tam admirabiliter seruatos, ut euaserint illæsi omnia pericula, ad cœlestem & perpetuam beatitudinem. Sed quo nomine seruati sunt? Additur: In nomine TVO. Hoc late patet. Primum enim, Nomen Dei est, q̄ sit uerax in promissionibus suis. Quare, cum Christus petit Apostolos seruari in nomine patris, petit ut seruentur iuxta ueritatem diuinarum promissionũ. Dixit enim Deus, se seruaturũ omnes eos, qui credunt in Christum. Sic Deus dilexit mundum, ut daret unigenitum filium suum, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat ęternam uitam. Deinde, nomen Dei est omnipotens, & Deus Zebaoth, hoc est, uirtutum seu exercituum. Ergo cum petit ut Apostoli seruentur nomine Dei, petit ut seruentur uirtute & potentia Dei. Nulla enim humana potestas est, quæ suscipiat eos tuendos & seruandos. Necesse igitur habent, ut diuinitus seruentur. Adhæc, Nomen Dei est, Sanctus. Quare cum Christus rogat, ut Apostoli seruentur nomine Dei, rogat ut pro ratione diuinæ sanctitatis seruentur. Alia ratione seruat mundus, alia Deus. Mundi ratio prophana est, Dei autem sancta. Mundus seruat suos externo auxilio. Egentem seruat externa pecunia, Aegrotum seruat corporali sanitate, oppressum seruat externa liberatione, Moriturum seruat medicina. Hic autem non est uerus seruandi modus, quia nec semper nec perpetuo seruat. Deus autem seruat suos auxilio sancto, hoc est, longe alio modo, quàm humanæ rationi cõueniens uidetur. Ditaturus egentẽ, conijcit in paupertatem, Seruaturus ęgrotũ, auget ægrotationem, Liberaturus oppressum magis opprimit. Viuificaturus moriturę, mortificat, denicq̄ deducturus

ad cœlum, deducit ad inferos. Hic est sanctus modus seruandi, quo & Apostoli seruati sunt, & omnes pij seruantur. Postremo Nomen Dei est Glorioſum. Quare cū dicit Apostolos seruari nomine Dei, ſignificat eos seruari propter gloriam nominis Dei, & ad amplificandam famam eius. Magna enim gloria Dei est, ſi adiuuerit & seruauerit miſerum atq; afflictum. Hoc enim exemplo homines excitantur ad fidem, ad inuocationem, & ad obedientiam Dei. Iſte pauper, inquit pſalmus, clamauit, & dominus exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum. Accedite ergo ad eū, & illuminabimini, & facies ueſtræ non confundentur. Et Paulus: Ideo miſericordiam ſum adeptus, ut in me primo oſtenderet Ieſus Chriſtus omnem clemētiam ad exprimendum exemplar his qui crediturí eſſent in ipſo in uitam æternam. Sed in quem uſum ſeruandi ſunt Apoſtoli à patre? Additur: Vt ſint unum ſicut & nos. Hic nobis conſiderandū eſt, quō pat & filius ſint Vnum, ut cognoſcamus quomodo Apoſtoli unum eſſe debeant. Initio pater & filius, duę quidem ſunt perſonæ, ſed una eſt ipſorum eſſentia, & una diuinitas. Ita & Apoſtoli, diuerſa quidem membra ſunt, ſed unum corpus, ſub uno capite, Chriſto. Etſi enim magnum eſt diſcrimē inter unitatem, quæ eſt inter patrem & filium, ac inter Apoſtolos, tamen quia eſt & ſua eſſentię unitas, inter diuerſa unius corporis membra, non abſurde dicitur, Apoſtolos ſic unum eſſe quemadmodum pater & filius unum ſunt. Magnam autem affert nobis conſolationem, q̄ Apoſtoli & omnes qui credunt Apoſtolicæ doctrinæ, de quibus poſtea ſequitur, ſint unum corpus, ſub uno capite, Chriſto. Vide enim mihi quid in humano corpore accidat. Alia membra, inquit Paulus, gerunt inuicem ſollicitudinem pro alijs. Et ſiue patitur unum membrū, ſimul patiūtur omnia membra, ſiue glorificatur unum membrum, ſimul gaudent omnia membra. Nec membra ſolum, ſed & caput ipſum, imo maxime omnium caput. Idem accidit in ſpirituali corpore Chriſti. Si pius quiſpiā, qui eſt corporis huius membrum affligitur, pertingit ea afflictio non tantum ad alios pios, ſed etiam ad caput ipſum, Chriſtum. Quid igitur metuis, ne afflictio te opprimat? Tecum affligūtur omnes pij, nec ſic ſimul affligunt, quemadmodum homines huius ſeculi. Etſi enim inter hos alter ex alterius afflictione dolorem capit, tamen alienus dolor nullam affert afflicto liberationem. In corpore autem Chriſti, quę membra ſimul patiuntur, ea etiam ſimul ſeruantur, per caput ſuum Chriſtum. Afflictio enim piorum, pertingit uſq; ad Chriſtū ipſum, qui eſt caput eorum. Fieri aūt non poteſt, ut afflictio opprimat Chriſtum. Quare nec fieri poteſt, ut piū in Chriſto manentē opprimat. Atq; hęc quidē de unitate piorū ſub uno capite Chriſto diligēter cōſeruanda ſunt. Deinde, ſi

cut

cut inter Deum patrem & filium eius, una est diuinitatis essentia, ita etiam est una uoluntas, una animi sententia, & una doctrina. Quę Deus pater uult & sentit, eadem uult etiam & sentit filius. Quæ est Dei patris doctrina, eadem est & filij Dei. Sic precatur Christus, ut & Apostoli unum sint, & eadem doceāt. Quæ precatio Christi fuit etiam efficax. Apostoli ēm omnes uno ore, unum & idem Euāgelion de Iesu Christo docuerunt, uidelicet, ꝙ Iesus sit uerus Messias seu Christus, filius Dei, & ꝙ propter hunc solum, si credimus in eum, habeamus propitium Deum, remittentem nobis peccata, adoptantem nos in filios suos, & seruantem nos in morte ad æternam uitam. Hæc Apostoli omnes magna concordia docuerunt, qua etiam factum est, ut etsi Ecclesia uidebatur initio parua, tamen in tantam magnitudinem creuerit, ut totum orbem terrę impleat. Maneamus igitur in hac concordi Apostolorum doctrina, ut & in Ecclesia, adeoꝙ Christo ipso maneamus. Sed pergamus ad ea quę sequuntur. Dicet enim quispiam ad Christum: Quid tu tam sollicite commendas patri Apostolos tuos, cum tuipse possis eos seruare? Cur tuipse non defendis eos, ut seruentur? Ad hoc respondet Christus: Cum essem, inquiens, cum eis in mundo, ego seruabam eos nomine tuo. Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis perijt, nisi filius ille perditus, ut scriptura compleretur. Nunc autem ad te uenio, & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. Quod dicit, habet hanc sententiam: Ego quidem, quamdiu egi externam uitę consuetudinem cū Apostolis meis, in hoc mundo, seruaui eos docendo, consolando, & tuendo ab aduersarijs, nec quenquam ex eis amisi, pręter unum illum Iudam Ischarioten, cuius interitus, ut maximum mihi dolorem affert, ita a' me, iuxta scripturam, ferri oportet, quo ad expianda peccata, omnibus afflictionum generibus affitiar. Nunc autem discedendum mihi est ex hoc mundo per mortem, nec agam amplius cum ipsis corporalem uitam in hoc seculo. Quare precor te sancte pater, ut cum tui sint, & tu mihi eos dederis, suscipias eos in tuam tutelam, & defendas eos in omnibus periculis. Quid ergo ad hęc dicemus? An Christus, postꝙ commendauit Apostolos & Ecclesiam suam patri, & discessit ex hoc mundo, non amplius tuetur eos? certe tuetur, non autem externa pręsentia & corporali suo ministerio, sicut antea, cum adhuc uitam in terris ageret, sed tuetur eos inuisibili præsentia, & diuina potentia. Ecce ego, inquit, uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Nam in locum externi sui ministerij, & uisibilis præsentiæ misit spiritū sanctum, & instituit publicā prędicationē Euangelij, atꝙ usum sacramentorum suorū, quibus Ecclesiam ita defendit & cōseruat, ut ne portæ quidē inferorū aduersus eā pręualere

queant. Cum igitur prędicatur Euangelion Christi, & distribuuntur sacramẽta, meminerimus nobis tum proponi cœleste prȩsidiũ, quo aduersus omnes Satanæ assultus tuti esse possimus, si ijs per fidẽ utamur. Quod autem Christus dicit se nullũ ex Apostolis amisisse, prȩter filium perditum. Et addit: Vt scriptura impleretur, non est intelligendum, ꝙ Iudas coactus sit, autoritate scripturȩ, Christum prodere, & perire. Neq; enim Deus, neq; scriptura Dei, autores sunt peccati. Nec Iudas ideo peccauit, quia scriptura dicit, eum peccaturum. Sed quia sua sponte peccaturus, & Christum proditurus erat, idcirco scriptura de eo uaticinatur. Et Christus cum ait: Vt scriptura impleretur, significat obedientiam & patientiam suam in sufferenda defectione & proditione discipuli sui. Venit enim Christus in hunc mundum, ut susceptis peccati supplitijs, & grauibus afflictionibus, expiaret peccatum. Inter graues autẽ afflictiones recensentur non solum corporalis captiuitas, flagellatio, manuum & pedum confossio, & crucifixio, uerumetiam dolores animi, qui ex defectiõe optimorum amicorum, & ex proditiõe sui ipsius discipuli, de quo optime meritus fuerit, concipiuntur. Huius doloris tanta grauitas est, ut Christus de eo in scriptura conquestus sit, priusquam hominem assumpsit. In psal. xxxx. dicit: Homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationẽ. Et psal. xxxxiij: Si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: Tu uero homo unanimis dux meus, & notus meus. Qui simul dulces mecũ capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cũ consensu. Quare, cũ Christus hoc loco dicit, se amisisse Iudam, ut scriptura impleretur, nõ significat Iudam scriptura coactum fuisse prodere & perire, sed significat se uenisse in hunc mundum, non ut proditionem Iudæ omnipotenti sua maiestate impediret, sed ut obedienter eas afflictiones, quas scriptura in ipsum uenturas prædixit, susciperet, ac peccata humani generis expiaret. Ergo, quod ait: Nemo ex eis periit, nisi filius ille perditus, ut scriptura impleretur, habet hanc sententiã: Potuissem quidem pro mea maiestate, non solum undecim Apostolos, sed etiam duodecimũ, Iudã uidelicet, seruare ne periret, aut ipsum ab initio nõ elegisse in Apostolum, ne mihi sua proditione tanti doloris & afflictionis autor fieret, sed quia ueni in hunc mundum, ut obedirem uoluntati Dei patris, quæ per scripturam reuelata est, usq; ad mortem crucis, idcirco suffero interitum Iudȩ, quod mihi maximum affert dolorem, ut etiam hoc doloris genere expiem peccata hominum, & placem iram Dei. Discamus & nos uoluntatem Dei ex scriptura, ut obsequamur ei non solum in faciendis bonis, quæ prȩcepta sunt, sed etiã in sufferendis malis, quȩ diuinitus nobis immitti solent. Voluntas enim

nim Dei est, ut & bona faciamus, & mala obedienter feramus, donec regnum Dei de cœlo reueletur. Cęterum, cũ Christus has preces cõ rã patre effunderet, nõ recitauit eas secũ tacite, sed recitauit eas clare, audientibus Apostolis suis. Addit igitur huius rei causſam, & docet usum precum suarum. Hæc loquor, inquiens, in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis, hoc est, Recito has preces alta uoce, ut Apostoli eas corporalibus auribus percipiant, & uerum ac perfectum gaudium ex his meis precibus, in omnibus aduersis suis, secum concipiant. Pater enim tanto amore me complectitur, ut teneri non possit, quin preces meas exaudiat. Precor autem pro Apostolis, & Ecclesia mea, ut seruentur. Quare si in aduersis, harum precum meminerint, & exauditionẽ earum probe considerauerint, fieri non potest, quin uero & magno gaudio perfundantur. Alij alias quęrunt in aduersis cõsolationes. In paupertate, quærũt diuitias: In morbis, quęrunt sanitatem. In horroribus mortis, quærunt externam & corporalem uitam. Hę sunt humanæ consolationes, quæ nec cuiuis contingunt, nec afferunt solidum & constans gaudium. Preces autem Christi afferunt diuinam consolationẽ, & pariunt cœleste gaudium. Quare conferamus nos in omnibus afflictionibus ad has preces, & consideremus eas diligenter, ut & fructum earum percipiamus. Sed priusquàm finem dicendi nunc faciam, recitabo unum genus afflictionis, in quo Christus precatur, ut Apostoli eius seruentur. Sic enim sequitur: Ego tradidi eis sermonẽ tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo, hoc est, precatus sum, sancte pater, ut meos Apostolos serues. Non enim uideo, quem alium seruatorem habeant. In hoc certe mundo, non habebunt seruatores, sed osores, persecutores, & occisores. Docui enim eos Euangelion tuum, quod ipsi, meo mandato, in hoc mundo inter Iudæos & Gentes adnuntiabunt. Pro quo beneficio deberent ab hominibus maximam gratiam reportare. Sed quia cœlestia non mundana docent, & sunt selecti ad accipiendum regnum cœleste, non mundanum, idcirco pro gratia reportabunt odium & persecutionem. Erunt odio non Iudęis tantum, sed & Gentibus. Erunt odio non subditis tantum, sed & magistratibus, regibus, & principibus. Quare solus tu, sancte pater, reliquus es, qui eos defendas & serues, sed quid? Num existimãdum est Apostolos minus tutos esse, & destituti omni humana ope, è sola diuina pendeant? Minime omnium. Nemo enim magis tutus est, & qui ab hominibus desertus, solo diuino auxilio constat. Res enim ipsa testatur, & quantum humani auxilij in unum collatum fuerit tantum absit diuini. Pharao persequitur Israelitas ex Ægypto proficiscentes. Munitus autem erat maiori exercitu hominum, & qui numer-

rari potuerit. Quanta ẽ fuerit multitudo eius, uel ex hoc facile cõiici potest, ꝙ cum Israelitarum essent sexcenta milia peditum uirorum, mirũ tamen in modum in aduentu Ægyptiorum trepidauerint. Sed quo maius erat humanum auxilium, cum Pharaone, hoc minus erat diuinum, ideoꝙ exclamat: Fugiamus Israelem, DOMINVS enim pugnat pro eis contra nos. In libro Iudicum, incurrunt Midianitæ, Amalecitæ, & omnes orientales populi in terram Israel innumerali hominum multitudine. Fusi iacebant, inquit scriptura, in ualle ut locustarũ multitudo. Et cameli innumerabiles erant, sicut arena, quę iacet in littore maris. Quid hoc humano auxilio potentius? Sed qui muniti erant humano destituti sunt diuino præsidio. Tanta enim hominum multitudo à trecentis tantum, ijsꝙ non pugnantibus, sed buccinis tantum clangentibus ita terrentur, ut non solum foedissime fugiant, uerumetiam mutua sese cæde obtruncent. Dixit quidam ex ueteribus patribus: Quem homines frequentant, eum angeli non frequentant. Hoc recte dictum est, si intelligas uel de humano contubernio, in quo inepta, uana, aut impia tractantur, uel de humano auxilio, in quo fiducia collocatur. Sed si eum angeli non frequentant, quem homines frequentant, certe consequens est, ꝙ quẽ homines non frequentant, eum angeli frequentent. Immittet, inquit, seu castra pauet angelus DOMINI in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Et: Angelis suis mandauit de te, ut custodiãt te in omnibus uijs tuis. Metuunt quidem homines sibi, si destituti humano auxilo, solum Deum habeant tutorem, sed nunꝯ magis tuti sunt, ꝙ cum Deus eos in suam solius tutelam ipsos receperit. Confidamus igitur in desertiõe humanæ opis, & maneamus in uocatione Dei, aut si deflexim⁹ à uia, reuertamur ad eam, ut quanto longius à nobis recedit homo, tanto propius accedat Deus & pater DOMINI nostri Iesu Christi, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LI.

PATER Sancte, inquit filius Dei: Serua eos in nomine tuo, Audis pauciſſima uerba, sed quæ uno SERVANDI uocabulo, maxima beneficia complectuntur. Et tamen rationem seruãdi alius aliter intelligit. Quare Christus suscipit nunc hoc uocabulum interpretandum, & docet, quomodo uerbum seruandi intelligendum sit. Interpretatio autem huius uerbi ualde necessaria est, & comprimis ad cognoscendas ueras cognitiões regni Christi utilis. Tota enim scriptura plena est promissionum, quod

Deus

Deus SERVET & eripiat inuocantes ipsum, ex omnibus tribulationibus, & qꝑ sit adiutor in necessitatibus. Multæ, inquit, tribulationes iustorum, & de omnibus his liberat eos DOMINVS: Custodit DOMINVS omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur. Et Christus ipse in Euangelio promittit pleno ore omnem salutem his, qui credunt in ipsum, & inuocant nomine suo patrem. Quicquid peti eritis, inquiens, patrem nomine meo, dabit uobis. Cum aũt homines audiunt uerbum Seruandi, adiuuandi, eripiendi, & liberandi, solent statim externum & corporalem quendam auxilij & salutis modum imaginari. Qui si fefellerit ipsos, arguunt Deum mendatij, ruunt in contemptum Dei, ac sentiunt Deum, aut non esse, aut nullam habere curam rerum humanarum. Et quemadmodum multi auditores contionum Christi, & spectatores miraculorum eius, agnouerunt eum, ut uerum Messiam, & seruatorem gentis, interim autẽ somniabant regnum eius fore mundanum, & salutem terrenam, sed postquam hac expectatione falsi sunt, & uiderunt Christum misere crucifigi & mori, iudicauerunt contiones eius uanissimas esse nugas & impostoras, ita & fieri solet in adnuntiatione diuinarum promissionum, & Euangelij Christi, quo promittitur salus & liberatio ex omnibus afflictionibus. Fingunt enim homines corporalem modum liberandi, & cum hic non respondet expectationi eorum, abijtiũt omnem timorẽ Dei, & putant pura esse mendatia, quæcunque de Deo, & promissionibus eius commemorantur. Quare necessarium est, ut uera sententia de uerbo SERVANDI seu liberandi & eripiendi, in Ecclesia extet, ideoqꝫ optimam nauat operam Christus, qꝑ suscipiat hoc uerbum interpretandum, ut sciamus, quę sit uera ratio salutis in regno Christi. Sic ergo dicit: Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serues eos à malo. Precatus sum antea, ut serues Apostolos meos. Sed uideo carnales homines aliter intelligere uerbum seruandi, cꝫ spiritus sanctus sentiat. Quare interpretor nunc hoc uerbum, & non sic intelligo, ut Apostoli tollantur de mundo, sed ut seruentur à malo. Consideremus igitur initio quid hoc loco sit Tollere è mundo. Primum enim, Tollere è mundo, est liberare aliquem communibus afflictionibus & calamitatibus huius mundi, sicut de impijs scribitur: In labore hominũ non sunt, & cum hominibus non flagellantur. Multæ enim & magnę sunt calamitates, quibus homines in hoc seculo, tam publice cꝫ priuatim sunt obnoxij. Publicæ calamitates sunt, Incursiones hostiles, bella, incendia, direptiones, uastationes urbium & regionum, pestilentia, fames, & id genus multa. Priuatæ sunt morbi, paupertates, infamia, exilium, ac tandem mors ipsa, adeoqꝫ uaria & crudelissima genera mortis. Alius ẽm suspenditur ex cruce, alius gladio occiditur, alius

rota cõtunditur, alius aqua ſuffocat, alius in partes diſſecatur. Et quis oĩa mortis genera ꝓcurrere poſſet? Tollere igit̃ de mundo, eſt liberare aliquẽ calamitatibus huius mundi, ne eũ attingant, & affligãt. Cum ergo Chriſtus ſupra rogaſſet patrẽ, ut ſeruet Apl̃os ſuos, et mox precetur, ut ſeruet oẽs credentes uerbo Apoſtolico, hoc eſt, uniuerſam Eccleſiã, interpretat̃ nunc, ſe uerbum SERVANDI, nõ ita intelligere, ꝙ Apl̃i & credentes Euangelio debeant eſſe liberi & immunes à calamitatibus huius mundi. Nullum em̃ eſt calamitatis & maledictionis genus in hoc ſeculo tam horribile & tam crudele, quod non maxime oĩm pĩs aut iam ante acciderit, aut adhuc accidere poſſit. Etſi em̃ lex minat̃ impĩs, & contemptoribus uerbi Dei maledictiones & calamitates, tñ ita comparatũ eſt in hoc mundo, qui eſt principatus Satanæ, ut hæ multo magis pĩs, ꝙ impĩs accidãt. Iuditium, inquit Petrus, à domo Dei incipit. Et Chriſtus ipſe: In mundo, inquit, afflictionẽ habebitis. Profectio em̃ piorum per hunc mundũ apte adumbrata eſt profectione Iſraelitarũ per mare rubrũ. Hi em̃ habebant ab utraq; latere aquas capiti imminentes, & ruinã minantes, à tergo aũt crudeliſſimũ hoſtem inſequentẽ. Quam igit̃ potuerũt animo ſuo tranquillitatẽ concipere? Sic & pĩ in hoc mundo, quocunq; reſpitiũt, hoſtilia uident. Num putas ouem in medio luporũ, ſecuram poſſe uitã agere? Dixit aũt Chriſtus: Ecce ego mitto uos ſicut oues in medio luporum. Quid, ꝙ uiuendum nobis eſt, tanꝯ inter rugientes leones? Petrus em̃ dicit, Aduerſarius ueſter diabolus tanꝯ leo rugiens obambulat, quærens quẽ deuoret. Et pĩ non ſimplicit̃ affligunt̃, ſed etiã tanꝯ ſceleratiſſimi oĩm hominũ trucidant̃. Veniet tẽpus, inquit Chriſtus, ut quiſq; interfitiat uos, uideat̃ cultũ præſtare Deo. Quid ergo dicemus? Num quia ſic comparatũ eſt, ut pĩ in hoc ſeculo maxime oĩm affligantur, & occidant̃, preces Chriſti, quibus petĩt, ut ſeruent̃, non fuerunt efficaces? Certe fuerũt efficaciſſimę, ſed uerbum Seruandi recte intelligendum eſt: Non rogo, inquit, ut tollas eos de mundo. Verbum ſeruandi non ſic intelligo, ꝙ pĩ debeãt eſſe liberi & immunes à calamitatibus & afflictiõibus huius mũdi. Hoc em̃ eſſet tollere de mundo. Ego uero uolo, ut mei aliquandiu in mundo cõmorentur, & in labore hominum ſint, ac cum hominibus flagellentur. Deinde, Tollere de mundo non ſolum eſt liberare aliquem aduerſis huius mundi in hac uita, uerumetiã eſt abducere aliquẽ tranquilla morte ex hac uita, opportuno ſuo tpe, ne grauiora mala ſuſtineat. Nam homines huius ſeculi, iudicãt genus eſſe fœlicitatis, ut ſiquidẽ omnino moriendũ eſt, cito moriaris. Aſpernant̃ lentũ mortis genus. Dicunt em̃ nimis timidum eſſe, qui malit ſemper pendere, ꝙ ſemel cadere. Alius quidam cogitatione humanarum miſeriarum accenſus ait: Optimum eſt, non naſci,

uasti, proximum, cito mori. Itaq; sentiunt Pompeium & Ciceronem multo fœliciores fuisse, in iuuenta, tranquillo mortis genere è uiuis excessisse, q̃ q̃ post diuturnam uitam, miserrime perierint. Sed & qui p̃ sunt cogitant aliquando, nihil fœlicius esse, q̃ statim, postq̃ adoptatus sis in filium Dei, & baptismo consecratus in cœlestem hæreditatem, ex hoc seculo excedere, & cum Christo in uera beatitudine esse, ne diu in hoc mundo uiuendo, necesse habeas multa et magna aduersa ferre. Christus autem non petit, ut hæc fœlicitas Apostolis suis contingat. Non rogo, inquit, ut tollas eos de mundo. Gratum fortasse Apostolis meis esset, ut cum ego hoc tempore ingressurus sum in gloriam patris mei, abducerem eos mecum ex hoc mundo, ne tot afflictionibus, quę eis imminent, obn̄cerentur. Sed aliud mihi uisum est. Indigeo adhuc opera eorum in hoc seculo. Vulgare debent meum Euangelion in toto orbe terrarum. Illustrare debent nomen meum, nõ miraculis tantum, uerumetiã passionibus & afflictionibus suis. Quare, cum oro ut seruentur, non hoc uolo, ut nunc tollantur è mundo, & mecum ingrediantur in regnum cœleste. Quid ergo per uerbum Seruandi intelligis? Quid tibi uis, cum ais: Pater sancte, SERVA eos? Non rogo, inq̃t, ut tollas eos de mundo, sed ut SERVES eos à MALO. Non rogo, ut serues eos, ne uel morbis, uel exiln̄s, uel aln̄s calamitatibus huius seculi affligantur, sed rogo ut serues eos à MALO. Idem habes in oratione dominica. Libera nos à MALO. Quid ergo est MALVM, à quo seruari & liberari debemus? Primum, malum proprie dicitur peccatum. Duplex enim malum definiunt. Aliud malum culpæ, aliud malum pœnę. Ac malum quidem culpæ, uocant peccatum. Malum autem pœnę, afflictiones, & supplicia peccati. Iam afflictiones huius seculi, per se non sunt malę, sed fiunt malæ propter peccatum. Quare expiato aut deleto peccato, afflictiones adiumento sunt in bonum. Solum autem peccatum proprie malum est, q̃ pugnet cum Deo, summo bono, ac separet hominem a Deo, & tradat eum in potestatem Satanę, & in æternam damnationem. Hoc malum ubicunque est, omnia reddit mala. Precatur igitur Christus, ut cum Apostoli obn̄ciendi sint uarn̄s calamitatibus, & persecutionibus in hoc mundo, pater seruet eos a peccato, ne magnitudine & grauitate afflictionum commoti, peccent aduersus Deum, abn̄ciant fidem & inuocationem, & deserant suam uocationem, aut si peccauerint, resipiscant, & reuertantur ad DOMINVM Deum suum per Iesum Christum. Deinde Malum est, Satan ipse, qui est autor mali seu peccati. Precatur ergo Christus, ut pater seruet Apostolos suos a Satana, & tyrannide eius, ne fiant per peccatum captiui eius, aut si per imprudentiam in captiuitatem eius uenerint, eripiantur ex ea, & conseruentur in uera &

cœlesti libertate. Postremo, Malum est, Aeterna damnatio. Precatur igit̃ Christus, ut pater seruet Apostolos, ne æterna damnatione pereant. Dices aũt, Si Christus non rogat, ut Apostoli & Ecclesia eius sint immunes à calamitatibus huius seculi, sed ut in ijs seruent̃ à malo, qd externis afflictionibus uel morborum, uel famis, uel incursionis hostilis obruti faciemus? An non licebit in ijs Deum inuocare per Christũ, ut ab ipsis liberemur? Quid? an cũ Petrus cõiectus esset ab Herode in carceres, nõ licuit Ecclesię orare pro Petro, ut deus ipsum etiã ab externis illis carceribus liberæ educeret? Paulus ad Romanos scribẽs: Obsecro, inquit, uos fratres, per dñm nostrũ Iesum Christum, & per dilectionẽ spiritus, ut me laborantẽ adiuuetis precationibus pro me ad Deum, ut liberer ab incredulis in Iudęa. Hoc certe est petere liberari ab externis huius mundi calamitatibus. Ergo ne aliud Paulus, aliud Christus precatur? Nihil minus. Non hoc uult Christus in sua precatione, ut non inuocemus Deum in corporalibus aduersis pro liberatione. Venite, inquit, ad me oẽs qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Et in psalmo: Exquisiui DOMINVM & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Ac mox: Clamauerunt iusti, & DOMINVS exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. Iuxta est dominus his, qui tribulato sunt corde, & humiles spũ saluabit. Multæ tribulatiões iustorũ, & de omnibus his liberabit eos DOMINVS. Plena est aũt sacra scriptura eorum exemplorũ, quibus perspicue probat̃ pios, etiã in corporalibus afflictionibus inuocasse DOMINVM, & impetrasse corporalem quoq; liberationẽ. Quare Christus nõ hoc uult in sua precatiõe, ut non petamus à Deo externã a corporalibus aduersis liberationem, Sed docet, quod sit propriũ suum offitiũ, quæ sint propria regni eius benefitia, & quo in precibus nostris maxime oim respicere debeamus. Christus eñ, etsi ipse quosdam, cum adhuc inter hoies uitã ageret, corpore sanauit, & placauit Deum patrẽ, ut inuocatus conferat in multos externa benefitia, tñ Christus non proprie uenit in hunc mundum ad conferenda mundana benefitia, sed ut liberet suos à malo, & conferat in eos cœlestia benefitia. Ac debemus quidem, etiam Christi ipsius exemplo, Deum in omnibus aduersis, siue corporalibus siue spiritualibus inuocare. Christus enim ipse sic precatur: Transeat à me calix iste, in precatione autem pro externa liberatione debemus uoluntatem nostram subijcere diuinæ uoluntati, & maxime omnium respicere ad æternam liberationem. Vnde & Christus in sua precatione addit: Non sicut ego uolo, sed sicut tu uis. Et hoc loco: Rogo ut serues eos a malo. Hæc enim est uera liberatio,

tio, A malo seruari. Hæc liberatio si contigerit, nihil incommodi afferre potest, nec morbus, nec paupertas, nec bellum, nec mors ipsa. Quare si obruimur corporalibus afflictionibus, licebit ad hunc modum orare: Clementissime Deus pater Domini nostri Iesu Christi. Vides me graui & periculoso morbo premi. Precor igitur te per Iesum Christum filium tuum, ut me hac afflictione clementer liberes. Sed quia filius tuus non rogauit, ut Ecclesia eius sit in hac terra ab omnibus aduersis immunis, sed ut seruetur à malo, Precor obedienter, ut si quidem omnino uolueris me hanc morbi crucem sufferre, serues me à malo, ne peccem, ne mussitem aduersus te, ne dominetur mei Satan, neue opprimar æterna internitione. Sed cum nõ possim corporalem salutem reportare, saltem spiritualem & cœlestem, q̃ sola uera est salus, reportem. Hoc plane illud est, quod etiam in oratione Dominica precamur: Ne inducas nos in tentationem, Sed libera nos à malo. Quę cum ita se habeant, uidendum nunc est, in quẽ usum Christus p̃catur Apostolos suos in hoc mundo a malo seruari. Num ut ocientur, & delitijs studeant? Num ut dominentur in mũdo, regio more? Minime oim, sed ut adnuntient, & propagent Euãgelion Christi in uniuersum mundum. Sic enim sequitur. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo. Sanctifica eos per ueritatem tuam. Sermo tuus, ueritas est. Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego mitto eos in mũdum. Hic est usus, hoc est offitium Apostolorum, ut ex hoc mundo selecti, & sanctificati, adnuncient sermonem dei, seu Euangelion Christi in mundo. Sanctifica, inquit, eos per ueritatẽ tuam. Sanctificare autem, quemadmodum lex hoc uerbo utit̃, significat ad sanctum & diuinum usum separare & consecrare. Vnde in Exodo dicit̃: Sanctifica mihi omne primogenitum. Et alias: Sanctificatur dies Sabbati, hoc est, consecratur in hunc usum, ut in eo publica sacra peragantur. Sanctificatur & populus, ad audiendum decalogum in monte Sinai. Sanctificantur etiam filij Aheronis, ut fungantur sacerdotio. Rogat igitur Christus patrem, ut Apostolos suos, quos ipse de mundo, hoc est, ex aliorum hominum ordinibus selegit, & missurus est in mundum, sanctificet, consecret, & confirmet in hunc usum, ut adnuntient Euangelion suum in uniuerso mundo. Sanctificet autem & consecret eos, non his cerimonijs, quibus Aheron & filij eius in suum ministerium consecrati sunt, nec quis existimet Leuiticum sacerdotium in Ecclesia constitui, Sed Sanctifica, inquit, eos per ueritatem tuam. Veritas autẽ Dei, est uerbum Dei. Petit igitur, ut sanctificent̃ uerbo dei, quod est Veritas, non Leuiticis cerimonijs, q̃ fuerunt tm̃ umbrę. In libro enim Leuitico capite octauo consecrantur Aheron & filij eius in sacerdotium, uarijs externis cerimonijs, & ornantur quoq; cer-

tis uestimentis, quæ habuerunt suum à uulgari hominum habitu discrimen. Christus autem tollit pauciſſimis uerbis omnẽ illam cerimoniarum pompam. Sanctifica, inquiens, illos, Veritate, hoc est, uerbo tuo. Non peto, ut consecres eos publicis illis ritibus, quibus consecrati fuerunt Leuitici sacerdotes. Non instituo tale sacerdotium in Ecclesia, Sed peto, ut consecres eos ueritate uerbi tui. Da eis, ut Euangelion meum, quod est uerbum tuum, recte cognoscant. Mitte eis spiritum sanctum, ut in cognitione Euangelij probe confirmentur, non in hũc usum, ut offerant pecudes, sicut Leuitici sacerdotes, nec etiam ut offerant Missas, sicut papistici sacerdotes, sed ut sacrificẽt gentes, hoc est, ut adnuncient Euangelion inter omnes gentes, quo fiat oblatio gentium, quemadmodum Paulus ait, acceptabilis, sanctificata per spiritum sanctum. Primum igitur obseruabilis hoc loco, ministerium Apostolicum non esse mundanam dominationem, sed prędicationem Euangelij, quod est, Verbum dei. Non sunt, inquit, de mundo. Ergo administratio eorum, non est dominatio mundana. Et, Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego mitto eos in mundum. Pater autem misit filiũ suum, non ut dominaretur regio more in hoc mundo, & deijceret reges è thronis suis, ac iterum restitueret eos pro sua libidine, sed ut prędicaret Euãgelion suum. Ponam, inquit, uerba mea in ore eius, loquetur q; ad eos omnia que p̃cepero illi. Quare nec Christus misit apl̃os suos, ut dominarentur externa maiestate in orbe terrarũ, sed ut adnuntiarent Euangelion Christi de remissione peccatorum, & æterna uita. Deinde, cum Christus hoc loco de sermone dei loquitur, non intelligit proprie legem, sed Euangelion, propter quod ipse in hanc terram missus erat. Et quidem tribuit ei epitheton Veritatis. Sermo tuus, inquit, Veritas est. Euangelion enim Christi, ea sola ueritas est, è qua petenda est nostra salus. Neq; em̃ ulla salus peti potest è doctrina uel Ethnica & Philosophica, uel Thalmudica, uel Mahumetica, uel Pontificia & Monastica, sed è solo Euãgelio Christi, quod est potẽtia ad salutem omni credenti. Prętereà, nec hoc prętereundũ est, q; Christus significet hic ueram sanctificationem & consecrationẽ fieri, non externis cerimonijs, sed uerbo dei. Sanctifica eos, inquit, ueritate tua. Veritas aũt dei est uerbum dei. Sic docet etiã Paulus: Quicquid, inquiẽs, creauit deus, bonum est, & nihil reijciendum, si cum gratiarũ actione sumaẽ. Sanctificaẽ enim per Verbum dei, & precationẽ. Itaq; Apostoli sanctificati sunt, primũ per uerbũ, cũ audiuerunt Euangelion Christi, & crediderunt ei, atq; acceperunt mandatum prædicandi Euangelij, deinde per precationem, cum Christus precatus est, ut in uera doctrina conseruentur, & spiritu sancto confirmentur, & ut ministerium eorum fœliciter promoueat. Hic fuit uerus ritus, quo Apostoli consecrati sunt in officium Apostolatus. Sic & cibus sanctificatur, pri

mum per uerbum, cum audimus & credimus uerbum Dei, quod testatur omnia à Deo creata, bona esse, & tam fructus terræ q̄ uolatilia cœli, animantia terræ, & pisces maris, nobis in cibum concessa. Deinde per precationem, cum oramus Deum, ut quæ nobis in cibum clementer concessit, benedicat & nobis utilia effitiat. Quare non est sentiendum, q̄ sanctificatio seu consecratio rerum fiat crucibus manu effictis, aut alijs humanis cerimonijs, sed uerbo Dei per fidem accepto, et precibus ex fide coram Deo effusis. Obsecro autem te, dicito nobis, quis meruerit, ut Apostoli tam in hereditatem cœlestium bonorum, q̄ in ministerium Apostolatus sui sanctificarentur? Num ipsi tam iusti tam docti fuerunt, ut suis ipsorum uirtutibus impetrarent à Deo talem sanctificationem. Minime omnium: Non uos, inquit, me elegistis. Et aliàs: In hoc est caritas, non quòd nos dilexerimus Deum. Vnde & hic sequitur: Pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati per ueritatem. Memorabile dictum: Ego, inquit, sanctifico meipsum pro eis, hoc est, Ego meipsum segrego in hunc diuinum usum, ut fiam sacrifitium pro peccatis eorum, uidelicet tam Apostolorū, q̄ totius Ecclesiæ. Non offero pecudes, non similam, sed offero MEIPSVM, meum ipsius sanguinē, ut quotquot ueritati Euangelij mei fidem adhibent, fiant & ipsi sanctificati, reputentur coram Deo sancti, donentur spiritu sancto, & accipiant sanctam & cœlestem hæreditatem. Hic pauciſſimis uerbis interpretatur Christus omnia sacrificia legis. Hæc enim non fuerunt uera expiatio peccatorum, nec impetrauerunt ueram coram Deo sanctificationem, sed fuerunt tantum umbra, hypodigma, & typus ueri sacrifitij, quod Iesus Christus semel in cruce peregit, quemadmodum copiosè ostendit Epistola ad Hebræos. Deinde docet hic quomodo fructus sacrifitij Christi nobis communicetur, seu applicetur. Vt sint, inquit, & ipsi sanctificati, per ueritatem. Supra autem dixit, Veritatem Dei esse uerbum Dei. Docet igitur sanctificationem sacrifitio Christi impetratam communicari nobis per uerbum, seu Euangelion Christi, quod est fide accipiendum. Itaq̄ hic est ordo sanctificationis. Primum, Christus obtulit seipsum Deo patri in sacrifitiū, ut impetraret sanctificationem. Deinde, Euangelion de hoc sacrifitio & benefitio Christi prædicatur in orbe terrarum, quo Euangelio offertur omnibus hominibus fructus sacrifitij Christi. Si quis igitur fide accipit Euangelion, accipit etiam fructum sacrifitij Christi, & seruatur. Si quis autem contemnit Euangelion, contemnetur uicissim & ipse, ac necesse habet perpetuo interire. Prædicate, inquit, Euangelion omni creaturæ: Qui crediderit (uidelicet Euangelio) & baptisatus fuerit, saluus erit. Qui uero non crediderit, condemnabitur. Et Paulus: Fides, inquit, est ex auditu, auditus

autem per uerbum Dei. Quod cum ita se habeat, agite amicissimi, nō quæramus Indulgentias aut Missas Pontificias, quibus illi gloriantur sese hominibus applicare fructum sacrificij Christi, Sed exhibeamus nos dociles & obedientes auditores uerbi Dei, excipiamus Euangelion Christi per fidem. Sic enim fiet, ut accipiamus omnem illum cœlestem fructum, quem protulit unicum sacrificium DOMINI nostri Iesu Christi, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LII.

EQVITVR extrema pars eius precationis, quam filius Dei priusq; caperetur & crucifigeretur, ardentissimis uotis, cœlesti patri suo obtulit. In hac autem extrema parte orat pro uniuersa sua Ecclesia: Non pro eis, inquiens, rogo tantum, sed & pro ijs, q̄ credituri sunt per sermonē eorum in me, ut oēs unum sint, sicut tu pater in me, et ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. Hæc pars precationis Christi, debet à nobis loco preciosissimi thesauri conseruari, & tanquam prę̄cipuum κ̄ειμήλιον custodiri. Nullum aurum, nulla gemma cum benefitio huius precatiōis conferri potest. Etsi enim multæ & liberales sunt promissiones Euangelij, quibus salus offertur omnibus in Christum credentibus, tamen quia Christus dicit se tantum ad oues, quæ perierunt, domus Israelis, missum esse, sollicitatur imbecillis conscientia eorum, qui sunt ex gentibus incircūcisis, existimare Euangelion Christi non ad se, sed tantum ad Iudæos pertinere. Alij cogitant Christum pertinere tantum ad Apostolos, & eos qui coram uiderunt Christum, & miracula eius, ac audiuerunt contiones eius. Itaque putant se tunc fœlicitatem consecuturos fuisse, si uixissent temporibus Christi & Apostolorum, ac uidissent ipsi miracula eorū. Atq; utinam, inquiunt, liceret mihi unam saltem aut alteram contionem ab ipso met Christo, aut uno ex Apostolis eius audire, ego nulla itineris longitudine aut periculo absterrerer, quo minus ad eam audiendam festinarem. Alij semper metuere solent, ne non pertineant ad eum cœtum, qui est à Deo ad ueram salutem prædestinatus. Sed huic seu imbecillitati seu curiositati medetur Christus hac extrema precationis suæ parte, in qua palam affirmat, se non solum pro Apostolis, uerumetiam pro omnibus, qui adhibent fidem sermoni Apostolorum apud patrem suum intercedere. Sciamus igitur initio, quis sit ille SERMO Apostolorum, cui fides adhibenda est, ut & cognoscamus, pro quibus Christus filius Dei intercedat. Longū

autem

autem esset omnes Apostolicas contiones, quę extant in sacris literis, hoc loco commemorare. Indicabimus igitur breuiter summam eorū. Ioannes cap. xx. ita ait: Hęc scripta sunt, ut credatis, ꝙ Iesus est Christus ille filius Dei, & ut credentes uitam habeatis per nomen eius: Hęc est summa omnium Apostolicarum contionū. Vnde & Petrus in prima sua contione, quam habuit astantibus & approbantibus omnibus reliquis Apostolis, in die Pentecostes, ait: Certo sciat tota domus Israel, quòd DOMINVM & Christum fecerit Deus hunc Iesum, quem uos crucifixistis. Et postea: Non est aliud nomen sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Ac iterum: Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Et Paulus: Hoc est, inquit, uerbū fidei, quod prędicamus, nempe si confessus fueris ore tuo DOMINVM Iesum, & credideris in corde tuo, ꝙ Deus excitauit illum à mortuis, saluus eris. Et rursus: Apparuit gratia Dei salutaris omnibus hominibus, erudiens nos ut abnegata impietate & mūdanis concupiscentijs, sobrie & iuste & pie uiuamus in prędenti seculo, expectantes beatā illam spem & apparitionē glorię magni Dei, et seruatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibijpsi populum peculiarem, sectatorē bonorum operū. Habes breuem epitomen Apostolici sermonis, qui in hoc statu consistit, ꝙ Iesus filius uirginis Mariæ, sit uerus Christus, seu Messias ęternus filius Dei, & quòd habeat remissionem peccatorum ac salutem, quicunque credit in eum, & quòd ex hac fide debeamus sectari bona opera, quæ Deus prędepit. Hic est SERMO ille Apostolicus, de quo Christus loquitur, cum ait: Non pro eis tantū rogo, sed & pro ijs, qui credituri sunt per SERMONEM eorum in me. Primum igitur Christus hoc loco definiuit, quæ sit uera sua Ecclesia. Nam uera Ecclesia Christi, non tantum hi sunt, qui Christum in carne uiderunt, & audierunt, sed etiam ij, qui in quauis gente, quouis tempore, quauis ætate huius mundi, credunt in Christum, per Euangelion, quod ab Apostolis sparsum est in uniuersum orbem, ac postea literis mandatum, & ad posteros omnium seculorum propagatum est. Quæ enim Deus Sanctis suis reuelat, ea non propter ipsos tantum reuelat, sed maxime omnium propter posteros, ut & hi salutem consequantur. Ideoque iubet ea prædicari posteris, & tam uoce, quàm scriptis ad posteros transmittere. Ad Abrahamum dicit Deus: Num cælare potero Abraham quæ gesturus sum, cum futurus sit in gentem magnam ac robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ. Scio enim quòd præcepturus sit filijs suis, & Gen. 18

domui ſuę poſt ſe, ut cuſtodiant uiam DOMINI, & faciant iuditium & iuſtitiam. Vides Abraamo reuelari ea quę futura ſunt, ut tradat ea poſteris. Et in pſalm. dicitur: Scribantur hæc in generatione altera, & populus, qui creabit, laudabit DOMINVM. Sed & Petrus de prophetarum uſu ait. Quibus & illud reuelatū eſt, quod haud ſibiipſis, ſed nobis miniſtrarent hæc, quę nunc annunciata ſunt uobis. Quid multa? Chriſtus ipſe emittens Apoſtolos ſuos, dicit ad eos: Prędicate Euangelion omni creaturę. Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit. Hic perſpicue ſignificat Apoſtolos electos, non propter ſe, ſed maxime omnium propter omnem creaturam, hoc eſt, tam Iudæos q̄ gentes, & tam præſentis, q̄ futuræ ætatis homines. Vnde & alias ad Thomam ait: Quia uidiſti me Thoma, credidiſti: Beati, qui non uiderunt, & tamen credunt. Quare ſentiamus Euangelion Chriſti non pertinere tantum ad homines unius ætatis, ſed omnium ſeculorum, ut quicunq; quouis ſeculo, complectitur fide ſua Euangelion, fiat uerum membrum Eccleſiæ Chriſti. Deinde, uera Eccleſia Chriſti, non hi ſunt, qui nomen aut ſpeciem tantum Eccleſiæ habent, ſed qui uerā adhibent fidem ſermoni Apoſtolorum, etiamſi ab uniuerſo mundo damnentur. Chriſtus enim non dicit, Rogo pro ijs, qui ſunt pontifijs infulis ornati, aut cucullis induti, aut raſi, aut eremitę, ſed pro ijs, qui credunt per ſermonem eorum in me. Auditus Euangelij apoſtolici, & fides, per Euangelion, in Ieſum Chriſtum, faciunt Eccleſiam, nō externa aliqua ſpecies, aut gloriatio. Pręterea, uides hoc loco, q̄ Chriſtus alligat nos, non ad ſcripta doctorum, non ad decreta Conciliorū, & pontificum, ſed ad ſermonem Apoſtolorum. Habent quidem patres Eccleſiaſtici, & Concilia bonorum uirorum ſuam utilitatem, non ſumus autem ad eorum ſentētiam, ſine ullo diſcrimine alligati. Non enim dicit Chriſtus: Rogo pro ijs, qui credunt patribus aut Cōcilijs, Sed pro ijs, qui credunt in Me, per ſermonem Apoſtolorum. Sermo ſeu Euangelion ab Apoſtolis prædicatum, ea doctrina eſt, cui adhibenda eſt fides ſine omni tergiuerſatione. Qui uos non audit, inquit Chriſtus, me non audit. Et Paulus: Si nos aut angelus è cœlo prædicauerit uobis Euangelion præter id, quod prædicauimus uobis, anathema ſit. Deinde commendatur etiam hoc loco externa prædicatio Verbi dei, ut ſciamus, q̄ ſit cœleſte organon, quo ſpiritus ſanctus in nobis eſt efficax, & donat fidem ac alias uirtutes. Sunt enim, qui contempta prędicatione Euangelij, expectant cœleſtes reuelationes, & ut ipſi loquuntur, impreſſiones ſpiritus. Alij putant ſe ex ſeipſis ſapere, nec indigere ulla uerbi dei contione. Sed hoc loco docet Chriſtus, q̄ fides in ipſum detur per ſermonem Apoſtolorum, hoc eſt, per externam Euangelij Apoſtolici prędicationē. Euangelion, inquit Paulus,

eſt poten

est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et iterum: Gratias agimus Deo indesinenter, qꝙ cum acciperetis sermonem à nobis, quo disceba tis Deum, accepistis non sermonem hominum, sed sicut erat uere, ser monem Dei, qui & agit in uobis credentibus. Ac rursus: Fides ex au ditu est, Auditus autem per Verbum Dei. Quare contiones Euange liꝫ Christi magna diligentia audiendæ sunt, ut spiritus sanctus orga non suum habeat, quo in nobis dona sua operetur. Etsi enim non om nes ex auditu Euangeliꝫ conuertuntur ad Deum, & credunt in Chri stum, sicut nec omne semen in agrum proiectum, fructum profert. A liud enim cadit inter spinas, aliud in locum saxosum, aliud in uiam, tamen quemadmodum semen in hoc diuinitus ordinatum est, ut fru ctum ferat. Quod si non fecerit, id non fit sua, sed aliena culpa, ita au ditus Euangeliꝫ Christi ordinatus est, ut per ipsum spiritus sanctus sit in nobis efficax. Quod si non fiat, non est imputandum uel Euange lio uel spiritui sancto, sed saxeis, ferreis, & induratis hominum cordi bus, quæ spiritui sancto resistunt, faciamus igitur nos nostrum offici um, audiamus Euangelion Christi diligenter, & prebeamus nos ei dociles, ut & spiritus sanctus suum in nobis offitium, per Euangelion facere queat. Postremo definitur & hoc loco, quis sit cœtus eorum, qui ad accipiendam perpetuam salutem, diuinitus prędestinati sunt. Hoc magna obseruantia considerandum est, ut obuiam eatur uel curi ositati uel imbecillitati hominum. Sunt enim, qui magna sollicitudi ne tenentur de prædestinatione, & aut curiose scrutantur, qui sint prę destinati, aut hoc unum metuunt, ne se uano labore credendi & obedi endi Deo fatigent, qꝙ fortassis non sint ad perpetuam salutem præde stinati. Sed hi recte in hac precationis Christi parte eruditur. Et e nim, ut cognoscas qui sint ad cœlestem salutem prędestinati, & num etiam tu sis prædestinatus, non est tibi opus, ut in cœlum conscendas, & in archinum Dei irrumpas, quo scruteris catalogum, seu ut uocant, regiſtrum, in quo prædestinati conscripti sunt, sed conferas te ad ser monem Apostolorum, ad Euangelion, quod Apostoli de Christo prædicauerunt. In hoc, si aut te ipsum, aut alium inueneris, certo scias, te & illum in eo esse cœtu, pro quibus Christus preces suas effudit, & quos ad æternam salutem prędestinauit. Solus eñ Christus est Regi ſtrum illud, in quo prędestinati conscripti sunt. Et cum Christus reue latus sit prædicatione Apostolorum, reuelatum etiam est regiſtrum prædestinatorum, ut quicunque crediderit in Christum, sit ad salutē prędestinatus, qui uero non crediderit, sit condemnatus. Abiciamus igitur curiosam sollicitudinem de occulta prædestinatione Dei, susci piamus autem curam audiendi & cognoscendi Euangeliꝫ Christi, ut credamus, & seruemur. Sed quid precatur Christus, quod debeat con

tingere ijs, qui credunt in ipsum per sermonem Apostolorum? Idem plane precatur, quod ante de Apostolis dixit: Vt omnes, in quiens, unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis Vnum sint. Hoc est benefitium, quo maius & excellentius Ecclesiæ contingere non potest, uidelicet, ut sit Vnum, in deo patre, & filio, per spiritū sanctum. Nulla enim maior est unitas, q̄ patris & filij in diuinitate. Vna est essentia, una diuinitas, una maiestas, una omnipotentia, una fœlicitas. Itaq̄ omnia, quę habet pater, sunt filij. Sed quid? Num quę filius à patre accepit, soli sibi retinet? Nihil minus, Rogo, inquit, nō pro Apostolis tantum, uerumetiam pro ijs, qui credunt in me per sermonem eorum. Et quid rogat? Vt omnes in nobis unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te. Tu pater & ego ita unum sumus, ut habeamus omnia cōmunia. Vna enim est essentia & diuinitas. Tua bona, mea sunt, & uicissim mea bona, tua sunt. Rogo igitur, ut & Ecclesia in nobis unum sit, ut quę nos bona habemus, ea cum Ecclesia communia habeamus. Putas autem, precationem Christi fuisse uanam & ineffi-cacem? certe fieri non potest, quin fuerit efficacissima. Quare perspicuum est, q̄ quęcunq̄ bona Christus à patre suo accepit, ea cum Ecclesia, ac quouis membro Ecclesię, communia habeat. Id autē intelligendum est, pro modo capacitatis Ecclesiæ. Christus enim, natura est æternus filius dei, ac deus ipse. Homines autem credētes in Christum, fiunt filij dei, ac dij adoptione. Dedit, inquit, potestatem filios dei fieri, his qui credunt in nomen eius. Et: Accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba parer. Ac iterum: Precioſa nobis ac maxima promissa donata sunt, ut per hæc efficeremur consortes diuinę naturę. Hęc sunt nobis accurate consideranda, partim ut ex his fidem nostram in aduersis excitemus & confirmemus, partim, ut uitam nostrā ad omnem honestatem componamus. Nam si is, qui credit in Christum, coniunctus est cum Ecclesia, ut membrum cum suo corpore, & Ecclesia unum est cum filio dei, qui filius, unum est cum patre & spiritu sancto, manifeste sequitur, q̄ si quę afflictio aut calamitas uel corporalis uel spiritualis molesta est uni pio, ea permanet non solum ad totum corpus Ecclesiæ, uerumetiam ad Christum ipsum filium Dei, & à Christo, ad patrem & spiritum sanctum, hoc est, ad omnipotentem & diuinam maiestatem. Quid autem posset incommodi diuinæ maiestati afferre afflictio? Quare nec pio, qui in patre, filio & spiritu sancto, Vnum est, ullum potest incommodum afferre. Discamus & his timorem Dei, discamus hominibus, & maxime domesticis fidei benefacere. Si enim credenti in Christum aliquid uel boni uel mali feceris, id non filius tantum Dei, sed etiam pater ipse sibi factum deputat, qui & malum punit, & bonum rependit. Non uidetur apud

homines

homines glorioſum eſſe, hominem in Chriſtum quidem credentem, ſed miſerum iuuare, coram Deo autem tanti reputatur, ut quod illi feceris, ſibi factum cognoſcat. Nam quãti faciat Eccleſiã ſuam, & quod uis Eccleſiæ membrum, perſpicue ſignificat, cum addit: Vt credat mũdus, quòd tu me miſeris. Et ego gloriam, quã dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unum, & ut cognoſcat mundus, ꝙ tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti. Vt credat, inquit, mundus. Et, Vt cognoſcat mundus, ꝙ tu me miſeris. Quid ergo ſupra dixit: Non rogo pro mundo. Et mox: Mundus te non cognouit? Ipſe rei circumſtantię perſpicue docent, ꝙ cum Chriſtus dicat, Mundum non cognoſcere patrem, intelligat nomine mundi, Impios contemptores Euangelij, quorum plenus ſemper eſt hic mundus. Hic autem, cum dicit, ut credat et cognoſcat mundus, ꝙ tu me miſeris, intelligat nomine mundi, Eccleſiam ſuam, in mundo uitam agentem. Pij enim in mundo ſunt, non ſunt autem de mundo, quemadmodum ſupra dictum eſt. Quod igitur Chriſtus hoc loco dicit, habet hanc ſententiam. Mirabitur fortaſſis quiſpiam, ꝙ ego tam ſollicite intercedam apud patrem meum, non ſolum pro Apoſtolis meis, uerumetiam pro omnibus ijs, qui credituri ſunt in me per ſermonem eorum, cum tamen ſoli Apoſtoli, qui ſunt maximis donis ſpiritus ſancti ornati, uideantur mea interceſſione digni, reliqui autem homines, etſi credunt Euangelio, tamen non ædunt miracula, nec ſunt alijs donis ſpiritus ſancti illuſtres, ducunt prȩterea uitam abiectam, & imbecillẽ, ideoq; uidentur indigni, pro quibus tam ſollicite intercedam. Sed mirari deſinet, quiſquis probe perpenderit, propter quas cauſſas, et in quem uſum Apoſtolos de mũdo ſelegerim. Non enim ſelegi eos, propter ipſorum uel ſanctitatem, uel iuſtitiam, uel nobilitatem, uel prudentiam, uel alias uirtutes, nec ſelegi eos, ut ſoli ipſi fruantur meis benefitijs, ſed ſelegi eos maxime omnium in hunc uſum, ut miniſterio eorum mundus, ſeu Eccleſia in mundo cognoſcat & credat me eſſe uerum Meſſiam, à patre ad procurandam ſalutem humani generis in hanc terram miſſum. Selegi eos non propter ipſos tantum, ſed maxime propter Eccleſiam, propter quam etiam orno ipſos ea gloria, quam mihi pater in hac terra dedit. Pater non dedit mihi in hoc mundo gloriam & maieſtatem terreni regni, non dedit mihi gloriam externarum diuitiarum, ſed dedit mihi gloriam ædendorum miraculorum, ut reddam cæcis uiſum, ſurdis auditum, mutis loquelam, claudis inceſſum, leproſis munditiem, & mortuis uitam. Sic & ego non do Apoſtolis meis gloriam mundani regni & terrenarum diuitiarum, ſed gloriam ædendorum miraculo-

rum. Qui credit, inquit, in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora his faciet. Et iterum: Signa eos, qui crediderint, hęc sequentur: Per nomen meum dæmonia eiȝtient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, si quid letale biberint, non nocebit eis, super egrotos manus imponent, & bene habebunt. Hæc est gloria, quam Christus dedit Apostolis suis, non quidem propter ipsos, sed propter homines in mundo, ut excitati tantis miraculis, credant Euangelio, agnoscant me uerum Messiam, fiant unum corpus Ecclesiæ, quo sicut pater & ego unum sumus, ita ipsi uere & perfecte unum sint in nobis, & sciant meum patrem tanto ipsos amore prosequi, quanto me prosequitur. Si autem selegi Apostolos, & orno eos gloria ędendorum miraculorū, propter Ecclesiam, quid aliud reliquum est, c̄p q̄ non pro Apostolis tantum, sed maxime omnium pro Ecclesia intercedere debeam? Considera ergo mihi hoc loco, quantæ curę sit Christo filio Dei Ecclesia sua. Sunt enim, qui putant Christum delectari Prophetis tantum, & Apostolis, & alȝs heroicis ac illustribus uiris, abiectos autem & contemptos homines fastidire. Ac profecto Prophetæ & Apostoli sunt Christo acceptissimi. Sed Ecclesia multo ei acceptior est. Excitauit enim Prophetas & elegit Apostolos, propter Ecclesiam, non autem elegit Ecclesiam propter Prophetas & Apostolos. Ioannes ait: Qui habet sponsam, Sponsus est, amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter uocem sponsi. Prophetę & Apostoli sunt amici sponsi, Ecclesia autem est sponsa ipsa Christi. Quantum putas inter esse inter amorem, quo sponsus prosequitur sponsam, & quo amicū? Et Paulus: Quis est Paulus, quis Apollo, nisi ministri, per quos credidistis? Ac mox: Omnia uestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue uita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia inquam, uestra sunt: Vos autem Christi. Testatur & Christus ipse quantum pater diligat Ecclesiam, cum hic ait: Vt cognoscat mundus seu Ecclesia in mundo, q̄ tu me misisti, & diligis eos, sicut me diligis. Dicit patrem diligere Ecclesiam, sicut ipsum diligit. Pater autem ita diligit filium, ut omnia ipsi in manus dederit. Reliquum igitur est, quod & omnia det in manus Ecclesiæ sugę, non quod liceat cuiuis quiduis pro sua libidine facere, sed q̄ pater cōferat in Ecclesiam omnia benefitia, quæ in filium suum contulit, & seruet eam in omnibus aduersis, quemamodum filium seruauit. De dilectione autem, qua filius ipse Dei Ecclesiam suam complectitur, ait Apostolus: Christus dilexit Ecclesiam suam, & semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret mundatam lauacro aquę per uerbum, ut adhiberet eam sibȳpsi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut quicquam eiusmodi, sed ut esset sancta & irreprehensibilis

Agnoscamus

Agnoſcamus igitur magnitudinem huius dilectionis, qua Deus pater & filius, unumquemuis uere credentem in Chriſtum (Hic enim eſt membrum Eccleſię Chriſti) complectuntur, ac non confirmemus tantum animos noſtros in tentationibus, ut ſciamus nos in omnibus aduerſis Deo curæ eſſe & ſeruari, uerumetiam actiones uitę noſtræ ita inſtituamus, ut nihil indignum tanta Dei dilectione deſignemus, ſed profeſſionem noſtram pijs moribus ornemus per Ieſum Chriſtũ DOMINVM noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA LIII.

ERVENIMVS diuina clementia, ad epilogum eius precationis, quam Chriſtus pro Apoſtolis, & uniuerſa ſua Eccleſia coram patre ſuo effudit, & quam hactenus interpretatiõe noſtra utcunq; perſtrinximus. Repetit autem Chriſtus breuiter & ſummatim, quod in Epilogo fieri ſolet, omnia ea, quæ in precatione pluribus commemorauit. Pater, inquiens, « quos dediſti mihi, uolo, ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum, & uideant « gloriam meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conditum « mundum. Hic enim eſt ſtatus precationis Chriſti, ut pater reuelet « ac illuſtret gloriam ſuam, ac fortunet miniſterium Apoſtolorũ, quo Eccleſia uere agnoſcat patrem, & credat in filium, & conſequatur ęternam fœlicitatẽ. Precatur igitur in hoc epilogo plane eadem, ut ſciamus ea quæ ante dicta ſunt, non temere aut oſcitanter effuſa, ſed ſerijs & ardentiſſimis uotis commemorata eſſe. Ac primum omnium, quod dicit: VOLO, perſpicue ſignificat, ſe in hac precatione non aliud animo ſentire, aliud uerbis eloqui. Sic enim homines ſolent aliquoties pro ſe inuicem, honoris tantum gratia, & diſſentiente à uerbis animo intercedere. Chriſtus autem quod uerbis dicit, hoc etiam ſerio cogitat, quod ore loquitur, hoc etiam uere in animo ſuo uult, & quod uult neceſſe habet reipſa fieri & impleri. Longe enim aliam rationem habet uoluntas filij Dei, quàm filiorum hominum. Hi enim, quod uolunt, & cum animo ſuo ſtatuunt, raro admodum efficere poſſunt. Ille autem, quod uult, etiam efficit. De ipſo ſcriptum eſt: Omnia, quæcunque uoluit, fecit in cœlo & in terra. Initio uoluit hunc mundum creare, & creauit. Dixit, & facta ſunt, mandauit, & creata ſunt. Poſtea,

eum hominem assumpsisset, uoluit ægros sanare, & sanauit. Voluit leprosos mundare, & mundauit. Voluit mortuos suscitare, & suscitauit, denique uoluntati eius nihil potest obsistere. Quare cum hoc loco dicit VOLO, sentiamus uerba precariõis Christi non esse sonũ sine mente, nec mentẽ sine uiribus, sed esse in eis summam efficacitatẽ, ut sit sensus: Hęc est uoluntas, hoc est propositum, hoc est institutum precationis meæ, quod tam firmum, & tam efficax est, ut citius cœlũ & terra ruerent, quàm ut non iuxta animi sententiam compleretur. Quę ergo, obsecro, illa est uoluntas, quod illud est institutum? Hoc uidelicet serio uolo, ut ubi ego sum, illic sint & hi, quos dedisti mihi. Quęramus igitur nunc, quos pater Christo filio suo dederit, ut etiam cognoscamus, qui sint semper cum Christo. Sed non est hic opus lõgis ambagibus. Paulo ante enim dixit: Non pro Apostolis tantũm rogo, sed & pro ijs, qui credituri sunt per sermonem eorum in me. Hic manifeste docet, q̃ pater dederit ipsi, primum Apostolos, deinde eos, qui per Euangelion Apostolorum credunt in ipsum. In consideratione enim de eorum catalogo, qui Christo diuinitus dati sunt, non est respitiendum in externam humanæ sanctitatis speciem, Neque enim sacrificuli, nec̃ monachi, nec̃ alij hypocritę, idcirco dati sunt Christo, q̃ sint illustres sanctis, ut apparent, operibus. Nec respitiendum est in hominum multitudinem & potentiam. Neque enim idcirco uulgus hominum, quia multi sunt, nec̃ Monarchæ, & principes, quia potentes sunt, ad Christum, & hęreditatem cœlestem pertinent. Sed respitiendum est in Euangelion Christi, quod est prædicatum ab Apostolis. Qui hoc per fidem acceperint, siue pauci, siue multi, siue potentes, siue imbecilles, siue humana sanctitate illustres, siue obscuri, hi dati sunt Christo filio Dei, à patre suo, & ad hos solos pertinet cœlestis hęreditas. Quid ergo uult Christus, quod contingat his, quos dedit ipsi pater? Volo, inquit, ut ubi sum ego, & illi sint mecum. Sciamus igitur, ubi sit Christus. Sed quid multis opus est? primum Christus est in summa patris sui dilectione & fauore, quia dicit pater de ipso: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est. Deinde, Christus est in uita, quia resurrexit à mortuis, nunquam amplius moriturus. Præterea Christus est in cœlo, seu regno cœlesti, quia ascendit in cœlũ, postremo Christus sedet ad dextram patris sui, ac habet eandem cum patre omnipotentiam & maiestatem. Quare, cum dicit se uelle, ut quos dedit ipsi pater, sint, ubi ipse est, manifeste significat se uelle, ut sint secum in fauore Dei patris sui, in uita, in cœlo, & ad dextram patris, in omni fœlicitate & maie

maiestate. Vnde & Paulus ad Ephesios scribens: Cum essemus, inquit, mortui per delicta, conuiuificauit nos Deus una cum Christo, simulq; cũ eo resuscitauit, & cum eo sedere fecit inter cœlestes. Et iterum: Dedit eum caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quę est corpus illius complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet. Si Ecclesia est corpus Christi. Corpus autem ibi est, ubi caput eius est, certe ubi Christus est, ibi Ecclesia sit, necesse est. Et hoc etiam sibi uult quod Christus hoc loco addit: Vt uideant gloriam meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante conditum mundum. Pater enim sic dilexit filium suum ab æterno, ut contulerit in eum omnem diuinam suam gloriam & maiestatem. Constituit eum, inquit Apostolus, hæredem omnium, per quem etiam sæcula condidit, & qui est splendor gloriæ, & expressa imago substantię illius. Cum igitur Christus tam cœlestem, tamque diuinã habeat gloriam, non uult ea solus frui, sed uult eam impartiri, & communicare cum omnibus ijs, qui per conciones Apostolicas, credunt in ipsum. Vt uideant, inquit, gloriam meam. Hoc autem uidere, non est tale uidere, quale est, si pauper quispiam in hoc seculo aspitiat magnificas diuitis ędes, & opulentiæ eius splendorem, cum ipse interim esuriat & algeat, sed est eo, quod uides, uere frui. Nunc, inquit Paulus, cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, quemadmodum & cognitus sum. Et Ioannes: Scimus, inquit, quoniam si apparuerit, similes ei erimus, quoniam VIDEBIMVS eũ, sicuti EST. Si similis erimus Christo filio Dei, ex eo, quod uidebimus eum sicut est, certe non simpliciter aspitiemus eum, quemadmodum homo hominem in hac terra aspicere solet, sed fruemur etiam omnibus bonis eius, & percipiemus ex hac cœlesti uisione omnem beatitudinem & fœlicitatem. A seculo, inquit Esaias, non audierunt, neque auribus perceperunt: Oculus non uidit Deus absque te, quę præparasti expectantibus te. Sed si uoluerimus in futuro seculo ibi esse, ubi Christus est, & bonis eius frui, necesse est, ut & in hoc seculo ibi simus, ubi ipse fuit. Non loquor iam de terreno loco, Sed de uirtutibus & aduersis, in quibus Christus in hoc seculo fuit. Cum enim ageret adhuc uitam in his terris, fuit quidem in omni genere uirtutum, in iustitia, in sobrietate, in obedientia, in humilitate, in caritate, in patientia, in orationibus. Sed interim fuit etiam in paupertate, in miseria, in contumelijs, in persecutione, in captiuitate, in cruce & in morte. Quare si uoluerimus in regno cœlesti ibi esse, ubi Christus est, necesse habebimus

in his terrenis regnis ibi quoq; esse, ubi Christus fuit, uidelicet, ut & bona opera, quę Deus præcepit, studiose faciamus, & mala, quæ immittuntur, patienter feramus: Si quis mihi, inquit, ministrat, me sequatur: Et ubi ego sum, illic & minister meus erit. Ac rursus: Non est seruus maior domino suo: Si me persecuti sunt, & uos persequentur. Et alias: Simul cũ eo patimur, ut & una cum illo glorificemur. Ac iterum: Si commortui sumus, & conuiuemus, Si sufferimus, & conregnabimus. Sectemur igitur Christum, & simus cum Christo in hoc pręsenti seculo, ut & in futuro seculo simus cum ipso in perpetua beatitudine & fœlicitate. Amabo autem uos dilectissimi, ut quod Christus hoc loco contionatur, non prætereamus surda aure, nec iudicemus esse inanes fabulas, sed conseruemus loco preciosissimi thesauri. Sunt enim plurimi homines, tam uarij & inconstantes, ut quouis doctrinę uento circumferantur, & cum semper discant, nunquam tamen perueniant ad scientiam ueritatis. Audiunt contiones Euangelij multis annis, sed tam oscitanter, ut cũ fit mortis mentio, trahãt ex alto pectore suspiria, & dicant: Iucundum esset, fateor, mori, si quis modo cognosceret, quale ipsi hospitiũ in altero seculo paratũ esset. En, hi tot annis uersati sunt in schola Christianorum, & nondum didicerunt huius professionis prima elementa, seu ut uocant, Alphabetum. Symbolum enim Apostolorum, quod est Christianismi alphabetum eò tantum tendit, ut tradat, quod hospitium in altero seculo paratum sit credentibus in Christum, adeoq; plane hoc ipsum urget, quod Christus modo in precatione sua commemorauit: Volo, ut ubi ego sum, illi, quos dedisti mihi, mecum sint. Hoc spectat, hoc uult uniuersa doctrina Euangelij, ut nos certiores reddat, q; si in Christum filium Dei credimus, adoptemur & ipsi in filios Dei, & fiamus cohęredes Christi, in cœlesti regno, hoc est, ut ibi perpetuo simus, ubi est Christus filius Dei, in gloria patris sui. Quid ergo amplius de hospitio alterius seculi dubitas? At uero, inquis, pctã mea magna, & multa sunt, quæ injtiunt mihi dubitationem de futuri seculi hospitio. Etsi enim non nego, quin sanctis certo parata sint iucunda & fœlitia hospitia in cœlo, ego tamen in me non uideo, nisi peccata, quę ostendunt mihi potius hospitium in inferno, q; in cœlo. Recte tu quidem, quisquis ista objcis, quod agnoscas tua pctã. Hæc autem agnitio eò tendere debet, non ut in iuditio peccatorum maneas, sed ut ad cognoscendum offitium Christi inuiteris. Christus enim propter hanc causam uenit in hunc mundum, non ut homines propter peccata damnet, sed ut peccata expiet, & homines seruet: Non ueni, inquit, ut iudicem mundũ, sed ut seruem mundũ. Et iterũ: Non opus habent ij, qui ualidi sunt, medico, sed qui male habẽt: Nõ ueni ad uocandũ iustos,

sed

sed peccatores ad pœnitentiam. Et Paulus: Certus, inquit, sermo, & omni acceptione dignus, q̃ Christus Iesus uenit in mundum, ut peccatores saluos faceret. Quare, cum te inuenis in catalogo peccatorum, inuenis etiam te, in eorum catalogo, propter quos Christus uenit in mundum, & expiauit peccata, ac tantum abest, ut propter peccata, incertum fiat cœleste in altero seculo hospitium, ut potius, ubi exuberat peccatū, ibi magis exuberet, per Iesum Christum, fide acceptum, cœlestis hospitij certitudo. Porro, quia Christus precatus est, primū pro sui glorificatione, ut nomine suo illustrato, uerus Deus cognoscatur, deinde pro Apostolis, postea pro omnibus, qui credūt in ipsum, prędicatione Apostolorum, tempus nunc uideretur, ut Christus precaretur, non pro una tantum & altera hominum congregatione, sed pro uniuerso humano genere, & pro omnibus hominibus, qui sunt aut erunt in hoc mundo. Supra autem dixit: Non pro mundo rogo, sed pro ijs, quos dedisti mihi. Addit igitur nunc in fine precationis caussam, cur non oret pro mūdo seu pro impijs, qui sunt impœnitentes, quę semper maxima pars est hominum in hoc mundo. Sed oret tantum, pro ijs qui agnoscunt Euangelion Apostolicum. Et ait: Pater iuste, & mundus te non cognouit, ego autem te cognoui, & ij cognouerunt, q̃ tu me miseris. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis. Habes caussam, cur filius dei precetur pro sua Ecclesia, et non pro mundo. Pater, inqt, iuste. Hic iusti titulus non addit hoc loco patri ocioſe. Dicit em̃ deus pater, iustus, duplici nomine. Altero, q̃ ipse in se sit iustus, & reddat unicuiq; secundū opera sua. Hęc est iustitia, quā lex de deo cōtionatur. Altero, q̃ reputet eum iustū, qui credit in filiū suum Iesum Christum. Hanc iustitiā cōtionatur de eo Euangelion. Vnde Paulus ad Romanos scribēs, Deus, inqt, tolerauit prȩterita delicta, ad ostendendā iustitiam suā, in p̃senti tempore, in hoc, ut ipse sit iustus, & iustificās eum, q̃ est ex fide Iesu. Cum igitur Christus faciat hic discrimē inter mundū contemnentē Euangelion suum, & inter Ecclesiā, agnoscentē Euangelion, opportune tribuit patri suo cognomē Iusti, ut significet patrē iustum esse secundū legem, erga impios & cōtemptores Euangelij sui, & iustum esse secundum Euangelion, erga pios & credentes Euangelio. Non rogo, inquiens, pro mundo. Quam ob causam? quia mundus non cognoscit te, neq; uult te cognoscere. Etsi enim gloriatur de deo, tamen quia & me & meum Euangelion non contemnit tantum, uerumetiam persequitur, idcirco non cognoscit Deum. Non potest enim Deus cognosci, nisi per filiū. Deum nemo uidit unq̃, unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Et: Nemo nouit patrem, nisi filius, & cuicunq; uoluerit filius reuelare,

Et: Nemo uenit ad patrem, nisi per me. Quare, cum impij in mundo, contemnant & persequuntur Christum & Euangelion eius, fieri non potest, ut ueram habeant cognitionem Dei, ideoq; iustissimo Dei iudicio fit, ut retribuatur eis secundum opera manuum ipsarum, ut excęcentur, indurentur, & perpetuo exitio pereant. Pij autem cognoscunt Deum, quia amplectuntur Euangelion filij Dei, quo Euangelio reuelatur pater, uidelicet, q; Deus sit propitius propter filium suum Iesum Christum. Notum, inquit, feci eis nomẽ tuũ, & notũ faciã. Nam filius Dei prædicauit Apostolis suis, Deum tam clementem & misericordem esse, ut omnes eos seruet perpetuo, qui credũt in ipsum. Sic Deus, inquit, dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam ęternam. Et iterum: Hęc est uoluntas eius, qui misit me, ut omnis qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Hæc & id genus alia prædicauit Christus Apostolis suis, priusq; subijsset mortem, & resurrexisset à mortuis, quibus contionibus notum fecit eis nomen, clementiam, & misericordiam Dei. Et addit: Notum faciam eis. Hoc tum impletum est, cum Christus misit Apostolis spiritum sanctum in die Pentecostes, quo nomen & gloria Dei ita reuelata & illustrata est, ut perspicue cognosceretur, q; Deus uelit per hunc filium suum Iesum Christum, humanum genus seruare. Sic & Christus notum facit nomen & gloriam Dei, per sermonem Apostolorum, omnibus alijs hominibus, qui hunc sermonem fide accipiunt. Etsi aũt notitia Dei, quę initio datur per Euãgelion Apostolorum, uidetur adhuc obscura, & imbecillis, tamen si pergamus Euangelio cõstanter credere, subinde magis ac magis illustratur, donec tandem cognoscamus Deum in futuro seculo, sicut ab ipso in hoc pręsenti seculo cogniti sumus. Sed cur notum fit nobis nomen Dei? Vt dilectio, inquit, qua me diligis, in ipsis sit, & ego in ipsis, hoc est, idcirco reuelo eis nomen tuum, ut manifestũ fit, q; diligas ipsos, sicut me diligis, & quòd ego in ipsis habitem. Hæc est summa nostra fœlicitas, quòd pater nos diligat, sicut diligit filium suum, & quòd filius Dei habitet in nobis, ac habeat nobiscum omnia sua bona cõmunia. Quomodo ergo hoc assequemur? Supra dixit: Si quis diligit me, sermonẽ meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionẽ apud eum faciemus. Si quis, inquit, diligit me, sermonem meũ seruabit. Non circũferamur q̃uis uẽto doctrinę, sed seruemus sermonẽ Christi, q; est, Euãgelion eius, et diligamus Christũ ut uocatiõi eius obediamus, sic em̃ fiet, ut et pater nos diligat, sicut filiũ diligit, et filius cooptet nos in suos cohęredes. Habes p̃cationẽ Christi, quã addidit cõuiuibus suis post nouissimã cœnã. Quę p̃catio, etsi semel tantum,

tum, externis uerbis, coram Apostolis perorata est, non tamen euanuit in tenues auras, sed adhuc sonat in auribus Dei, & conseruat in terris ministerium Euangelij, ac uniuersam Ecclesiam. Christus est, inquit, qui mortuus est, imo qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexterā Dei, qui & intercedit pro nobis. Complectamur igitur hanc precationem memoria, recitemus eam sępissime & diligentissime, & coiungamus cum ea etiam nostras preces, ut ea sustentati uincamus omnia huius seculi mala, & consequamur cœlestia bona per Iesum Christum dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus benedictus in secula, Amen.

CAPVT XVIII.

HOMILIA LIIII.

QVM clarissimus rex & Propheta Dauid, spiritu sancto excitatus, describeret in psalmo maiestatem Domini nostri Iesu Christi, facit ex ipso ęternū non regē modo, uerumetiā sacerdotem: Iurauit, inquiens, Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in ętternum secundum ordinē Melchisedec. Sunt aūt prępipue tria offitia sacerdotis. Docere populū, Orare pro populo, & sacrifitiū offerre pro populo. Ac hactenus quidem audiuimus doctrinā Christi, audiuimus & precationē eius, quę sunt duę partes sacerdotalis offitij. Accedemus igit nunc, diuina clemētia adiuti, ad explicandā tertiā partem, ut cognoscamus quale sacrifitiū hic sacerdos Deo pro salute populi sui obtulerit. Quod cū instituimus, historia passionis Christi, diligenter nobis pcurrenda est. In hac em̄ luculenter describit, cp Christus futurorū bonorum Pontifex, oblaturus sacrifitiū pro salute populi sui, intrauerit in cœleste tabernaculū, non per sanguinē hircorum ac uitulorꝝ, sed quemadmodū Apostolus ait, per propriū sanguinem, ac obtulerit seipsum immaculatū deo, ut purgaret conscientiā nostram à mortuarijs operibus, ad seruiendū deo uiuēti. Suscipiemus igitur historiam passionis Christi interpretandam, sicut ea ab Euangelista Ioanne descripta est, ut non tam sciamus, quibus ritibus Christus sacrifitium suum obtulerit, quàm cognoscamus, quis sit uerus huius sacrifitij usus. Priusc̄p ergo ad historiam ipsam accedamus, operæpretium uidetur, pauca de usu passionis & mortis Christi præfari. Etsi enim historia diligenter audienda, legenda,

meditanda & cognoscenda est, tamen non sentiamus nos nostro officio satisfeciſſe, si uerba tantum historiæ teneamus, & mente cogitemus, atq; etiam crudelitatem & immanitatem Iudæ proditoris ac reliquorum hostium Christi execremur. Sed usus, usus inquam, & finis passionis & mortis Christi, quam historia describit, cognoscendus est. Ac alij quidem delectãtur picturis, alij sculptilibus, alij pulsibus companarum, alij alijs id genus signis, quibus de passione & morte Christi admoneantur. Sed hęc sunt humana inuenta, nec sunt diuinitus instituta, ut sint organa spiritus, ideoq; hypocritam magis q̃ pium reddere possunt. Instituta autem & ordinata sunt diuinitus scripta Prophetica, & Apostolica, institutum est publicum docendi Euangelij ministerium, instituta est Cœna dominica. Hęc sunt uera organa, quibus spiritus sanctus utitur, ad commonefaciendos nos de usu passionis & mortis Christi, & ad applicandum nobis fructum sacrifitij eius. Cum igitur in historia passionis audimus Christum filium Dei, cohorrescentem ad conspectum mortis, luctantem cum terroribus mortis, sudantem sanguinem, captiuum, percussum, flagellatum, irrisum, cruci affixum, mortuum & confossum, sciamus eum hęc passum, non propter sua aliqua pcta: Peccatũ em̃ non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius, sed propter pcta humani generis, propter mea, tua, & illius pctã, ut ea his suppliciis corã Deo expiaret, & irã dei placaret. Cogitemus, nos nostris peccatis meritos esse mortẽ & infernũ, sed filium Dei nostram calamitatem miseratum, suscepiſſe horrores mortis & inferni, ut pro nostris peccatis satisfaceret, & nos à perpetuo interitu seruaret. Hic est usus, hic est finis passionis ac mortis Christi. Hunc finem adumbrarunt quondam sacrifitia Leuitica. Etsi enim dicebantur expiare peccata, tamen non expiabant ea, nisi uel Leuitica, uel coram humano iuditio, remittebant autem offerentem ad unum illud & uerum sacrifitium, quod filius Dei, semel in cruce peracturus, & quo uera peccata coram diuino iuditio expiaturus esset. Omnis sacerdos, inquit Apostolus, assistit quotidie sacra peragens, & easdem sępius offerens hostias, quæ nunq; possunt auferre peccata. Hic uero, (filius Dei) una pro peccatis oblata uictima, perpetuo sedet ad dextram Dei, id quod supereſt expectans, donec reddantur inimici ipsius scabellum pedum eius. Vnica enim oblatione perfectos effecit in perpetuum eos qui sanctificantur. In Esaia autem perspicue prædicatur, q̃ Christus susceptus sit passionem & mortem, non propter sua, sed propter nostra peccata. Ipse uulneratus est, inquit, propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostrę super eum, & liuore eius sanati sumus. Et mox: Abscissus est de terra uiuentium, propter scelus populi mei percussi eum.

eum. Et Ioannes Baptista de Christo contionatur: Ecce, inquiens, agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Ac in institutione Cœnæ dominicę Christus ipse palam docet usum passionis suę: Hoc, inquiens, est corpus, quod pro uobis traditur. Et, Hic est sanguis qui pro uobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Et Paulus: Mortuus est, inquit, propter peccata nostra. Similiter Ioannes, Ipse est (inquit) propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, uerumetiam pro totius mundi. Sed quid facio? Tota scriptura Apostolica plena est horum testimoniorum, quibus comprobatur, passionem & mortem Christi filij Dei hoc spectare, ut nostra peccata corã Deo expientur, & nos cum Deo reconciliemur. In consideratione autem huius usus, admonemur de duabus rebus, quę nobis ad agendam pœnitentiam, hoc est, ad consequendam ueram & cœlestem salutem maxime omnium necessariæ sunt. Nostra enim uocatio est, nostra salus exigit, ut pœnitentiam agamus. Si pœnitentiam, inquit DOMINVS, egerit gens illa à malo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiã super malo, quod cogitaui ut facerẽ ei. Et Ioannes ac Christus ipse: Pœnitentiã, inquiũt, agite: Appropinquat em̃ regnum cœlorum. Quare magna cura cognoscenda sunt ea, quæ ad agendam pœnitentiam necessaria sunt. Primum autem, in uera pœnitẽtia necesse habes cognoscere magnitudinem peccatorum tuorum, & seueritatẽ irę Dei aduersus peccata, ut & cohorrescas, & ad quęrendam remissionem peccatorum exciteris, & actionem peccatorum deuites. Nam, ꝙ tam pauci homines serio cogitent de fugiendis peccatis, & sectanda iustitia, hinc adeo accidit, quia existimant iram Dei non esse seriam aduersus peccata, nec putant peccata tam grauia esse, ut mereantur æterna supplicia. Quicquid securis istis hominibus de ira Dei dixeris, surdis fabulam narraueris. Semper enim id, quod est apud Mosen, in cordibus suis dicunt: Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei. Et illud Esaiæ: Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum transierit, non ueniet super nos. Extant autem multę & perspicue significationes seueritatis diuinæ irę aduersus peccata. Adam peccauit esu pomi à Deo prohibiti. Hoc uidetur peccatum admodum puerile. Solent enim pueri poma suffurari, & ijs clam uesci. Sed magnitudo supplitij, declarat grauitatem peccati, & seueritatem iræ Dei aduersus peccatum. Deus enim eiecit propter hoc peccatum Adamum, cum omni sua posteritate, è Paradiso, in omnes afflictiones, & in mortẽ, ac nisi quis ueniam peccati per Christum consequatur, conijcit eum etiam in infernum. Quæ potest esse ira seuerior? In diluuio & in incendio Sodomitico perierunt non solum homines adulti, uerumetiam infantes. Quid au-

tem commeruerunt, ꝙ coniecti ſint una cum parentibus in tam horri bile ſupplitium? Grauitas iræ diuinę eſt, quę ſe hoc ſupplitio patefacere uoluit, ut intelligeremus tantam eſſe huius iræ aduerſus peccata ſeueritatem, ut uiſitet iniquitatem patrum in filijs, in tertia & quarta generatione. Et quanq̄ infantes non peccauerunt externis flagitijs, peccant tñ hęreditario peccato, ut nihil habeant, quod de iuditio dei conquęrantur. Quid plura? Bella, fames, incendia, peſtes, uaſtationes, morbi, publicę & priuatæ hominum calamitates, manifeſta ſunt argumenta, quibus Deus ſeueritatē irę ſuæ aduerſus pc̄tā orbi cognoſcendam proponit. Sed nullum eſt manifeſtius irę Dei erga peccata argumentum, q̄ paſſio & mors domini noſtri Ieſu Chriſti, unigeniti filij Dei. Cum enim hic ſuſciperet in ſe peccata humani generis expianda, noluit Deus placari, niſi ſuſciperet ſupplitia peccati, hoc eſt, afflictiones ac dolores mortis & inferni. Queſo te cogita mihi, quāta hęc ſit ira aduerſus peccata, propter quæ Deus ne unigenito quidem filio ſuo parcere uoluit? Quomodo Deus potuiſſet uidere filium tam dilectum, ad conſpectum mortis cohorreſcere & ſudare ſanguinem, ac in cruce crudeliſſime, manibus & pedibus perfodi, niſi eſſet iudex in peccata longe omnium ſeueriſſimus? Filius quiſpiam principis intercedit apud parentem pro fure, aut latrone: Quod ſi princeps non remittit ſcelerato culpam & pœnā, niſi filius qui intercedit, ſubeat pœnam, an non palam ſignificatur, principem maxima & uehementiſſima ira aduerſus ſcelera accenſum eſſe? Quod idem cum Deus pater faciat erga unigenitum filium ſuum, innocentem quidem, ſed pro peccatoribus intercedentem, grauiſſima ſit ira eius aduerſus peccata, neceſſe eſt. Quare cum in hiſtoria paſſionis audimus Chriſtum contremiſcere ad conſpectum mortis, & rapi immaniter ad crucem & mortem, agnoſcamus non tam magnitudinē noſtrorū peccatorum, propter quæ filius Dei tanta patitur, q̄ ſeriam ſeueritatem iræ Dei aduerſus pc̄tā, qua ſeueritate, Deus ne filio quidē unigenito ſuo parcere uoluit. Et cum deliberas tecum, de abijciendo Euangelio Chriſti, de abutendo nomine Dei ad execrationes, de committendo furto, de ſectādo ſcorto, de inferēdo malum proximo tuo, aut de alijs ſceleribus deſignandis, cogita tecum quale & quantum facinus inſtituas. An neſcis, Deum tanto odio hoc quod faciendum ſuſcipis, proſequi, ut cum filius ſibi pro eo intercedendū putaret, ne ipſi quidē tantopere amato pepercerit? Vis ne tu iterum filium Dei crucifigere, & ludibrio exponere? Nam hi, autore Apoſtolo, filium Dei iterum crucifigunt, & ludibrio exponunt, qui poſtquam fuerunt illuminati, & guſtauerunt cœleſte donum, in peccata prolabuntur. Meditemur igitur paſſionē Chriſti ſumma diligentia, ut pœnitentiam agamus, mag

nitudinem

nitudinem irę diuinę aduersus peccata cognoscamus, & peccata fugia mus. Deinde, in agenda uera pœnitentia cognoscere debemus, nõ solum magnitudinẽ peccatorum, & seueritatẽ iræ Dei, sed etiã magnitudinem clementiæ Dei, & ueritatem ac certitudinem misericordiæ eius, qua peccata propter Christum remittuntur. Ac uidetur quidem homini in huius mundi fœlicitate et tranquillitate uersanti facillimũ esse, cognoscere & credere Deum esse propitium ac misericordem, ideoq; multi secure in peccata ruunt, dum cogitant Deum esse clementiorem, q̃ qui in ista seuerius animaduertat, & quanq̃ irascatur peccatis, tamen facile eum, una aut altera precatiuncula, aut salis em aspersione aquæ benedictæ placari posse. Sed profecto nullum est homini difficilius opus, q̃ uere et ex animo credere deũ esse misericordem & clementem. Quæ difficultas tum præcipue apparet, cum aduersis tentamur, cum tyrannidi mortis & horroribus inferni obijcimur. Diuitiæ si affluant, facile uidetur esse, credere deum esse propitium, & dare alimenta. Si corporalis sanitas uegeta fuerit, haud difficile apparet credere, q̃ Deus clementer nos conseruet. Si peccati iuditium latet, & illustris est honestas uitæ, nihil uidetur negotij, credere q̃ Deus ex misericordia remittat peccatum, & reputet nos iustos. In omnium autem rerum indigentia, in grauissimis morbis, in reuelato iuditio peccati, in conspectu mortis, & in horroribus inferni, credere, q̃ Deus sit propitius, & conseruet nos clementer, ne pereamus, & reputet nos iustos, ac tribuat nobis uitam & cœlestem fœlicitatem, hoc demum opus, hic labor. Quid enim hoc aliud est, q̃ uidere in uacua crumena pecuniam, in morbo sanitatem, in dolore uoluptatem, in morte uitam, in inferno cœlum, denicq̃ in nihilo aliquid? Quod certe nõ est humanæ, sed diuinæ tantum industriæ. Quare non est oscitanter sed serio cogitandum, ut rectam & ueram fidem de misericordia & clementia Dei diuinitus consequamur. Deus autem testatus est ualde multis argumentis misericordiam & clementiam suam erga humanũ genus. Primum quidem creatione cœli & terræ, quæ in usum hominis condidit. Deinde mltis alijs donis, quibus hominem ornauit tam corpore q̃ animo. Deus, inquit Paulus, non sinit seipsum expertem Actio. 14i testimonij, dum benefitia confert, de cœlo dans nobis pluuias ac tempora fructifera, implens cibo ac lætitia (seu uino quod lætificat hominem) corda nostra. Pręterea declarauit clementiam suam multis & magnis miraculis, quibus populum suum è difficillimis periculis læ penumero liberauit. Sed nullum opus est, quo deus magis perspicue declarauit suam clementiam erga humanum genus, q̃ quod passus est, ut unigenitus filius suus susciperet ad expianda peccata hominis crucem & mortem. Nam Christus filius dei, tam dilectus & acceptus

est Deo patri suo, ut tradiderit ei omnia, & effuderit in ipsum omnem suam potentiam & maiestatem. Et tamen maluit ferre, ut filius sudaret sanguinem, laceraretur, & crudelissime interficeretur, quàm ut humanum genus periret. Non potuisset autem ferre, ut tanta mala unigenito, & sic delicto filio accidere̅t, nisi uera eius & seria esset misericordia atque clementia erga humanum genus. Sic Deus (inquit Christus) dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, (uidelicet in crucem & mortem) ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat æternam uitam. Et Paulus: Commendat, inquit, suam caritate̅ erga nos Deus, ꝙ cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est. Et Ioannes: In hoc apparuit caritas Dei in nobis, ꝙ filium suum unigenitu̅ misit Deus in mundum, ut uiuamus per eum, In hoc est caritas, non quod nos dilexerimus Deum, sed ꝙ ipse dilexerit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Quare, cum ad agendam pœnitentiam necessarium sit credere, ꝙ Deus sit propitius, & remittat peccata clementer, necessarium etiam est, ut historiam passionis Christi diligentissime cognoscamus & meditemur, non ut existimemus nos ipso meditationis opere expiare peccata, sed ut cognoscamus immensam Dei erga nos clementiam, & excitemus atque confirmemus fidem nostram, quo de remissione peccatorum propter Christum certi effitiamur. Postremo, etsi in historia passionis Christi maxime omnium considerandum est, quod Christus susceperit crucē & mortē, ad expianda peccata nostra, tamen nec hoc prætereundum est, ut ex ea discamus regnum Christi non esse mundanum, & Christum suscepisse quidem nostri caussa tantas afflictiones, non autem suscepisse eas, ut nos nullas in hoc seculo haberemus, sed ut exemplo eius omnes afflictiones, quæ nobis immittuntur, patienter & obedienter feramus. Christus (inquit Petrus) afflictus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut insequeremini uestigia eius. Et Christus ipse ait: Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, & uos persequentur. Cum igitur historia passionis Christi utilis sit ac necessaria, ad considerationem maximarum rerum salutis nostrę, agite, amicissimi, expergiscamur, & capessamus eam, ut suū spiritui sancto organon exhibeamus, quo dona sua in nos clementer effundat, per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est una̅ cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula,

AMEN.

Rom. 5.

1. Ioannis. 4.

Homilia

HOMILIA LV.

VÆ in ſuperiori homilia præfati ſumus, etſi pauca ſunt, tamen ſi diligenter expendantur, ſpero ea ad cognoſcendum uerum & legitimum uſum paſſionis & mortis DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, multum profutura. Accedemus igitur nunc ad percurrendam ipſam paſſionis hiſtoriã, ut nobis perſpecta ſint, quę pro nobis filius Dei patienda ſuſcepit. Hæc cum dixiſſet Ieſus, egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron, (Hic eſt torrẽs Kidron, ſicut hebręi uocant, & hæc eſt uia, qua etiam Dauid in maximis ęrumnis profectus eſt in exilium, cum eięceretur à filio ſuo é regno, quemadmodum in ſecundo libro Regum cap. xv. ſcriptum eſt) ubi erat hortus, in quem introiuit ipſe & diſcipuli eius. Alij Euangeliſtæ commemorant, ꝙ Chriſtus contionatus ſit diſcipulis in itinere de offendiculo, quod paſſuri erant, & de abnegatione Petri. Recenſent præterea ꝙ ſuſceperit in horto grauiſſimam pugnam cum terroribus mortis, ac orauerit tanto animi ardore, ut etiam ſanguinẽ ſudauerit. Quę quia aliàs copioſe tractauimus, & libet hoc tempore tantum ea percurrere, quæ Ioannes adnotauit, continebimus nos intra prędictiptos fines, & perſtringemus ea, quæ nobis ab hoc noſtro Euangeliſta Ioanne propoſita ſunt. Sed non egrediemur tam cito hunc hortum, in quem Chriſtus cum diſcipulis ſuis intrauit, quin prius unum aut alterum pomum decerpamus. In hoc enim loco admonemur & diſcamus, ꝙ cum ingredimur in hortos, non debeamus eos corporalibus tantum oculis, uerumetiam ſpiritualibus aſpicere. Initio enim: Adam primus noſter parens, peccauit in horto, & coniecit tam ſe quàm omnes poſteros ſuos propter peccatum in extremam interni-tionem. Quare ſi quis magnitudinem peccati & calamitatum, quę ex peccato ueniunt, conſideraverit, non mirum, quòd ad conſpectũ hortorum cohorreſcat, & oculos ſuos ab eis magna animi mœſtitia auertat. Filius autem Dei ſanctificat nunc iterum hortos, quos Adam ante prophanauerat. Suſcipit enim in horto montis Oliuarum pugnã cum terroribus mortis, & conſecrat eum hortum ſua oratione, ac irrigat eum ſanguineo ſuo ſudore. Quæ nobis uitam & ſalutem pepererunt. Quare etſi in conſpectu hortorum admoneri debemus generaliter de clementia Dei, quod dat nobis tempora frugifera, & uaria genera pomorum, tñ prędipue admoneri debemus de peccato Adæ, & de pugna Chriſti propter peccatum, in horto ſuſcepta, ut agnoſcamus immẽſam miſericordiam Dei, quam nobis in filio ſuo exhibuit, excitemur ad gratitudinem. Nouerat autem & Iudas, qui prodebat eum, locum,

,,quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergo
,,cum accepisset cohortem (quam alij putant constitisse quingentis, alij
,,septingentis, alij nongentis, alij mille militibus) & a Pontificibus &
,,Phariſæis ministros, uenit illuc, cum laternis ac facibus & armis. Hic initio quędam de Iuda proditore dicenda sunt. Iudas enim, accepta pecunia, non solum prodidit locum, in quo Iesus frequenter cum discipulis conuenire solebat, uerumetiam factus est dux eius agminis, qui Iesum comprehenderent. Amabo igitur te, unde potuit tanta esse immanitas in Iuda, quod non solum susceperit cogitationem de prodendo tanto ipsius benefactore, sed etiam prebuerit se ducem eorũ, quos sciebat Iesum implacabili odio prosequi, ac non nisi extremam eius internitionem meditari? Et quomodo potuit Deus ad tantam Iudæ immanitatem conniuere, & eam tolerare, donec reipsa perficeretur? De hac re non est alienum ab instituto pauca quędam exponere, ut & nostram ipsorum naturam recte cognoscere discamus. Nam immanissimum quidem scelus est, quod Iudas designauit, Sed quod Christus ad eos dixit, qui nuntiabant ipsi de Galilęis, quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum sacrifitijs ipsorum. Putatis, quod hi Galilæi præcunctis Galilęis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non dico uobis, Imo nisi resipueritis, omnes simul peribitis, idem etiã dicendum est ad eos, qui Iudam ita execrantur, ut existiment eum solum esse peccatorem, omnibus diris deuouendum, se uero esse longe omnium innocentissimos. Putatis, quod Iudas prę cunctis alijs hominibus peccator fuerit, quia talia & fecit, & passus est? Non dico uobis, Sed quæ corrupta & uitiata natura fuit in Iuda, & qui Satan dominatus est in Iudam, eadem plane natura est in omnibus hominibus, & eiusdem Satanę tyrannidi obnoxium est, propter peccatum, totum humanum genus. Quam tyrannidem exerceret quoq; Satan in omnibus hominib: nisi diuinitus cohiberetur. Postq; enim Adam peccauit, & amisit spiritum sanctum, cumulatum est cor eius omni genere scelerum. Vbi enim discedit spiritus sanctus, ibi succedit spiritus malus & impurus, qui confert in eum, quem occupat, omnem impietatem & immanitatem. Nec hoc malum constitit in Adami tãtum persona, sed propagatum est in omnem eius posteritatem, ut quotquot ex ipso descẽdunt, afferũt secum cor omni malitia plenum. Propter unum hominem, inquit Paulus, peccatum introijt in mundum, ac per peccatum mors, & sic in omnes homines mors peruasit, quatenus omnes peccauimus. Et alias: Sensus & cogitatio humani cordis, malum sunt ab adolescentia. Acrursus: Ecce in iniqtatibus cõceptus sum, & in pctis cõcepit me mater mea. Et iterũ: Prauũ est cor hois & inscrutabile. Dicit & Christus ipse: Ex corde exeunt cogitatiões malę, cędes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, cõuitia. Non exirẽt aũt ex corde, nisi in corde essent.

In

In corde autem sunt, nõ noua aliqua insicione, postꝙ adoleueris, Sed ueteri natura, quam ab Adamo hereditate accipimus, & quam nobiscum in hunc mundum asportamus. Quare cum omnes homines sint una massa, per peccatum Adæ fermentata & corrupta, est & in omnibus hominibus una omnium malorũ lerna, ut in recessu humani cordis lateat non solum incredulitas, contemptus Dei, inuidia, ira, libido, uerumetiam proditio, incestus, patricidium, & omne genus immanitatis. Dices igitur, Si ad hunc modum res se habet, quid est, ꝙ immanitas non in omnibus sese ęqualiter prodat? quid est, ꝙ non omnes sic peccent, ut Iudas aut Cain, aut Saul? Hic considerandum est, ꝙ Deus miseratus humanam calamitatem, ordinauit aduersus Satanam, agmina angelorum, qui Satanę tyrannidi ita obsistant, ut non solum tueantur Gentes & Imperia, ne crudelitate Satanæ euertantur, uerum etiam moueant hominum cogitationes, ne Satanę immania suggerenti obsequant. In Daniele angelus pugnat cum principe Persarꝝ, pro filijs populi Dei, ne opprimant. In Numeris, Angelus Dñi linguã Balaã ita gubernat, ut non posset, nisi benedicere filijs Israel. In Genesi, Abraham dicit seruo suo, ꝙ Dñs missurus sit angelũ suum corã ipso, ꝙ effitiat, ut inueniat filio suo uxorẽ in cognatiõe sua. Vides igit angelos diuinitus ordinatos esse, ut & publicã tranquillitatẽ tueãtur, & hoim mentes gubernẽt, ne Satan pro libidine sua omnia perturbet, & confundat. Deinde instituit Deus inter hoies ex una parte, Magistratus, leges, parentes, & disciplinas, ex altera parte, Ministerium Euangelij Domini nostri Iesu Christi. Ac magistratibus, & legibus ac disciplinis humanis, coercentur quidem homines, diuina ordinatione, ne in quæuis genera immanium scelerum ruant, & cõtinentur aliquo modo in offitio, sed his organis non regenerantur, non fiunt noui homines, nec constant in grauibus periculis. Non enim eripiuntur è tyrannide Satanæ, etiamsi magistratibus & legibus obediant. Ministerium autem Euangelij, id demum organon est, quo homines pij non solum continentur in offitio, uerumetiam regenerantur per spiritum sanctum, & fiant noui homines, ut & liberentur à Satanæ uinculis, & sectentur, non iam humana ratione dictante, sed spiritu sancto ducente, & uires præbente honestas actiones. Ad hoc enim apparuit, sicut Ioannes dicit, filius Dei, ut dissoluat opera diaboli. Et alias: Christus per mortem abolet eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum, & liberos reddit eos, quicunque metu mortis per omnem uitam obnoxij erant seruituti. Quare soli diuinæ clementiæ, & ordinationibus eius acceptum ferendum est, ꝙ Satan non impleat immanibus sceleribus uniuersam terram, & omnes hominum politias. Et tamen res ipsa indicat, quod nonnunquam designentur inter homines tam nefaria & truculenta scelera, ut honesti uiri, ad mentionem

eorum cohortescant. Quid igitur est, ꝙ Deus ad ea conniueat? quid est, ꝙ tantum Satanæ permittat, ut Iudas prodat Christum filium suum, ut Saul interfitiat tot innocentes sacerdotes, ut uastet ciuitatem eorum crudelissime, ut Cain occidat fratrem suum, ut frater tradat fratrẽ in mortem, & pater filium, sicut est in Euangelio? Quid potest his sceleribus immanius dici? Et tamen ab hominibus designari solent. Sed multæ sunt causſæ, cur Deus Satanæ permittat, ut homines in tantam immanitatem conijcit. Vna est, ut his exemplis admoneat omnes homines suæ corruptæ & uitiatæ naturæ. Quales enim sunt scelerati illi & immanes nebulones, talis est quiuis homo natura sua. Et quod illi externis sceleribus designant, hoc in recessibus cuiusuis hominis latet, haud dubie data occasione erupturum, nisi diuinitus cohibeatur. Quare agnoscamus alienis exemplis nostrum peccatum, ut excitemur ad quærendam remissionem & remedium peccati. Deinde, Deus conniuet ad immanitatem scelerũ, ut admoneat nos de tyrannide Satanę, ne uidelicet secure stertamus, sed uigilemus aduersus Satanam, quia circuit sicut leo rugiens, quærens quem deuoret. Postremo conniuet, ut scelera sceleribus puniantur. Paulus ad Romanos scribẽs: dicit, Gentes traditas in cupiditates ignominiosas, propterea quòd cum Deum cognouissent, non ut Deum glorificauerint. Docet autem Paulus, ꝙ immania flagitia sint impietatis supplitia. Itaq; peccatum fit peccati pœna. Sic & de proditione Iudæ sentiendum est. Ea enim fuit pœna impietatis eius. Initio enim Iudas audiuit Euangelion Christi, & cooptatus est in numerum Apostolorum. Etsi autẽ uisus est Euangelio magnam fidem habere, tamen contempsit in latebris cordis sui, deinde commisit etiam furtum, & multa surripuit è fisco, cuius cura ipsi demandata erat. Adhęc, cum reprehenderetur à Christo, ꝙ inuectus esset in mulierem, quæ unguentum effuderat, concepit aduersus Christum magnam inuidiam. Itaq;, cum alterũ post alterum peccatum designaret, & his Satanam ad se, quasi inuitaret, totus tandem tyrannidi Satanæ permissus est, ut ad horrenda & immania flagitia impelleretur, & dignis supplitijs puniretur. Admoneamur igitur hoc exemplo, ut obstemus principijs peccatorum. Vno enim & altero peccato, quasi inuitas ad te Satanam. Hic hospes, si semel & iterũ receptus fuerit, non facile iterum eijci potest, nec contentus est iure hospitij, sed incipit etiam usurpare sibi ius dominationis, & accipit ad se septem spiritus, ut Christus ait, nequiores se, imo uenit cũ legionibus diabolorũ, ut postrema hominis fiãt peiora primis. Quare maxima oĩm opa danda est, ut liberati per Christũ à Satanę tyrannide, nõ recipiamus eum rursus in hospitiũ, sed principijs obstemus, ut iterũ atq; iterũ repulsus ac superatus, minus nobis molestus esse pergat. Sunt & alię causſæ,

cur

cur Deus conniuerit ad proditionem Iudæ, & adhuc conniueat ad multa immania scelera, sed nos uoluimus tantum generales causas recenſere, quibus nunc contenti, persequimur & alia, quæ hoc loco commemorantur. Iudas enim non solus accedit ad Christum, sed adducit secum cohortem præsidiariam, & ministros, quos ipsi Pontifices, Pharisæi, & Senatores Hierosolymitani adiunxerant. Hic considera mihi personas & dignitatem eorum, qui mittunt ministros suos ad comprehendendum Christum. Cohortem mittit Pilatus præses, nomine Romani Imperatoris. Reliquos ministros mittunt Summi sacerdotes, religionis antistites, ac Pharisæi sanctitate illustres, atque etiam Senatores urbis magistratus. Hi erant summi in Politeia & religione populi Dei, Et tamen persequuntur Christum. Rem mirandam. Pontifices & Senatores urbis Hierusalem fruebant beneficijs Christi. Non solum enim Leuitica sacra, quibus Pontifices præerant, uerumetiam Politeia Mosaica instituta erat diuinitus ad conseruandas promissiones de Christo. Ecce autem, cum iam Christus aduenisset, cõferunt illi omne studiũ suum in hoc, ut opprimat. Hoc præscriptum nobis est in nostram doctrinam, ut non offendamur, uel persecutione, qua præcipui in Ecclesia Christi in Euangelion seuiunt, uel infœlicitate, qua pñ in hoc seculo, propter professionem suam laborant. Euentus stultorum magister est. Itaque uulgus hominum iudicat de ueritate Euangelij Christi ex euentu. Si externus euentus fœlix est, iudicant Euangelion esse uerum. Si infœlix est euentus, iudicant esse falsum. Nostrum autem officium est, ut de Christo & Euangelio eius iudicemus, non secundum externum in hoc seculo euentum, sed secundum cœlestia testimonia, quibus ueritas & certitudo eorum perspicue confirmata sunt. Etsi enim Euangelion Christi non semper fœlix est, mundano more, habet tamen suam fœlicitatem etiam in hoc seculo, quod perfitiat cursum suum, & constet in orbe terrarum, inuitis & obsistentibus etiamnum potentissimis Monarchis. Ac incho at quidem in hoc seculo spiritualem fœlicitatem in cordibus piorum per fidem, in futuro autem seculo absoluit eam reipsa, & affert uitam inæternum fœlicem. Quare non offendamur persecutione, qua summi in Ecclesia conant Euangelion Christi delere. Sed potius confirmemur in fide, ꝙ uetus ea lors sit Christi, ut à suo ipsius populo cõprehendatur, & damnetur. Quod cum ita se habeat, pergamus ad ea quę sequuntur. Iesus itaqꝫ sciens omnia quæ futura erant super se, processit ac dixit eis: Quem quęritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus: Ego sum. Stabat autem & Iudas qui prodebat eum cum ipsis. Iesus alias in persecutione fugit & abscondit se. Nunc autem, etsi optime cognouit, quæ & quanta manerent ipsum

ſupplitia. De his enim ſępe antea contionatus fuerat,& ea paulo ante ob oculos poſita ita uiderat, ut & ſanguinem ſudaret,tamen non fugit, ſed procedit perſecutoribus ſuis obuiam. Quid ſibi uolunt hæ diuerſæ actiones Chriſti? Ante fugit perſecutores,ut doceret aduerſa declinanda eſſe,ſi id per uocationem DOMINI,& ſine uiolatione uerbi Dei fieri poteſt. Nunc autem procedit aduerſarijs obuiam, ut doceret aduerſa ſuſcipienda eſſe obedienter, ſi te eò uocauerit uoluntas Dei. Sed quomodo, inquies, cognoſcam Dei uoluntatem? Cognoſces eam ex uerbo eius. Si enim res ita ſe habet, ut aut tibi peccandum ſit contra uerbum Dei, aut aduerſa ſuſcipienda, tunc manifeſte cognoſcitur, ꝙ uoluntas Dei ſit, ut aduerſa obedienter ſuſcipias. Deus enim non uult, ut pecces: Non Deus uolens iniquitatẽ tu es. Sed uult, ut in uocatione uerbi eius pergas, etiamſi uita ipſa amittenda ſit. Quare, ſi potes ſine peccato aduerſa declinare, licebit. Si autem non potes ea declinare, niſi pecces contra uerbum Dei, tunc intantum non ſunt aduerſa declinanda, ut potius aduerſarijs obuiam procedendum ſit. Itaque cum Chriſtus haberet certum uerbum Dei, ꝙ deberet mortem propeccatis humani generis ſuſcipere, (In hunc enim uſum miſſus fuit à patre in terram,) & cognoſceret per ſpiritum ſanctum, ꝙ hoc eſſet tempus diuinitus conſtitutum, quo pateretur mortem, tradit ſe perſecutoribus obedientiſſime. Sed de obedientia Chriſti longe aliud iudicandum eſt, ꝙ de aliorum hominum obedientia. Hi enim, etſi tradunt ſe aliquoties obedienter ad ferendam crucem, tamen obedientia eorum eſt imperfecta, & multa rebellione carnis uitiata. Obedientia autẽ Chriſti perfecta eſt, & ſine ullo peccato: Tentatus eſt, inquit Apoſtolus, per omnia, iuxta ſimilitudinem, abſq; peccato. Quare noſtra obedientia non expiat peccata, ſed ſola Chriſti obedientia hanc habet gloriam, ꝙ Deus remittat nobis propter eam, peccata noſtra. Sed hic uide mihi magnum miraculum. Iudas & miniſtri Pontificum, etſi nouerant Chriſtum de facie, tamen nunc ita cæcantur, ut nihil minus putent, q̃ hunc eſſe eum, quem quęrant. Sic cęcabantur quondã ciues Sodomitæ, ne poſſent inuenire oſtium domus Loth, Sic cæcabantur Syri, ne agnoſcerẽt Helizæum. Sed Loth & Helizęus euadũt hoſtes ſuos, Chriſtus non euadit. Quid igitur ſibi uult hic diuerſus excęcationis hoſtium euentus? In illis teſtatur Deus curam ſuam pro ijs, qui ambulant in uocatione ſua, ꝙ hoſtes, non quęant ipſis, ne pilum quidem capitis mouere, niſi diuinitus conceſſum fuerit. Angelis ſuis, inquit, mandauit de te, ut cuſtodiant te in omnibus uijs tuis. Et: Angelus DOMINI immittitur in circuitu timentium eum, & eripit eos. Chriſtus autem non euadit, partim ut teſtetur perfectam ſuam obedientiam, quòd cum poſſet fugere & declinare

hoſtes,

hostes, non tamẽ fugiat, partim ut significet, ꝙ sicut ipse non idcirco deseritur à Deo, quia traditur in manus aduersariorum suorum, sed potius conseruatur, & ducitur per captiuitatem & mortem in summã gloriam & fœlicitatem, ita nec nos deseramur à Deo, etiamsi perueni amus in potestatem hostium nostrorum. Siue enim uiuimus, siue mo rimur, DOMINI sumus. Et: Vita mihi Christus est, et mors lucrum. Sed uideamus & aliud miraculum, priusq̃ enim Christus captiuus abducitur, multa hic miracula æduntur, ut impij persecutores Chri sti nullam habeant excusationem, & pij certo cognoscant, hunc uerũ esse Christum. Vt ergo dixit eis: Ego sum, abierunt retrorsum, & ce ciderunt in terram. Quid magis admiratione dignum? Tot armati ho mines ad unam unius inermis hominis uoculam cõcidunt. Sed uides Christum dominari in medio inimicorum suorum, ac dominari non mundanis armis, sed uerbo tantum. Quanta, obsecro, eius est poten tia, qui uno uerbo repellit armatos suos hostes, & deijcit eos in ter ram? Et si hæc uox: Ego sum, sine ulla externa maiestate à Christo in terris iam capiendo prolata, intantum exterruit impios, ut non potue rint amplius consistere, quantum, obsecro, exterrebit impios illa uox, quam Christus in maiestate gloriæ suæ de cœlo proferet: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ei us. Quare discamus timorem Dei, agnoscamus Euangelion Christi, & obediamus uocationi eius, ut non iræ sed gratiæ uocem audiamus: Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum uobis ab ex ordio mundi. Videamus autem nunc etiam aliud miraculum: Iterum ergo interrogauit eos: Quem quæritis. Illi autem dixerunt, Iesum Na zarenum. Respondit Iesus: Dixi uobis, ꝙ ego sum. Si ergo me quæri tis, sinite hos abire. Vt compleretur sermo, quem dixerat: Ex ijs, quos dedisti mihi, non perdidi quenq̃. Iesus permittit se persecutoribus, Sed graui autoritate, & quasi cõminatione mandat eis, ne lædant aut capiãt in præsentia Apostolos suos. Hos, inquit, sinite abire. Et quod mandat, hoc etiã necesse habent impij illi obseruare. Nisi em̃ positus fuisset eis terminus sæuiendi, non solum cepissent Iesum, uerumetiã grassati essent crudeliter in Apostolos, qui aderant, ac etiam trucidas sent eos, præsertim cum Petrus inferret se euaginato gladio in cohor tem armatam. Ecce autem sinunt eos illæsos abire. Memorabile mira culũ, quo proponunt nobis præcipue duo cõsideranda. Alterũ est, ꝙ deus, cũ cogitat immittere afflictionẽ, cogitat etiã modũ, terminũ, & liberationẽ ex afflictione. Sicut em̃ posuit mari suũ terminũ, ne possit lõgius, q̃ diuinitus cõstitutũ est euagari, ita etiã terminauit afflictio nes, quas immittit populo suo, ne possint uel graniores esse, uel diu

tius perdurare, q̃ ipse definierit. De Iobe ad Satanam dicitur: Ecce in manu tua est, ueruntamen animam illius serua. Etsi autem Satan affligebat Iobem grauissime, tamen non potuit ei uitam auferre, quia terminus à Deo constitutus erat. Quare bene cõfidamus in aduersis, & perseueremus in offitio uocationis nostræ, certa persuasione concepta, q̃ Deus, qui permittit, ut affligamur, constituerit afflictioni suum terminum, & excogitauerit longe ante, optimam liberandi rationem. Alterum est, q̃ habeamus hic exemplum exauditionis & efficacię precum Christi, quemadmodum & Euangelista ipse monet. Supra enim dixit Christus in precibus suis: Quos dedisti mihi, ego custodio, & nemo ex eis perit, nisi filius ille perditionis. Quod igitur Christus dixit, hoc nunc impletur. Ministri sacrificulorum, etsi maximo odio persequuntur, non Christum tantum, sed etiam Apostolos eius, tamen hoc loco Apostolos ne attingere quidem audent. Orauit enim Christus patrem suum, & dixit Apostolos non una cum ipso capiendos, & occidendos, sed seruandos ad propagandum Euangelion in toto orbe terrarum. Si autem hæc pars precum Christi impleta est, & confirmata magno miraculo, certe implebitur & illa pars, in qua Christus uult, ut oẽs sui seruentur à malo, & ubi ipse est, sint & illi secum. Quare, cum sumus membra Christi per fidem, non dubitemus, quin seruemur in omnibus aduersis à malo, & consequamur per ea ueram & ęternam salutem, propter Iesum Christum dominum nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in sęcula, Amen.

HOMILIA LVI.

EPugna Petri & prima eius abnegatione hodierno die nobis est dicendum. Petrus enim, cum oscitanter & secure negligeret cohortationem, qua Christus excitabat ipsum & collegas eius ad preces: Vigilate, inquiens, & orate, ne intretis in tentationem. Spiritus enim promptus est, caro autem infirma, incidit tam nimia animi promptitudine, q̃ magna carnis infirmitate in grauissimas tentationes. De his igitur nunc dicamus, ut admoniti alieno exemplo, non stertamus securi in periculis, sed expergiscamur, & confugiamus quanta possumus fide & precibus ad DOMINVM Deum seruatorem nostrum. Simon ergo Petrus cum haberet gladium, eduxit eum, & percussit Pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dextram. Erat autem nomen seruo Malchus. Dicit ergo Iesus Petro: Immitte gladium tuum in uaginam. An non bibam poculum, quod dedit mihi pater? Petrus uidetur quidem fortem uirum

rum præstare, & illustre strategema designare, ꝙ sicut Dauid Goliathem, ita ipse armatam uohortem inuadat, sed reprehenditur à Christo grauissime. Cur ergo reprehenditur? Num peccat, ꝙ suscipiat defendendum Christum? Et quæ defensio potest esse iustior? An non Salomon ait: Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitū, liberare ne cesses? Sed manifestum est, Petrum hoc facto peccasse. Primum enim Petrus non erat magistratus ciuilis, nec porrigebant ei uel leges uel magistratus in hoc casu gladium. Quare accipit gladium, sine ulla legitima uocatione. Alia est uocatio principum & magistratuum, alia uocatio hominum priuatorum. Illis mandata est gladij administratio, bonis ad bonum, malis ad pœnam. Priuatis autem hominibus non licet, nisi per leges & magistratum, gladio uti. Itaq; Pilati, qui tunc magistratu in Iudæa fungebatur, officium fuisset, innocentem defendere. Cum igitur Pilatus non solum cessaret, uerumetiam mitteret cohortem ad capiendum Christum, non licuit Petro homini priuato, in ministros magistratus gladio grassari. Deinde manifesta erat uoluntas Dei, ꝙ Christus in hoc missus esset, ut susciperet crucem & mortem. Et Christus ipse sæpe ac multum exposuit Apostolis hanc Dei uoluntatem, quam etiam scripturæ testabantur. Quare, quemadmodum Petrus antea, cum increparet Christum, ne se traderet principibus sacerdotum occidendum, iure est repulsus & audijt: Abi post me Satana, obstaculo es mihi, quia non sapis ea, quę sunt Dei, sed quę sunt hominum, ita & hoc loco recte reprehenditur, ꝙ obsistat gladio suo uoluntati Dei, & conetur sententiam sacræ scripturę, hoc est, spiritus sancti mutare. Præterea, defensio Petri plane inutilis erat Christo, ac minime necessaria. Nam si uoluisset uiolenter defendi, potuisset, ut in alio Euangelista dicitur, rogare patrem suum, qui exhibuisset ei plusq̄ duodecim legiones angelorū. Quare defensio Petri temeraria est & inconsiderata. Nam quod Salomon iubeat eruere eum, qui ad mortem ducitur, Loquitur de defensione, quę fit legitima uocatione, non de ea, quæ fit illegitime. Petri autem uocatio erat, cōfiteri Christum, & testari uoce sua de Christo, non gladio pro Christo belligerari. Hoc igitur fuisset officiū Petri, affirmare hunc esse uerum Messiam, & testimonium de innocentia eius dicere. Multa autem ueniunt hic obseruanda, Vnum est, ꝙ admoneamur, ne sinamus nobis speciem boni zeli imponere, sed cognoscamus, utrum ne zelus noster sit secundum scientiam. Non enim ideo bonus est zelus, quia speciem boni habet. Et fieri potest, ut non erretur quidem affectu, sed erretur delectu. Bonus erat affectus Petri, ꝙ cuperet Christum defendere. Quis hunc affectum damnaret? sed malus erat delectus modi defendendi. Volebat enim Christum gladio

Prouerb. 24.

defendere, quod non erat legitimæ eius uocationis. Bonus uidebatur zelus eorum ludęorum, qui cupiebant legem diuinam defensam. Sed is zelus non erat secundum scientiam, ꝙ conabantur legem defendere interfectione Christi & Apostolorum eius. Bonus uidebatur affectus Israelitarum, quod instituerent multa sacra ad gloriam dei. Quis enim non conferret operam suam ad gloriam dei illustrandam? Sed malus erat delectus, quod instituerẽt sacra extra ordinarium templũ, in lucis, montibus & uallibus, contraꝙ uerbum DOMINI constitutum erat. Quare in suscipiendis actionibus siue illis ecclesiasticis, siue politicis siue œconomicis, non simus contenti Specie boni, sed inquiramus ueram earum iustitiam, ex uerbo DOMINI, ne reprehendenda, aut etiam punienda, potius ꝙ laudanda & honoranda designemus. Deinde admonemur etiam de illo Pauli, ne faciamus mala, ut eueniant bona. Bonum erat Christum innocẽtem defendere. Sed malum erat, quòd Petrus suscipiebat hanc defensionem illegitime. Bonũ est, quod paterfamilias laboret, ut sustentet egestatem familię suę. Sed malum est, quòd hoc conetur furtis, impostoris, perfidia, & alijs id genus sceleribus. Nunquid autem bonum propositum excusat mala opera? Nihil certe minus. Caueamus igitur, ne ad consequenda aut efficienda bona, faciamus mala, Sed ut propositum uere consequamur, bonis semper studeamus. Considerandum est & hoc, quòd hoc loco proponatur nobis in Christo exemplum boni patrisfamilias. Peccat enim Petrus, qui erat de familia Christi. Peccat & Malchus, qui erat à familia Christi alienus. Cum igitur Christus susciperet peccata corrigenda, in quo incipit correctionem? Num in alieno? Sic quidem solent pręposteri patresfamilias, qui neglectis erratis suę ipsorum familiæ, aliena delicta emendare student, ac in suæ quidem familiæ uitijs cœci sunt, in uitijs autem alienę familię oculatissimi. Alij sunt mores Christi, qui Malchum, à familia sua alienum relinquit suo iudici, ipse aũt suscipit Petrum familiarem suum emendandum, & reprehendit eum propter temeritatẽ grauissime, ut doceat & assuefaciat patres familias, quo prępcipuas suas curas & cogitationes in hanc rem conferant, ut uitia suę ipsorum familiæ pro sua uocatione corrigãt, alienos autem homines stare aut cadere domino suo sinant. Obseruemus & illud, quòd cum Christus reprehendit Petrum, qui Malcho aurem abscíderat, significet, se iustitiã tam seueriter tueri, ut ne impijs quidẽ, & pessima quæꝙ meritis aliquid mali illegitime & sine uocatione à nobis inferri uelit. Malchus enim, qui egressus erat ad capiendum Christum, meritus erat sua impietate & crudelitate, ut mutilaretur non solum una aure, sed etiam toto capite. Christus autem, quia uidebat eũ à Petro illegitime offensum, contentus non est, Petrum increpuisse,

puisse, sed benefacit quoque Malcho, & restituit ei aurem. Quo exẽplo monet nos, ut tanta seueritate iustitiam colamus, ut ne iniustis quidem mala illegitime inferamus. Ne uincaris, inquit Apostolus, à malo, sed uince bono malum. Et sicut Salomon ait, ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne ei similis fias, ita non rependas malum malo, ne & ipse malus effitiaris. Sed pergamus ad ea quę sequuntur. Cohors igitur & tribunus ac ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerũt eum. Quid hoc spectaculo horribilius? Verus Messias, unigenitus filius Dei, seruator humani generis, capitur, ligatur, et captiuus per ora hominum, ut longe omnium sceleratissimus traducitur, idque à perditissimis nebulonibus, atq; adeo à posteris eorum patriarcharũ, qui toto animo desiderio aduentum eius expectarunt, & omnẽ salutis suæ fiduciam in eo collocarunt. Quid igitur ad hęc dicemus? Certe hoc illud est, quod maximo est offendiculo tam amicis q̃ inimicis Christi. Hactenus enim gloriatus est Iesus, se esse uerum Messiam, se esse unigenitũ filium Dei, ac Deum patrem stare a parte ipsius, & defendere ipsum: Ego, inquit, & pater, unum sumus. Et: Relinquetis me solum, Et tamẽ non sum solus, quia pater mecum est. Testabantur & miracula Deum fauere Iesu. Non potuisset enim tanta miracula ędere, nisi Deus à parte eius stetisset. Ecce autem nunc impune capitur & ligatur à sceleratissimis hominibus. Ex una igitur parte amici ita offenduntur, ut existiment contiones eius mendacissimas esse nugas, & ipsum a Deo prorsus desertum. Itaq; deserunt & ipsi eum, ac fugiunt. Ex altera autem parte inimici ita offenduntur, ut non solum contemnant doctrinam & honestatem uitę eius, uerumetiam applaudant suæ ipsorum impietati, & faueant suis sceleribus, quę uident tam fœliciter promouere. Hæc est perpetua hominum huius seculi sententia, q̃ ubi uident esse externam fœlicitatem, ibi putent esse iustitiam, ac Deum fauere. Vbi autem uident infœlicitatem, ibi existiment esse iniustitiam, & Deum alieno esse animo. Sic amici Iob sentiunt Iobem esse iniustum, q̃ affligatur. Et Apostoli, iudicant in eo homine aut saltem in parentibus eius esse iniquitatem, in quo uident esse cęcitatem. Quis, inquiunt, peccauit? hic an parentes eius, ut cęcus nasceretur? Et Melitenses, cum uiderent uiperam inuasisse manum Pauli, sentiunt eum esse sceleratum, quia uident eum esse infortunatũ: Omnino, inqunt, homicida est homo hic, quẽ seruatũ è mari, ultio non sinit uiuere. Ac paulopost, cũ uident nihil mali ei accidere, dicebant mutata mente eum esse Deum. Itaq; hoc est iuditium humani ingenij, quòd sentiant, ibi Deum fauore suo adesse, ubi est fœlicitas, ibi uero Deum longe abesse, ubi est infœlicitas. Sed hic est

impijssimus error. In futuro quidem seculo, in quo omnia erunt perpetuo recte ordinata, Deus ibi uere adest fauore suo, ubi summa est fœlicitas, & ibi longe abest, ubi summa est infœlicitas. In hoc autem seculo, magna est rerum confusio. Solet enim aliquoties fieri, ut & Deus ei negotio, quod est in hoc seculo fœlix, uere faueat, si, quod agitur, iustum, pium ac rectum fuerit. Sed non est perpetua in hoc mundo regula, q̃ Deus ibi adsit fauore suo, & approbet, quod agitur, ubi est externa fœlicitas. Satan enim princeps est huius mundi, ideoque confert omne studiũ suum in hanc rem, ut in principatu suo inuertat quoquomodo possit, ordinationem Dei, & effitiat, ut ea quibus Deus fauet, & quæ approbat, sint infœlicia, ea autem, quæ Deus odit, & damnat, sint fœlicia. Et, ut pij affligantur, impij autem producant in bono dies suos. Sed Deus ipse sua habet consilia, suas causas, cur Satanę in hac rerũ confusione cõniueat, & immittat etiã ipse pijs afflictiones, impijs aũt gaudia & uoluptates in hoc mundo. Quę res cum aliás copiose tractata sit, nõ erit nunc longius persequẽda. Nos ad ea nunc indicanda properamus, quę ad prę̃sens institutũ proxime attinẽt. Non em̃ dubiũ est, quin Deus pater de cœlo prospitiẽs, uiderit unigenitũ & dilectissimum filium suum à sceleratissimis hominibus capi, & ligari. Quomodo igitur potuit hoc pacienter ferre, & non potius perdidit fulminibus & grandine tam scelestos homines? De hac re diximus in præfatione passionis. Filius enim Dei suscepit in se expianda peccata humani generis. Pater igitur passus est, ut filius non tantum caperetur & ligaretur, sed etiam crucifigeretur. Primum, ut declararet summam suam seueritatem & iram aduersus peccata. Si enim Deus ne filium quidem, quamuis dilectissimum & innocentissimũ, uoluit à peccatorum supplitijs immunem esse, quis non iudicaret Deum uere ac serio peccatis irasci? Deinde, ut testificaretur immensam suam misericordiam & clementiam erga humanum genus. Si enim Deus maluit filium suum uidere in captiuitate, in uinculis, in ludibrijs, in cruce & in morte, quàm humanum genus in æterna damnatione, quanta obsecro, caritate, quanta misericordia humanum genus complectitur? Hæc sunt, quæ Deum à proijciendis fulminibus continuerunt. Quare agamus ei gratias, agnoscamus nos esse peccatis nostris autores captiuitatis & uinculorum Christi, agnoscamus iram Dei aduersus peccata, ut ea fugiamus, agnoscamus & clementiam eius, ut remissionem peccatorum per Christum consecuti, recta in uocatione eius ambulemus. Abduxerunt autem eum ad Annam primum. Erat enim socer Caiaphę, qui erat Pontifex anni illius. Erat autem Caiaphas is, qui consilium dederat Iudæis, q̃ expediret

expediret unum hominem mori pro populo. Hoc sic intelligendum est, ꝙ Christus ex horto primũ oĩm ad Annam ductus sit. Deinde statim missus sit ab Anna ad Caiapham anni illius Pontificem. Nam coram Anna nihil tractatum est, quod quidem literis sit mandatum. Itaque ductus est ad Annam, tantum ostentandi & quasi triumphandi gratia, ut quo magis eum per ora principum traducerent, eo maiorẽ uoluptatem ex captiuitate eius caperent. Testantur autem ueterum monumenta, ꝙ & hic Annas aliquando functus sit Pontificatu, & habuerit postea filium Pontificem, nomine Eleazarum. Sed & generũ Caiapham, quemadmodum hoc loco Ioannes scribit. Itaque cum Annę familia tam illustris fuerit Pontificia dignitate, mirandum non est, ꝙ Annas singularem uoluptatem ceperit ex captiuitate Christi, quem intelligebat abrogationem Leuitici Pontificatus meditari. De Caiapha autem & consilio eius supra capite undecimo copiose diximus. Quare accedemus nunc ad ea consideranda, quæ in aula Caiaphæ acta sunt. Ac initio de Petro. Sequebatur enim Iesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille notus erat Pontifici. Et introiuit cum Iesu in atrium Pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus ille alter, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiarię, & introduxit Petrum: Dixit ergo Petro ancilla ostiaria: Num & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum. Stabant autem serui & ministri, qui prunas congesserant, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat autem cum eis & Petrus stans, calefaciens se. Qui discipulus introducit Petrum in aulam Caiaphæ Pontificis, existimãt fuisse Ioannem hunc, qui Euangelion conscripsit. Primum igitur Petrus putat se magno beneficio affectum, quod in aulam principis introducatur. Sed euentus rei probat eum ad suam ipsius infamiam introductum esse. Imago hęc est euentus rerum non in aulis tantum principum, uerumetiam in quouis illustri uitę genere. Sunt enim, qui hoc solum agunt, ut uel ipsi in aulas principum recipiantur, & magnas dignitates cõsequantur, uel liberos suos ad hęc illustria uitę genera admoueant. Ac putant se fœlices, si facti fuerint uoti compotes. Sed tu ne erres. Vides hoc loco, quod ducere in aulam, sit ducere ad abnegandum Christum. Et in Euangelio, ducere ad diuitias, est ducere, & conijcere in spinas. Apud Paulum uero, est ducere in tentationem, in laqueum, in cupiditates multas, stultas ac noxias, quæ demergunt homines in exitium & interitum. Quare hoc nostrũ studium sit, non ut nos aut liberi nostri consequamur illustria uitæ genera, sed ut consequamur ueram agnitionem Christi, & operam demus, in eo uitæ genere siue illustri, siue obscuro, ad quod legitime uo

Ioseph. lib. 8. Antiquit.

cati ſumus, ueræ pietati. Magnus quæſtus eſt, inquit Paulus, pietas, cum animo ſua ſorte contento. Deinde Petrus, qui ante receperat ſe cum Chriſto commoriturum, & gladio in armatam cohortem incurrerat, tam imbecillis & meticuloſus redditur, ut ne coram ancilla quidem audeat Chriſtum confiteri, ſed abneget eum, & quaſi nihil mali deſignaſſet, ſecurus accedit ad prunas, ad quas & ſe una cum miniſtris Pontificum calefacit. In hoc Petri facto natura peccati manifeſte nobis ob oculos ponitur. Petrus enim, etſi horrendum peccatum deſignat abnegatione ſua, tamen initio non afficitur fœditate eius, ſed immiſcet ſe in turbam miniſtrorum ſecurus. Hęc eſt natura peccati. Cum deſignatur, quieſcit, & dormitat, perinde ac ſi nullam prorſus afferret infœlicitatem, nec eſſet Deus, qui ipſum iudicaret. Poſtquam autem Petrus audiuit cantum galli, de quo Chriſtus dixerat, tanta animi perturbatione concutitur propter peccatum, ut miſeriam ſuam obortis lacrymis defleat. Hoc eſt ingenium peccati, quod poſtquam iuditium eius reuelatum fuerit, conſicit peccatorem in flammas inferni. Sic initio quieſcebat in Adamo, cum perpetraretur. Poſtquam autem Adam audiuit uocem DOMINI, & agnouit magnitudinem peccati, non habet amplius quo ſe uertat. Sic & Cainum ſinebat eſſe ſecurum etiam cum iam fratrem occidiſſet. Dicebat enim Cain, magna animi ſecuritate: Nunquid ego ſum cuſtos fratris mei. Sed poſtquam reuelatur iuditium peccati, nec mente nec pedibus conſiſtere poteſt. Sic Saul ſecure pergebat in exercenda ſua tyrannide, ſed patefacta ira DOMINI, ſic animo ſuo perturbatur, ut ſibiipſi manum inferat, & mortem conſciſcat. Sic & Iudas cum proderet Chriſtum, tergit os ſuum dicens ſecum: Non operor malum. Poſtquam autem peccatum quaſi è ſomno euigilat, tantus horror inuadit eum, ut ad laqueum feſtinet. Etſi autem Petrus & alij pij reſipuerunt & conuerterunt ſe non ad gladios, non ad laqueos, poſt reuelationem peccati, ſed ad DOMINVM, tamen peccatum etiam in ipſis prodidit ingenium ſuum, quod initio quieſcat, poſtea uero excitatum furioſe inſaniat, & æternos inferni ignes minitetur. Quare ſumma cura cauendum eſt, ne ſi peccauerimus, ſecuram uitam agamus, & iuditium Dei contemnamus, ſed inueſtigemus maxima omnium ſollicitudine remedium aduerſus peccatum, ut furorem eius declinemus. Non poſſumus autem uſquam alibi remedium aduerſus peccatum inuenire, præterquam in uera pœnitentia, in qua, poſtquam peccatum agnouimus, proponitur nobis Chriſtus filius Dei, peccati expiator, qui fide acceptus, affert ſecum non ſolum abſolutionem a peccatis, uerumetiam ſpiritum ſanctum, qui peccati reliquias ex-

as expurgat & mortificat, ut præbeamus membra nostra serua iustitiæ, & sanctificemur ad accipiendam cœlestem hæreditatem per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LVII.

ETRVS secutus est Iesum captiuum, in atrium Caiaphæ Pontificis, sed statim in foribus ab ancilla ostiaria non admodum dure appellatus, negat se esse discipulum Iesu. Sequamur & nos narrationem harum rerum gestarum, non ut discamus ab negationem, sed potius confirmationem fidei nostræ. Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina ipsius. Hic mihi primum omnium uide exemplum præposteri Iudicis Caiaphas, (nam is hoc loco, nomine Pontificis intelligitur) non solum ante damnauerat Iesum, & iudicauerat eum tollendum de terra, uerumetiam effecerat, ut Iesus, missa cohorte ac ministris caperetur, nunc primum autem inquirit de crimine, quid Iesus mali designauerit, aut docuerit. An non hoc perinde est, ac si quis iudex hominem suspendio dignum pronuntiet, postquam autem is tres aut quatuor dies pependisset, tum primum iudex inquirat, num is qui pendet, furtum, aut aliud scelus ultimo supplitio dignum fecerit? Quis tam peruersam iudicij rationem non improbaret? Sed Pontifex hac sua interrogatione de discipulis & doctrina Iesu, etiam aliò spectat. Sic enim interrogat, ut significet, se sentire, quòd Iesus occulte doceat impietatem, & meditetur seditionem, & clam congreget ad se discipulos, ut cum satis uirium collegerit, incipiat publice uirus suum euomere, & tam religionem quàm politeian turbare. Cum enim impia doctrina sit mendax, fugit lucem, nec patitur se legitime iudicari. Itaque inter Ethnicos alij non ferebant, ut doctrina religionis eorum literis mandaretur, alij etsi literis mandata erat, tamen non patiebantur, ut uulgaretur, alij non initiabant sacris suis quenquam, nisi ante confiteretur, quod in omni uita sua sceleratissimum fecisset, uidelicet, ut initiatos obnoxios haberent, ne impietatē ipsorū in publicum efferrēt. Nouit ēm Satan, ꝙ facies sua fœdior ac turpior sit, ꝙ quæ reuelata, & in

luce conſpecta non deſpitiatur. Quare in hoc ſtudium incumbit, ut honeſta ſpecie occultetur. Vnde & Caiaphas interrogando Ieſum de diſcipulis & doctrina ſignificare uult, doctrinam eius eſſe clandeſtinam, & fugere lucem, ideoq; referendam eſſe inter impias doctrinas Ethnicorum, aut hæreticorum & ſeditioſorum. Sed Chriſtus grauiſſime negat ſe quicquam clam docuiſſe. Reſpondit ei Ieſus. Ego palam locutus ſum mundo. Ego ſemper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus ſum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt, quid locutus ſim ipſis: Ecce hi ſciunt, quæ dixerim ego. Obſerua, quàm diligenter aſſerat Chriſtus doctrinam ſuam publicam eſſe. Ego, inquiens, locutus ſum PALAM. Et locutus ſum MVNDO, non paucis quibuſdam hominibus, ſed omnibus in mundo hominibus, ſiue Iudæis ſiue Ethnicis, quotquot meas cõtiones audire uoluerunt. Et docui in SYNAGOGA, qui locus publice deputatus eſt ad docendum. Docui etiam in TEMPLO, quo omnes Iudæi conuenire ſolent. Ac breuiter, in occulto nihil ſum contionatus. Etſi enim aliquoties priuatim collocutus ſum cum paucis meis diſcipulis, tamen adeo non pudet meæ doctrinæ, ut ſeueriter mandauerim meis diſcipulis, ut quod dixi in tenebris, dicant ipſi in luce, & quod in aurem audierunt, prędicent ipſi in tectis. Quare nemo poteſt me uere arguere clandeſtinæ doctrinę. Multum autem prodeſt, ut conſideremus doctrinam Ieſu Chriſti eſſe publice uulgatam, ne uidelicet referatur in ordinem Ethnicorum myſteriorum. Ac primum Chriſtus ipſe, quemadmodum hoc loco fatetur, docuit Euangelion ſuum publice in Synagogis & in templo. Deinde iuſſit Apoſtolos ſuos Euangelion docere publice inter omnes gentes. Ite, inquiens, prædicate Euangelion omni creaturę. Præterea, contulit in Apoſtolos donum linguarum, ut Euangelion omnibus linguis adnuntietur. Nec ulla eſt doctrina, quę pluribus linguis uulgata eſt, quàm Euangelion Chriſti. Accedit & hoc, quòd cum doctrina Euangelij propoſita fuerit omnibus gentibus, uenit etiam in omnium gentium iuditium, & quanquam maxima pars Iudæorum & gentium perſequebatur eam, & ſeueriſſime de ea iudicabant, tamen eluctata eſt, & conſtitit inter tam uaria & moroſiſſima hominum iuditia, & aduerſa firmiſſime. Nam ſi hæc doctrina mendax eſſet, tunc aut odiſſet lucem, aut in lucem producta, euanuiſſet. Nunc autem perſecutione magis illuſtrata eſt, quàm obſcurata. Quare dubium non eſt, quin & hoc argumento conſtet eam eſſe certiſſimam ac uere diuinam ueritatem. Sed hoc fortaſſis mirandum uideť, cp Chriſtus de doctrina interrogatus, prouocet ad teſtes.

Quid

Quid me, inquiens, interrogas? Interroga eos, qui me audierunt. Et tamen non ignoret, quanta sit non tantum impiorum Iudæorum, uerumetiam suorum discipulorum uarietas & inconstantia. Alij enim inter discipulos erant defectores, alij negatores, alij etiam proditores. In reliqua turba, alij erant calumniatores, sicut postea testes manifeste falsi, & dicta Christi deprauantes producuntur, alij mussitatores, qui præ metu non audebant ueritatem confiteri. Quid plura? Omnis homo mendax. Quid igitur sibi uult Christus, q̃ hoc loco ad testimonia hominum prouocet? Christus hac prouocatione non uult significare, se confidere humano testimonio, nec hoc agit, ut doctrinam suam subijciat hominum autoritati, Sed arguit Pontificem præposteri iudicij, & admonet eum sui offitij. Iudicis enim est, ut manifestum crimen obijciat reo, & si negauerit, testibus probet. Nunc autem Caiaphas nec crimen aliquod manifeste obijcit Christo, nec producit testes. Quare meretur reprehensionem, & iure admonetur de suo offitio. Nam quod ad partes litigantes attinet, etsi utendum est testimonijs hominum, & secundum ea, si legitima fuerint, in politicis controuersijs, iudicandum, tamen ut nec causſæ bonitate, nec iudicis æquitate, ita nec testium dictis sic confidendum est, ut certissimam tibi uictoriam pollicearis. Fieri enim potest, ut uel iudex non sit satis attentus, aut non satis intelligat causſam, uel testes aliter rem, aut metu, aut imprudentia, aut malitia, aut alio affectu narrent, q̃ gesta fuerit. Soli Deo fidendum est, cuius solius beneficio, uictoria in iudicijs, ut etiam in bellis, cõtingit. Itaque si in causſa iusta uictoriam reportaueris, agnoscenda est diuina clementia, & agendæ sunt Deo gratiæ. Ni si enim ante parata tibi fuisset uictoria in cœlo, non potuisses eam in terris consequi. Si uero iusta & bona causſa cecideris, non grassandum est uirulentis conuitijs in homines, uel iudicem uel testes, sed quo animo ferenda est manus DOMINI, qui suas habet rationes, cur conniueat, ut non solum in iudicijs succumbamus, sed etiam multis alijs calamitatibus affligamur. Qualescunque autem habeat rationes, certe si in Christum credimus, omnia aduersa, quæcunque nobis immittuntur, bona Dei uoluntate immittuntur, & sunt nobis adiumento in bonum. Sed pergamus in nostro proposito. Hæc cum dixisset, unus assistens ministrorum, dedit alapam Iesu, dicens. Sic cine respondes Pontifici? Magna est impudentia & insignis crudelitas huius serui. Primum enim percutit palam, hominem innocentem, deinde percutit eum, iniussus. Postremo percutit uinctum. Miserat enim, ut Euangelista mox scribit, Annas Iesum uinctum ad Caiapham. Itaque seruus percutit eum sic ut stabat, uinctum, quam cru-

delitatem etiam impijſſimi deteſtari ſolent. Militaris quidem mos eſt, ſemel & iterum percutere eum, quem apprehenderis, ut capias. Percutere autem eum, quem iam ceperis, & uinxeris, & qui non conatur uincula uiolenter excutere, hoc demum etiam ab ipſo militiæ iure alienum putatur. Sed quod Chriſtus caput noſtrum ſua perſona hic paſſus eſt, hoc idem patiť adhuc in membris, & in miniſtris ſuis. Sunt eñ, qui ut captent beneuolentiã principum & epiſcoporũ, quos uident magno odio uerum Euangelion Chriſti perſequi, congerunt uirulenta quæq; conuitia & maledicta in miniſtros Euangelij, ſic ſatis miſeros, & alioqui etiam omnium iniuriæ expoſitos. Quę conuitia inferunt honeſtis animis longe acerbiorem dolorem, q̃ externæ alapę. Sed ęquo animo feramus, Hę enim conuitiorum alapæ, pertingunt uſque ad Chriſtum dominum noſtrum, & ſunt in ipſo ſanctificatæ, ut non ſolum non queant nos lædere, uerumetiam neceſſe habeant nobis illuſtrem coram Deo gloriam afferre. Sed audiamus Chriſtum ipſum crudeli ſeruo reſpondentem. Dixit ei Ieſus: Si male locutus ſum, teſtificare de malo, ſin bene cur me cedis? Et miſerat eum Annas uinctum ad Caiapham pontificem. Quid ergo ad hæc dicemus? Num Chriſtus impatienter fert alapam, q̃ ſeruũ tam ſeueriter cõpellet? Et cur percuſſus in unã maxillam, non obuertit alterã? De hac re, etſi periculoſe in uaria hominum turba docetur, propterea q̃ homines natura ſint impatientes illatę iniurię, & ſolent quoquomodo poſſunt, carnalis ſuę uindictę prętextum, ac illicitarum ſuarum litium excuſationem quærere, tamen pia doctrina non eſt propter impiorum hominũ abuſum omittenda. Quare quod Chriſtus alias docuit: Ne reſiſtatis malo, ſed quiſquis impegerit alapam in dextram tuam maxillam, obuerte illi & alteram, & ei qui te uelit in ius trahere, ac tunicã tuam tollere, permitte illi & pallium, non habet hanc ſententiam, quòd Chriſtus iubeat ſuos in quauis illata iniuria truncos & ſtipites eſſe, ac ne reſpondere quidem, aut conqueri de iniuria uelit, Sed prohibet, ne malum rependes malo, neue iniuriam iniuria compenſes, ac exigit, ut potius nouam & maiorem iniuriam æquo animo feras, quàm ut priorem tibi illatam illegitime uindices: Si quis impegerit, inquiens, alapam in dextram tuam maxillam, tantum abſit, ut hoc malum altero malo ulciſcaris, ut potius ſuſtineas iterum percuti, quàm malum malo rependere. Et ei qui uelit tibi tunicam tuam tollere, tantum abſit, ut malum inferas, ut potius permittas etiam pallium auferri, quàm peccatum peccato uindices. Exigamus igitur nunc factum Chriſti ad hanc regulam. Percuſſus enim, quid mali retulit? Potuiſſet percuſſorem cõuitijs proſcindere, potuiſſet efficere, ut manus

eius

eius areſceret, potuiſſet fulmen in eum torquere. Sed maũult non alteram tantum maxillam, uerumetiam totum corpus percutiendũ & crucifigendũ offerre, quàm ſeipſum priuata uindicta ulciſci, & aliquid contra uocationem ſuam agendum ſuſcipere. Quid ergo facit? id nimirum, quod licet. Ductus eſt ad iudicem, & ſtat ibi coram iudice uinctus. Percuſſus igitur, & iniuria affectus prouocat ad ius, & petit iudicis defenſionem. Si male, inquiens, locutus ſum, teſtificare de malo. Sin bene, cur me cedis? Sto nunc in iuditio, in quo licet reo ea quæ neceſſaria ſuę cauſſę uidentur, exponere. Quare ſi male ea expoſui, oſtende, proba. Si autem bene, non ſum percutiendus, ſed defendendus. Licet autem legitima defenſione uti. Cum magiſtratus ordinatus ſit diuinitus bonis in bonum, cur boni iniuria affecti opem eius non implorarent? aut legum beneficijs non uterentur? certe qui ijs legitime utuntur, non rependunt malum malo, ſed potius uincunt malum bono. Sectemur igitur hoc exemplum Chriſti, & iniuria affecti omnem mali retaliationem, & priuatam uindictam ita fugiamus, ut parati ſimus maiorem iniuriam ferre, ꝙ̃ priorem peccato aduerſus deum uindicare. Quod cum ita ſe habet, accedamus nunc ad commemorandas reliquas Petri negationes. Stabat autem Simon Petrus, & calefaciebat ſe. Dixerũt ergo ei: Num & tu ex diſcipulis eius es? Negauit ille, et dixit: Nõ ſum: Dicit & unus ex ſeruis põtificis, cognatus eius, cuius abſciderat Petrus auriculam: Nonne ego te uidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit Petrus, & ſtatim gallus cecinit. Deſcribunt & alij Euangeliſtæ caſum Petri diligenter & copioſe. Id autem non faciunt humano conſilio. Non enim delectantur carnaliter diuulgatione tam horrendi caſus collegę ſui, ſed quod faciunt, diuino faciunt conſilio, uidelicet, ut uulgent exemplum, quod Deus uoluit uniuerſę Eccleſiæ notum peruulgatumq; eſſe. Primum enim in Petro proponitur cognoſcenda humana infirmitas, in grauibus tentationibus. Petrus enim erat uir, natura, fortis & magni acriſq; animi, id quod declarant primariæ illæ reſponſiones eius, in interrogationibus Chriſti, & incurſio eius in armatam cohortem. Adhęc, poſtquam agnouit Euangelion Chriſti, acceſſit fortitudo ſpiritus ſancti. Caro, inquit Chriſtus, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui eſt in cœlis. Quod autem pater reuelat, ſpiritu ſancto reuelat. Itaque Petrus munitus erat duplici fortitudine, naturali uidelicet, & ſpirituali. Sed conſidera mihi, quàm ſit imbecillis, in tentatione ſibijpſi relictus. Non poteſt eum naturalis animi fortitudo ita iuuare, ut coram ancilla cõſtet, & confiteat Chriſtum. Spiritus aũt ſanctus quieſcit interim, imo etiã expellitur, ut manifeſtũ fiat, quales ſint naturę uires in tentationibus. Quid ergo in piculis & tẽtationib, faciendu? Non confida

mus nostris uiribus, sed agnoscamus nostram imbecillitatem, & faci amus, quod Christus monuit: Vigilate, inquiens, & orate, ne intre tis in tentationes. Spiritus enim promptus est, caro autem infirma. Vult Christus, ut in periculis non stertamus securi, sed ut expergisca mur, & nostram uocationem capessamus. Vult, ut in periculis non si mus inflati fiducia nostrarum uirium, sed petamus uires cœlestes, si ne quibus nulla humana potentia constare potest. Nihil em̃ infirmi us est carne sibi relicta. Omnis caro, inquit Propheta, fœnum, & om nis gloria eius, quasi flos agri. Quare, petenda est firmitas & con stantia è cœlo. Deinde, proponitur uniuersæ Ecclesiæ in Petro, ex emplum pœnitentię. Etenim Petrus sic munitus erat diuino spiritu, ut Satan nō potuisset eum tam horribiliter deijcere, nisi hoc ipsi diui nitus cōcessum fuisset. Sic em̃ Christus significat, cum ait ad Petrum, Simon, Simon, Satan expetiuit uos, ut cribraret sicut triticum. Non expetiuisset autem Satan incursionem in Petrum, & expugnationem, sed ipse in eum, sine ulla mora, & expetitione grassatus esset, nisi ui disset ipsum sic diuinitus munitū, ut nō potuisset ei locus inuadendi eum, nedum expugnandi. Sic Satan non potuit sæuire in Iobem, nisi ante potestate à Deo accepta. Sic non potuisset Dauidem, regem & Prophetam spiritu sancto optime munitum, in horrenda illa scelera adulterij & homicidij impellere, nisi Deus conniuisset. Deus aũt nō conniuisset ad tantam Satanæ tyrannidem, nec concessisset ei, ut sic in sanctos grassaretur, nisi uoluisset his sanctorum casibus magnum benefitium in uniuersam suam Ecclesiam conferre. Ac ante quidem commemorauimus unum benefitij genus, uidelicet, ꝙ conniuerit ad lapsus sanctorum, ut in imbecillitatibus eorum, agnoscamus & no stram ipsorum imbecillitatem. Alterum autem benefitij genus est, ut in sanctorum pœnitentia, habeamus exemplum pœnitentiæ, & ad ueram pœnitentiam excitemur. Nam quod ad Petrum attinet, desig nauit hac abnegatione scelus longe omnium maximum. Non enim simpliciter negauit Christum, sed iurauit etiam & execratus est seip sum, si nosset eum. Itaque abiecit à se Christum, sciens & prudens, ac amisit spiritum sanctum, tradiditq; seipse captiuum Satanæ. Quid hoc scelere maius aut dici aut cogitari potest? Non inuenies in toto orbe terrarum hominem, qui horribilius Deum abnegauerit, q̃ Pe trus Christum filium Dei abnegauit. Et tamen, cum reuerteretur ad Christum, & ageret pœnitentiam, non solum consecutus est peccati ueniam, uerumetiam restitutus est suo ministerio, & ornatus ampliss simis donis spiritus sancti. Etsi enim Petrus abiecit Christum, Chri stus tamen non abiecit Petrum. Ego rogaui, inquit, pro te, ne defici at fides tua, hoc est, Tu quidem defities à me, ego autem non defici

am

am à te. Oro enim Deum patrem meum, ut pateat tibi iterum receptus ad ueram fidem, sed quam ob causſam? Christus non abiecit Petrum, sed orauit potius pro eo ut resipiſceret? Num hoc factū est, Petri tantum nomine? nihil certe minus, sed factum est propter uniuersam Ecclesiam, ut haberet in Petro exemplum pœnitentiæ. Sic enim addit Christus: Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos, hoc est, Tuum exemplum confirmet Ecclesiam, ut sciat, ꝙ etiamsi quispiam grauissime peccauerit, tamen si conuertitur & resipiscit, pateat ei peccati uenia. Sic & Iob euomuit horrendas blasphemias aduersus deum. Et tamen, cum ageret pœnitentiam, consecutus est ueniam. Sic & Dauid peccauit grauissime, sed conuersus, & pœnitentiam agens receptus est in gratiam. Quid dicam de Paulo? Etsi enim initio non agnouit Christum, tamen erat in populo Dei, & habebat zelum Dei. Peccauit autem tam horribiliter, ut compulerit homines blasphemare, & tradiderit pios propter confessionem Christi trucidandos, nihil ominus tamen, cum conuerteretur & ageret pœnitentiam, recepit eū Deus in gratiam. Dicit enim Hieremias. Vulgo dicitur: Si dimiserit uir uxorem suam, & recedens ab eo, duxerit uirum alterum, numquid reuertetur ad eum ultra? Numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autē fornicata es, cum amatoribus multis. Tamen reuertere ad me, dicit DOMINVS, & ego suscipiam te. Et iterum: Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui ut facerem ei. Et Dauid hortatur suo exemplo, ut conuertamur ad Deum, & resipiscamus. Exquisiui, inquiens, DOMINVM, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus eripuit me. Accedite ad eum, & illuminabimini, & facies uestræ non confundentur. Ecce iste pauper clamauit, et dominus exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus eius saluauit eum. Idem & Paulus docet: Certus, inquiens, sermo, & dignus, quem modis omnibus amplectamur, quod Iesus Christus uenit in mundū, ut peccatores saluos faceret, quorum primus sum ego. Verum ideo misericordiam sum adeptus, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem clementiam ad exprimendum exemplar his, qui crediturі essent in ipso in uitam æternam. Vides, Deum conniuisse ad horribiles casus præcipuorum in Ecclesia heroum, & postea conuersos recepisse in gratiā, ut his exemplis omnes homines ad conuersionem excitarentur, & pœnitentiam agerent, ac ueram uitam consequerentur: Viuo ego, dicit DOMINVS, nolo mortem impĳ, sed magis ut conuertatur & uiuat. Obseruabile est & commemoratione dignum, quod Ecclesiastici scriptores de sancto Martino testantur. Hic enim ut noīe uocabatur Episcopus, ita etiam uere fungebat officio episco-

pi. Nam cum eos, qui lapsi quidem essent in grauissima crimina, pœnitentiam aũt agerent, ac peterent peccatorũ ueniam, per Iesum Christum seruatorem nostrum, pronuntiaret publica absolutione liberos coram Deo à peccatis. Satan seueriter reprehendit ipsum, non oportere, inquiens eos à peccatis absoluere, qui sceleribus suis baptismum commaculassent, ac amisissent. Neqꝫ enim fieri posse, ut sic grauissime lapsis ulla præstetur à DOMINO clementia. Hic ergo Martinus, ut erat uir magno spiritu præditus, aduersus Satanam exclamauit. Si tuipse, inquiens, execrande spiritus, ab hominum infestatione desisteres, & te factorum tuorum uel hoc tempore, cum dies iudiciꝫ in propinquo est, pœniteret, ac Iesum Christum etiam pro te passum crederes, ego confisus in DOMINO, pollicerer tibi clementiã Christi. Vnde autem Martinus hanc fidutiam hausit? non certe ex humanis coniecturis, aut constitutionibus, sed ex ipso Euangelio Christi, adeoqꝫ ex ipsis Petri & Pauli exemplis. Vidit Petrum grauissime lapsum. Vidit & Paulum crudelissime persecutum esse Ecclesiã Christi, & tamen uidit ambos, postꝫ conuersi fuerũt ad DOMINVM, consecutos ueniam, & receptos in gratiam. Etsi enim aut damnasti, aut crucifixisti, aut abiecisti, seu abnegatione, seu aliꝭ peccatis Christum, Christus tamen te non abiecit, si modo reuertaris. Reuertere tantum, & Christus paratus est te recipere. Nam, quod Christus aliàs dicit, Peccatum in spiritum sanctum non remitti nec in præsenti nec in futuro seculo, non hoc uult, qꝫ sit aliquod peccatum, pro quo ipse non satisfecerit, & cuius ueniam consequi non possit is, qui agit pœnitentiam, & uere credit in Christum. Ipse, inquit Ioannes, est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Et Paulus: Idem DOMINVS, inquit, omnium dives est in OMNES inuocantes se. QVISQVIS enim inuocauerit nomen DOMINI, saluus erit. Quare Christus nequaquam docet aliquod esse peccatum, quod non remittatur, etiamsi quis conuertatur, & agat ueram pœnitentiam, Sed tantum confert inter sese genera peccatorũ, ut ostendat alia esse leuiora, quæ uidelicet habent quandã excusationẽ, alia aũt esse grauiora, quæ nullam prorsus habent nec corã deo nec corã hoibus excusationẽ, & quorꝫ iniqtas aut impietas manifestior ac magis perspicua est, qꝫ quę possit negari, aut ullo colore defendi. Interim aũt tanta non est, ut non condonetur a Deo, si conuersus egeris ueram pœnitentiam, quemadmodũ aliàs copiose expossuimus. Quare nihil nos iam amplius remoretur, quin statim expergiscamur ad agendam pœnitentiam oĩm delictorum nostrorum, ut remissionẽ eorum accipiamus per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMI-

HOMILIA LVIII.

TSI in historia passionis Christi commemorari solet post negationem Petri, quid de Christo in Concilio pontificum, quid item de Iuda, postq̃ uidit Christū à Concilio condemnatum, actum sit, tamen quia suscepimus nunc tantum Euangelistam Ioannem interpretandum, persequamur, omissis alijs, ea quæ Ioannes post negationem Petri describit. Ducunt ergo Iesum, (inquit) à Caiapha in prætorium. Erat autem mane, & ipsi non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, sed ut ederant pascha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? Pilati nomen inter Christianos tam ex ipsa passionis Christi historia, q̃ è Symbolo religionis nostræ bene nobile est. Fuit autem Pilatus, religione Ethnicus, offitio & dignitate præses Iudææ, qui a Romano Cęsare, ad gubernandam Iudæam ordinatus erat. Ac fuit multis & magnis uirtutibus ornatus. Sed quia non habuit ueram Dei cognitionem, & caruit summa omnium uirtute, quæ est fides in Christum, non fuit Deo propter politicas suas uirtutes acceptus. De qua re postea. Euangelistę autem descripserunt magna diligentia, ea quæ de Christo coram Pilato acta sunt, id quod non est sine singulari spiritus sancti consilio factum. Vidit enim spiritus futurum, quas calumnias congesturi essent in Iesum Christum, tam Iudęi q̃ Ethnici, ut eum inuisum & odiosum redderent. Nam ueteres Iudæi tradunt Iesum quendam, qui fuit tempore Hircani filij Simonis Maccabęi, horrenda scelera designasse. Ea iuniores referunt in Iesum DOMINVM nostrū Christum. Iulianus aūt Imperator, iussit odio Christianæ religionis, libellum quendā, cui titulus erat, Acta Pilati, & in quo maxima scelera de Christo cōficta continebant, uulgari, ac etiā pueris in schola discendū proponi. Hęc pręuidens futura spiritus sanctus, excitauit Euangelistas, ut quæ coram Pilato de Christo acta sunt, diligētissime literis mandarent, quo non solum tempus ipsum uitę & conuersationis Iesu Christi in hoc mundo, nomine Pilati, notaretur, & uanitas Iudæorum, transferentiū scelera Hircanici sui Iesu, in nostrum Iesum Christum perspicua fieret, sed etiam impudentissima Ethnicorum mendatia manifestis testimonijs refutarentur: Quare amplectamur hęc Euangelistarum scripta magna obseruantia, ut aduersus uirulentas impiorum calumnias probe muniti simus. Porro, Iudęi, qui adduxerunt Iesum a Concilio ad Pilatum, non introeūt

in prætoriũ, uidelicet ne immundi redderent cõtagione domus Ethnici, sed ut mundi & puri uescerentur agno paschali. Vide mihi, quæso te, pręposteram ludęorum iustitiã. Non introeunt in domum Ethnici, ne fiant immundi. Interim autem non metuunt sibi ab immunditia, etiamsi odio, inuidia, conuitijs, contumelijs, & homicidio grassentur in hominem innocentem. Talis est etiam iustitia hypocritarum Papistarum, & Monachorum. Hi metuunt, ne contaminent esu carnis in feria sexta, aut gestatione uulgaris uestitus, aut intermissione horarum beatæ Mariæ uirginis. Quod autem ardeant magno odio aduersus proximum, & elatissimo sint animo, quòd furentur, prędentur, scortentur, uirgines uitient, adulteria designent, & multa alia horrenda scelera faciant, hic nullius aut paruus admodum metus est contaminationis. Quæ est ista uanissima hypocrisis, aut potius insania? At dicunt: An non melius est, uel saltem parum boni facere, & omnino nihil? An non utilius est, si quis omnino sectari uoluerit aut rapinas aut scorta, ut abstineat aliquot diebus ab esu carnium, & ut nec a carnibus, nec a rapinis & scortis abstineat? Non iam sermo nobis est de eo bono opere, quod ex mandato DOMINI facere debemus. Tale enim opus faciendum, quiuis quouis tempore suscipere debet. Sed loquimur de eo bono opere, qđ per se indifferens est, collocatur autem humanis constitutionibus in bonorum operum genere, qualia innumera sunt in religione papistica & monastica. De tali bonorum operum genere sentiendum est, quòd multo utilius sit ea prorsus intermittere, & unà cum sceleribus facere. Primum enim, opus quod ad colendum Deum, non ex uerbo DOMINI, sed ex humanis mandatis & constitutionibus suscipitur, non meretur nomen boni operis, aut diuini cultus, sed reijcitur a Deo. Dicit enim Christus ex Esaia: Frustra me colunt, docentes doctrinas, pręcepta hominum. Et in Esaia capite primo, damnantur etiam sacrificia, & ieiunia, & celebrationes dierum festorum, quę ab impœnitentibus peragebantur. Ne offeratis, inquit, ultra sacrificium frustra: Incensum abominatio est mihi Neomeniam & sabbatum, & festiuitates alias non feram. Et additur caussa: Quia manus uestrę sanguine plenæ sunt. Et tamen hæc instituta erant diuina lege, quanto magis abominatio sunt corã Deo ea opera, quę humana tantum constitutione Deo pro cultu ab impœnitentibus, & scelera sua pręfracte sectantibus obtruduntur. Deinde tale genus bonorum operum pugnat cum diuina lege hoc ipso, quòd huius offitium sit, hominem in agnitionem peccati ducere, & reuelare ei magnitudinem iniquitatis, illa autem sunt opercula iniquitatis, & fiunt ad occultanda & tegenda peccata. Quæ autem posset esse

eius

eius operis utilitas, quod cum offitio diuinæ legis pugnat? Præterea, hoc genus bonorum operum, quod ex humanis mandatis instituitur, solet ferre non tantum ad occultanda coram hominibus, sed etiam ad expianda coram Deo peccata suscipi. Hęc est impia idolatria, & pugnat cum Christo ipso ac uero eius offitio. Solum enim opus Christi, solum sacrifitium Christi expiant peccata nostra coram Deo. Cum igitur expiatio peccatorum transfertur in opus humano mandato institutum, peccatur in maiestatẽ Christi. Quod cum sit horribile scelus, fieri non potest, ut aliqua sit utilitas eius operis, quod tam cum offitio diuinæ legis, q̃ cum offitio Christi & Euangelij eius pugnat. Sed reuertamur ad Pilatum, qui etsi Ethnicus & alienus fuit à uero & uiuo Deo, tamen maiores habuit uirtutes, q̃ hi crudeles Iudæi, qui se populum Dei iactabant. Cum igitur Iudæi nollent introire in prætorium, Pilatus exiuit ad eos foras. Hæc est magna uirtus moderationis. Potuisset Pilatus suo iure uti, & cogere Iudęos, ut ad se in prætorium introirent. Sed quia uidet gentem esse pernicacissimam & obstinatissimam, & intelligit summam ius summam sæpe esse iniuriam, ideo mauult suo iuri cedere, & ad Iudęos, quasi ipsorũ subditus, exire, q̃ autoritatem suam in re non admodum necessaria tueri. Obseruabilis uirtus tam magistratui q̃ priuatis hominibus. Vulgo dicunt: Qui nescit dissimulare, nescit imperare, imo nescit etiam seruire, adeoque uitam inter homines ducere. Quid enim humana uita aliud est, q̃ error & confusio? Quare, qui in hac confusione omnia in suum ordinẽ uiolenter redigere conatur, fieri non potest, quin maiorem excitet rerum perturbationem. Si Roboam filius Salamonis non tutatus esset duriter ius suum, conseruasset totum regnum paternum. Nunc, cũ maluit pertinax esse, q̃ mitis, quantum, obsecro, damnum dedit & sibi & regno? Si Ahab rex Israel remisisset ius suum, quod uidebatur sibi de Ramoth Gilead habere, non obiecisset se & exercitum suum extremis periculis. Demittamus igitur nos ad aliorum infirmitates, & portemus inuicem alij aliorum onera, ut tam publicam quàm priuatam tranquillitatem conseruemus. Sequitur in Pilato etiam alia uirtus. Quam, inquit, accusationem affertis aduersus hominem hunc? Non uult sententiam pronũtiare, aut reum condemnare, nisi ante cognita perspectaque caussa. Hoc enim offitium exigunt à iudice omnes leges, tam naturales, quàm politicæ. Sed Iudæi tam scelerati sunt, ut ad iuuandum hac in parte offitium boni iudicis, operam suam conferre prorsus recusent. Responderunt enim, & dixerunt ei: Si non esset hic nocens, haudquaquam tradidissemus eum. Vide iniquissimam horum nebulonum arrogantiam. Damnauerant antea Iesum,

in suo Concilio, ut ipsis quidem uidebatur, legitime, auditis etiam testibus. Nunc autem, cum ciuilis magistratus exigit ab ipsis pro suo officio rationem huius iuditij aut condemnationis, tam superbe, tanque arroganter respondent ei, ut palam significent se exigere, ut magistratus non solum deserat suum officiū, & causſa nondum perspecta, reum condemnet, uerumetiam agnoscat sententiam ipsorum nondum ne auditam quidem pro oraculo spiritus sancti, quasi ipsi errare aut labi non queant. Quid hac postulatione impudentius? Sed quemadmodum Romani Pontifices gloriantur se successores & hæredes Leuitici Pontificatus, ita etiam hæredes sunt impudentię Leuiticorum Pontificum. Cum enim in controuersijs religionis prouocatur ad legitimam pij Concilij cognitionem, postulant Romani Pontifices, ut non solum ipsi cum suo corpore habeantur pro iudicibus, uerumetiam ut priusquam sententiam dixerint, promittamus nos eam pro oraculo spiritus sancti accepturos, & obligemus nos obediēter agnituros, quicqd ipsi in Concilio decreuerint ac statuerint. Dicunt enim, Concilium errare non posse. Et putāt Concilium Ecclesiasticum, tale quid esse, quale est in Romano regno Iuditium, quod uocant, Cameræ. Sicut enim nulli conceditur, ut ab huius Iuditij sententia ad aliud appellet, quòd sit summum & extremum in Romano imperio Iudicium, ita sentiunt nō licere sententiam Concilij detrectare, quòd in Ecclesia non sit alia maior Concilio autoritas. Sed ut postulatio Pontificum est impudentissima, ita etiam rationes eorum sunt uanissimæ. Nam quod de Concilijs dicunt, ea non posse errare, perspicuum est mendatium. Vide mihi hoc Concilium, in quo Pontifices & sacerdotes capto iam Christo conueniunt. In hoc enim damnāt Christum ipsum. An non hic est error impijssimus? Hoc, inquis, Iudaicū fuit Concilium, non Christianum legitime, ut illi loquuntur, in spiritu sancto congregatum. Sed hi Pontifices non minus summum locum in Ecclesia populi Dei tenebant, quàm nunc tenere uidentur Romani Pontifices. Et iactabant etiam diuinas promissiones, ac mandata. Ad Abrahamum dicit Deus: Statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus & seminis tui post te. In Deuteronomio autem de sententia Pontificum dicitur: Qui superbuerit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat DOMINO Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel. An non his promissionibus & mandatis autoritas Leuiticorum

rorum Pontificum, grauissime munita uidetur? Et tamen in Concilio suo impijssime errant. Sed quid? Certe multi & magni errores extant, etiam eorum Conciliorum, quæ in Christianismo celebrata sunt, de quibus nunc non est dicendi locus. Nam quod de Iuditio Cameræ obijcitur, magnum est discrimen inter Iuditia politica & Ecclesiastica. Nam in Politicis Iuditijs agitur de rebus & opibus terrenis, in quibus uera nostra salus sita non est. Quare etsi hę iniqua iudicum sententia auferuntur, non tamen aufertur nobis salus cœlestis, ideoque extremæ sententiæ summorum Iudiciorum in Politicis regnis, quamuis iniquæ, tolerandæ sunt propter publicam tranquillitatem æquo animo. In Iuditijs autem Ecclesiasticis tractatur de uerbo DOMINI, & de rebus ad perpetuam nostram salutem necessarijs. In his, si quid impie decernitur, & agnoscitur, damnum est irrecuperabile, & affert perpetuum exitium. Accedit & hoc, quòd in religione necesse habeat unusquisque priuatus esse in uarijs doctrinis, quæ circumferuntur, iudex, ut ueram doctrinam certo cognoscat, eamque etiam coram Satana defendat, quo in tentationibus mortis ac inferni constare possit. Dicit enim Christus ipse: Cauete à pseudoprophetis. Cognoscendi igitur sunt pseudoprophetæ, ut caueantur. Non cognoscuntur autem, nisi cognito ante uerbo Dei, quod nobis sacra scriptura proponit. Et Paulus ait: Si nos aut angelus è cœlo prędicauerit uobis Euangelion pręter id, quod prædicauimus uobis, anathema sit. Quare, etsi omnes assessores Concilij essent, Basilij, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Hilarij, & id genus alij, tamen nullus pius posset bona conscientia se sententię Concilij, ita subijcere, ut simpliciter se recepturum promitteret, quicquid ibi decretum aut constitutum esset, sed cum probandi sint spiritus, num sint ex Deo, & spiritus Prophetarum, ut Paulus ait, sint subiecti Prophetis, ideo etiam Concilij sententia subiecta esse debet piorum iuditio, & probanda, an sit ex Deo. Sed hæc fortassis παέργα sunt. Redeamus igitur ad ad institutum. Pilatus reijcit arrogantiam & contumatiam Pontificum. Et dicit eis: Accipite eum uos, & secundum legem uestram iudicate eum. Prudenter sane Pilatus, quod non tradit se captiuum iuditio Pontificum, sed potius irridet uanum ipsorum tumorem, ac multo prudentior est Pilatus his principibus, qui sine ulla exceptione subijciunt se Pontificum & sacrificulorum libidini, accepturi & credituri, quicquid illi in Concilijs suis accipiendum & credendum pronũtiauerint. Dixerunt ergo & Iudęi. Nobis non licet interfi-

„ cere quenquam, ut sermo Iesu impleretur, quem dixit significans, quâ
„ morte esset moriturus. Hæc uox & confessio Iudæorum, non est osci
tanter consideranda, quemadmodum Ioannes ipse monet. Primum enim hac publica uoce reiiciunt Iudæi à se Christum, & tradunt eum Ethnico iudici interfitiendum. De hoc enim Christus ante contionatus fuerat. Ecce, inquiens, conscendimus Hierosolymã, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum. Cum igitur Iudæi clamant nunc publice, quòd non liceat ipsis quenquam interficere, sed quòd tradant Iesum morte in concilio condemnatum, Pilato interfitiendum, impletur sermo Iesu, quo significauit, se gentibus tradendum, & crucifigendum. Deinde hæc confessio Iudæorum, ꝙ non liceat ipsis quenq; interficere, publicum testimonium est, hoc ipsum tempus esse, quo Christus aduenerit. Patriarcha enim Iacob, dixit: Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec ueniat Silo, hoc est, Messias saluator. Nunc autem Iudæi confitentur publice coram Pilato, ꝙ sceptrum supremæ dominationis ablatum sit ab ipsis, & quanquam in rebus minoribus, & in religione permittebantur suis uti legibus, tamen suprema potestas seu superioritas penes Romanos præsides erat. Quare confitentur sua ipsorum uoce, Messiam seu Christum ad uenisse. Et quia eo tempore, non alius erat, quàm Iesus Nazarenus filius Mariæ uirginis, qui & miraculis & doctrina illustris esset, & in quem omnia, quæ de Messia à Prophetis dicta erant, competerent, ideo manifestum est, non esse alium uerum Messiam, præter hunc Iesum Nazarenum, nec nobis aliud nomen datum esse, in quo oporteat nos saluos fieri, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LVIIII.

VDIVIMVS contentionem, quæ orta est inter Pontifices & Pilatum, de accusando Christo. Illi enim postulant, ut Pilatus contentus esset ipsorum iudicio, & condemnaret Iesum, caussa nondum cognita. Pilatus autem reiicit impudentiam eorum, & urget, ut exponant crimen, quo Iesum damnauerant. Quare, cum Iesus antea accusatus sit hæreseos & blasphemię, in Concilio Pontificum, nunc accusatur coram ciuili magistratu

gistratu seditionis, & affectati regni. Dicunt enim: Hunc deprehendimus euertentem gentem, ac uetantē tributa dare Cæsari, & dicentē se Christum regem esse. Habes igit duo longe oīm maxima crimina, quæ in Iesum Christum congeruntur, uidelicet, blasphemiam, & seditionem, quorum alterum Deo, alterum ciuili magistratui suam maiestatem detrahere conatur. Solenne autem est, ꝙ hic mundus accuset Christum & piam doctrinam blasphemiæ & seditionis. Queso igitur te, dicito nobis, cur summa hęc crimina conferri solent in Christum innocentissimum, & doctrinam sanctissimam? Num hic mundus frontem ita perfricuit, ut hoc faciat sine ulla ueritatis aut honestatis specie? Nihil certe minus. Non enim uult uideri aut uanus, aut impudens, aut mendax. Primum ergo, pia doctrina damnat falsa & impia sacra, sed quæ hic mundus iudicat esse pīssima & Deo acceptissima. Deinde docet quidem ciuili magistratui diligentissime obediendum esse, sed interim docet etiam maiorem & potentiorem esse magistratum Dei cœli, cūꝫ principis huius terræ, ideoꝙ si princeps terræ iubeat aduersus principem cœli peccare, docet plus obediendum esse Deo, quām hominibus. Ac monet quidem Cęsari dandum esse, quæ sunt Cæsaris, sed addit, Deo etiam dandum esse, quæ sunt Dei. Ex his arripiunt impij, quę suo instituto apta uidentur, & uociferantur doctrinam Christi abolere sacra, & abrogare legitimum magistratū. Sed si rem probe expenderis, quid potest dici impudentius? Nulla em̄ doctrina est, quæ & uere pia sacra rectius tradat, & ciuilem magistratū maiori honore affitiat, cūꝫ doctrina Christi. Quod, cū disputatio, quā Christus cū Pilato, de regno suo habet, aliꝙ modo exponat, accedemus ad eam percurrendā. Nam, cū Christus accusatus esset, ꝙ p̄dicaret se esse Regem Iudæorę, suscipit Pilatus hanc rem diligentius cognoscendā. Introiuit ergo iterę in prætoriū, & uocauit Iesum, & dixit ei. Tu es ille rex Iudæorū? Respondit Iesus. A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerūt de me? hoc est, Si tuipse hoc fingis, iam tibi responsum est. Non em̄ licet Iudici crimina in reum fingere. Si autem alij commemorarunt tibi, quòd Iudæis promissus sit Christus rex per Prophetas, & quòd ego sim is rex, tui fuisset offitij diligenter ea in Prophetis cognoscere, & inter se conferre, num quæ de Christo rege prædicta sunt, in me competant: Respondit Pilatus: Numquid ego Iudęus sum? Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi, quid feciſti? hoc est, putas ne me curare, quæ uestri Prophetæ de Christo rege somniauerint? Quid ad me Iudaicæ illæ nugæ? De te & tuo capite agitur. Traditus es mihi a tuo populo, & Pontificibus, ut reus, maximi alicuius sceleris. De hoc agitur, respondę,

quid mali commiseris. Respondit Iesus: Regnum meum non est ex hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utiq; decertarent, ne traderer Iudæis. Nunc autem regnum meū non est hinc. Sicut paulo post, cum Pilatus arrogaret sibi potestatem uitę & necis in Christum, gratissime respondet ei Christus: Non haberes potestatem aduersum me ullam, nisi tibi datum esset ė supernis, ita & hoc loco, cum Pilatus significat Iudęos tantas habuisse uires, ut potuerint Christum capere, & ipsi eum tradere, non committit Christus, ut id non refutet. Captus enim est Christus & morti traditus, non hominum potestate, sed Dei patris sui uoluntate. Nec Iudęi, nec Pilatus, una cum omnibus uiribus Romani Imperij potuissent uel unum pilum capitis Christi mouere, nisi Deo patri sic uisum fuisset, & nisi uoluisset Christi sui regnum non esse mundanum, sed cœleste. Si regnum meū, inqt, esset ex hoc mundo, ministri mei utiq; decertarent, ne traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non est hinc. Hoc unum est dictū ė præcipuis sentētijs totius sacrę scripturę, ideoq; summa obseruātia considerandū. Principio em̄ Christus docet hic non unum tm̄ mundum, non unam tantum uitam esse, sed duos esse mundos, & duas uitas. Alius enim mundus est externus, et uisibilis, qui incepit esse, cum ante nō fuisset, & transibit, ac mutabitur. In hoc mundo sunt Cœlum et terra, plantę & animātia, & reliqua, quę in primo capite Geneseos describuntur. Alius mundus est spiritualis, cœlestis, & perpetuus, in quo sunt Deus pater filius & spiritus sanctus, Angeli, Dæmones, Aeterna iustitia & fœlicitas, ac æterna impietatis damnatio. Necesse autem habent omnes homines ex illo corporali mundo, in hunc spiritualem, per mortem & resurrectionem migrare: Veniet hora, inquit Christus, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audiēt uocem filij Dei, & prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem uitę, qui uero mala egerunt, in resurrectionem condemnationis. Quare facessant hinc Epicurei, & scelerati homines, qui cōtemnentes omnia, quę de alio mundo ė testimonijs Propheticis & Apostolicis dicuntur, collocant omnem spem suam in hoc præsenti mundo, et tum se ueram fœlicitatem cōsecutos putāt, cum uoluptate huius corporalis mundi fruuntur. Deinde Christus exponit, cuius mundi sit regnum suum. Exponit autem hac collatione conditionis regnorum huius & alterius mūdi. Alia enim est conditio regni huius corporalis mundi, alia est regni cœlestis mundi. Nam conditio regni huius corporalis mundi est, q; ministri regis decertent pro suo rege, ne ab hostibus capiatur & occidatur. Christus autem capitur a suis hostibus & occiditur. Quare perspicuum est, regnum eius non esse huius corporalis mundi. Ex hac conditione etiam aliæ considerandæ sunt. Nam subditi regni

huius

huius corporalis mundi, conferunt in regem ſuum externa tributa, cenſus, & uectigalia. In Chriſtum autem nihil tale confertur, imo ne tantillum quidem rerum propriarum in terra ei relinquitur, ubi caput ſuum reclinet. Regnum igitur eius non eſt ex hoc mundo. Sed non ſolum conditiones ſubditorum, uerumetiam Regum oſtendunt diſcrimen regni huius mundi, & regni Chriſti. In regno enim huius mundi, rex cogit armis corporalibus ſubditos ſuos ad obedientiam. Chriſtus autem non utitur armis corporalibus, ſed prædicat Euangelion ſuum, & uocat ad obedientiam populum ſponteneum. Rex huius mundi fert leges politicas, Chriſtus autem non fert ullas politicas leges. Rex huius ſeculi defendit externis armis ſubditos ſuos ab incurſu hoſtiū, & ſummis uiribus contendit, ne ſubditi ſui alteri domino aut regi ſubiiciantur. Chriſtus autem non defendit ſuos corporalibus armis, ſed ſinit eos diripi, nec curat cui domino aut regi in hoc mundo ſubiiciantur. Rex huius ſeculi honorat fideles ſuos ſeruos magiſtratibus, & ditat eos opibus huius mundi. Chriſtus autem non honorat ſuos miniſtros magiſtratibus, ſed ſubiicit eos ſeruitutibus, nec ditat eos corporalibus opibus, ſed obiicit ipſos paupertati, cuius rei exempla habes in fideliſſimis eius miniſtris, Petro & Paulo. Quare manifeſtum eſt, q̄ regnum Chriſti non ſit ex hoc mundo. Ex quo ergo mundo eſt? Ex altero illo ſpirituali & cœleſti mundo. Id autem perſpicuum redditur ex beneficiis ſeu, ut uocāt, feudis regni ſui. Chriſtus enim confert in ſubditos ſuos, qui ſunt credentes in ipſum, ueram iuſtitiam, quia expiat peccata eorum, & donat eis ſuam ipſius iuſtitiam, ut etſi habent adhuc peccatum, tamen id condonetur, & imputetur eis uera & perfecta ipſius iuſtitia. Hæc autem iuſtitia non eſt corporale & terrenum bonum, aut feudum, ſed eſt ſpirituale & cœleſte. Chriſtus dat ſubditis ſuis ſpiritum ſanctum, quo & corda cœleſti gaudio perfunduntur, & caro mortificatur, ut ſeruiat iuſtitiæ. Spiritus ſanctus autem eſt cœleſte donum, & non terrenum. Chriſtus conſeruat ſubditos ſuos in morte, ut etiamſi computreſcant & in puluerem ſoluantur, ac diſpergantur, tamē non pereant, ſed uiuant in ipſo, & reſuſcitentur ad æternam beatitudinem. Conſeruari autem in morte, & perpetuo beatam uitam in cœlo ducere, nō ſunt terrena, ſed cœleſtia & diuina dona. Perſpicuum igitur eſt, q̄ regnum Chriſti non ſit ex hoc corporali, ſed ex cœleſti mundo. Hæc de regno Chriſti diligentiſſime conſeruanda ſunt, ut ex his aſſuefiamus æquo animo ferre incommoda & aduerſa huius mundi. Nam, cum in Chriſtum credimus, efficimur membra & conſortes Chriſti per fidem. Quare, quemadmodum Chriſtus cum capitur et crucifigitur, non ſic perturbatur, ut graſſetur uirulentia aduerſus Deum,

q̄ deus non iuuet ipſum externo auxilio, ſed ſolatur ſe ex conditionibus regni ſui. Si regnum, inquiens, meum eſſet ex hoc mundo, certe miniſtri mei decertarent pro me, ne traderer Iudæis, ita & nos, qui ſumus membra Chriſti, ſi affligimur in hoc mundo, nec uidemus ullã malorum aut leuationem aut liberationem, non frangamur animo, q̄ nulla pateat nobis in hoc ſeculo euaſio, ſed reuocemus in animũ proprietates regni Chriſti ſeruatoris noſtri. Si enim regnum Chriſti regis noſtri eſſet ex hoc mundo, Chriſtus teneri non poſſet, quin mitteret miniſtros ſuos, qui ſine mora nos afflictionibus huius ſeculi liberarent. Sed regnum eius non eſt ex hoc mundo. Non conſequimur ſanitatem corporis, ſed conſequimur in Chriſto ueram iuſtitiam, quæ eſt ſanitas totius hominis. Non accipimus multas terrenas opes, ſed accipimus ſpiritum ſanctum, qui implet corda noſtra cœleſtibus opibus. Nõ euadimus pericula corporalis mortis, ſed reſurgemus à morte ad uitam perpetuo fœlicem. Bono igitur animo ſimus, q̄ in Chriſto & propter Chriſtum certo cognoſcamus, nos in aduerſis huius ſeculi haud quaq̄ perire, etiãſi pire uideamur. Sed quid hic faciamus? Si regnum Chriſti non eſt ex hoc mundo, & bona regni eius nõ ſunt corporalia, & terrena, qua fronte inuocabimus deum patrem propter Chriſtum, ut ea bona in nos conferat? An fortaſſis nõ licet deum precari, ut det nobis ſanitatẽ corporis, & alia corporalia bona, q̄ regnũ Chriſti non ſit ex hoc mundo, nec ex bonis huius mundi? Certe licet. Bona enim corporalia ſunt benedictio dei, cur igitur non eſſent à deo petẽda? Et Chriſtus ipſe iuſſit nos petere panem quotidianum, quod nomen latiſſime patet, ad omnia uidelicet, quæ ad hanc corporalẽ uitam neceſſaria ſunt. Sed quia hæc bona non pertinent proprie ad regnum Chriſti, niſi per occaſionem, & ut organa huius corporalis uitę, in qua Chriſtus diſcendus & cognoſcendus eſt, idcirco in petitione bonorum corporalium, p̃ferenda ſunt bona regni Chriſti, ut hac conditione petamus corporalia bona, ſi uidelicet non fuerint impedimento ſed adiumẽto ad conſequenda et conſeruãda bona regni Chriſti, ac ſi eo' ualeant, ut ſanctificetur nomen dei, adueniat regnum dei, & fiat uoluntas eius, quemadmodum in cœlo, ſic etiam in terra. Vera enim ſalus noſtra, nõ pendet ex bonis huius terræ, ſed ex bonis regni Chriſti. Quare hęc in aliorũ petitione ſemper prę ferenda erunt. Ac de his
,, quidem hactenus. Reuertamur autem ad textum. Dixit itaq̄ ei Pila-
,, tus. Ergo rex es tu? Si regnum habes, neceſſe eſt te regem eſſe? Cũ aũt non ſis rex ex hoc mundo, quid ergo negotĳ habes in hoc mũdo? cur non abis in tuum mundum, in quo tu te regnum habere profiteris?
,, Reſpondit Ieſus: Tu dicis, q̄ rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, et ad
,, hoc ueni in mundum, ut teſtimonium feram ueritati. Omnis, qui eſt

ex ueri-

ex ueritate audit uocem meam. Exponit quid negotij habeat in hoc mundo: Sum quidem rex. Veni autem in hunc mundum, non ut regio more dominer, & alios huius terræ reges, è regnis suis eijciam, sed ut testimonium feram ueritati, hoc est, ut doceam ueram religionem, qua homines uerum Deum cognoscant, & cœlestia bona consequantur. Quare hi, qui amant ueram religionem, & cupiunt uerum Deum recte cognoscere atq; colere, meam doctrinam agnoscunt, & fiunt mei subditi. Qua obedientia & subiectione tantum abest, ut abducam homines ab obedientia regibus & magistratibus suis præstanda, ut quo diligentius meam doctrinam sectantur, eo fideliores & obedientiores erunt principibus & regibus suis. Habes igitur, quod sit offitiũ Christi in hoc mundo. Non uenit, ut in hoc mundo sit imperator, sed ut sit doctor. Non uenit, ut instituat magistratus politicos, sed ut instituat ministeria docendæ ueræ religionis. Manifestum igitur est, quantum peccet Romanus Pontifex, qui etsi gloriatur se Vicarium Christi, & successorem Petri, tamen deserit ea offitia, quibus & Christus & Petrus in hoc mundo defuncti sunt, & arrogat sibi ea, uidelicet, summa imperia in toto orbe terrarum, quæ Christus ipse fugit, & Apostolis usurpare uetuit. Sed quomodo excepit Pilatus hanc expositionem? Dicit ei Pilatus: Quid est ueritas? Hæc non est seria, sed ironica & ridicula interrogatio. Pilatus enim ridet Christum, q; docendæ religionis gratia obijciat se extremis periculis. Quid? tu ne nihil aliud negotij in terris habes, q; ut testimonium feras ueritati? ut doceas ueram religionem? certe uirorum omnium stultissimus es, qui te ob hanc rem uanissimam tanto periculo exponas? Amabo enim te, quid est ueritas? putas ne aliquã esse ueram religionem? Ecce enim tibi, quanta dissidia, & quàm diuersæ, imo etiam sibi inuicem aduersæ sint de religione opiniones. Alij enim sentiunt unum tantum esse Deum, alij plures, alij prorsus nullum. Quid igitur subirem tanta pericula propter rem adeo incertam? Sine, prius homines de religione inter se conueniant, interim autem sectare eam religionem, quam uides esse tutam. Sic enim multo rectius tuę saluti consules, q; si peruicaciter pro tuis dogmatis, cum uulgari hominum religione pugnaueris. Hæc est sententia prudentum huius mundi, & Epicuræorum, qui maiorem habent rationem eorum, quæ tuta sunt in hoc seculo, q; quæ sunt recta ac uera. Sentiunt em̃, q; quæ de Deo, ac rebus diuinis dicuntur, sint incertissima, & indigna, propter quæ publica tranquillitas turbetur, & te periculis exponas. Sed faceſſat ista Epicuræorum impietas. Nobis religio nec est ridicula, nec incerta. Habemus Prophetica & Apostolica scripta, quæ sunt cœlestibus testimonijs approbata, & magnis ac multis

miraculis confirmata. Hæc ſcripta docent unum eſſe uerum & uiuũ Deum patrem DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, & emiſſorem ſpiritus ſancti, qui dedit filium ſuum Ieſum Chriſtum, propitiationem pro peccatis noſtris, & mittit ſpiritum ſanctum ſuum, ut ſanctificet, & cõſoletur nos, quo credentes in Chriſtum reputemur iuſti, & ſeruemur in morte ad æternam beatitudinem. Hæc eſt ueriſſima & certiſſima religio, extra quam nulla eſt ſalus, & per quam omnis ſalus credentibus contingit. Agnoſcamus igitur hunc uerum & uiuum Deum, & colamus eum non ſolum fide cordis, uerumetiam confeſſione oris, & obedientia præceptorum eius. In quo cultu, etiamſi tantis periculis obiiciamur, ut & uita corporalis nobis auferatur, tamen Deus noſter tam diues & liberalis eſt, ut credentibus & inuocantibus ipſum in ueritate compenſaturus ſit, quicquid iſtiuſmodi damni nobis acciderit, cœleſtibus ac æternis benefitijs, propter Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA LX.

PILATVS de uera quidem religione nec prẽclare ſentit, nec ſollicitus eſt, ſed habet quandam ſpeciẽ ciuilium uirtutum. Quare cũ audiſſet expoſitionẽ Chriſti, de regno et de offitio ſuo, cogitat eum magis miſeratione q̃ ſupplitio dignum, & quærit conſilia quibus poſſit uel ſententiam de Chriſto ferendam à ſe abiicere, uel Chriſtum à furore Iudæorum liberare. Ac ante quidem miſerat eum ad Herodem (quemadmodũ alij Euangeliſtæ tradũt) ſi forte Herodes ſuſcipiat cauſſam eius cognoſcendam. Nunc aũt, quia Herodes reiecit uiciſſim iuditium de Ieſu ad Pilatum, & remiſit eum, inquirit Pilatus aliud conſilium, quo eum, quem cognouerat innocentẽ, ſeruaret, ac opponit eum ſceleratiſſimo homini Barabbæ latroni, ſi forte hac occaſione, etiam ex Iudeorum ſententia, Ieſum liberaret. Sic enim dicit Euangeliſta de Pilato: Cum hoc dixiſſet, iterum prodiit ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullã inuenio in eo cauſſam. Eſt autem conſuetudo uobis, ut unum dimittam uobis in paſcha: Vultis ne ergo dimittam uobis illum regem Iudæorum? Clamauerunt rurſum omnes, dicentes: Non hũc, ſed Barabbam. Erat autem Barabbas latro. De Barabba alij Euangeliſtæ copioſius ſcribunt. Fuit enim Barabbas uir ſeditione & latrocinio inſignis, qui & paulo ante con-

iectus

iectus fuerat in carcerem propter seditionem quandam, in ciuitate facta, & propter homicidium. Itaq; nõ habebatur in tota urbe Hierusalẽ uir Barabba sceleratior, & extremo supplitio dignior. Pilatus igitur confert hunc cum Iesu, ut ex his duobus unum eligant, quem iuxta ueterem consuetudinem seu priuilegium, quo uidebantur festũ diem paschę honorare, liberum dimittat, nihil minus fore cogitãs, q̃p ut publicum latronem liberum postularent. Sed uide mihi rem immanem. Populus à Pontificibus excitatus, petit latronem, ablatorem uitę, liberum, autorem uero & datorem uitę, ad supplitium. Dicamus igitur primum de hac consuetudine seu priuilegio, quo unus è captiuis in festo paschæ liber dimittebatur. Prędides enim Romani uenabantur sibi hac concessione beneuolentiam popularem. Iudæi autem sentiebãt se hac consuetudine prędare deo eximium cultum, & reddere festum suum diem uenerabiliorem. Non enim contenti erant his ritibus et cerimoniis, quibus pascha diuinitus commendatum erat, sed addebant etiam hunc cultum, ut in gloriam dei, sicut ipsi iactabant, dimitterent captiuum liberum, quemadmodum ipsi liberi ex Ægypto profecti fuerant. Expendamus ergo, qualis hic cultus fuerit. Primum enim, fuit cultus plane inutilis, quia excogitatus ab hominibus, & institutus, non uerbo dei, sed humana prudẽtia. De his enim cultibus dicit Christus ex Esaia: Frustra me colunt docentes doctrinas, mandata hominum. Deinde erat cultus cõtra legem dei. Hic enim cultus remittebat homicidæ aut latroni supplitium, cum diuina lex tanta seueritate supplitium eius exigat, ut iubeat eum etiam ab altari auellere. Si quis, inquiens, per industriam, occiderit proximum suum, et per insidias, ab altari meo auelles eum, ut occidatur. Ac fieri quidem potest, ut lex ipsa homicidam, propter aliquot circũstantias, a supplitio liberet, quẽadmodum manifestum est, de eo, qui elapsa securi in secando ligno, amicum occiderit, tunc autem uelle sceleratum, ad gloriam dei, liberum dimittere, cum lex dei pœnas ab eo seueriſſime exigit, hoc certe non est deum glorificare, aut deum colere, sed est deum contumelia afficere, & contemnere. Præterea, hic cultus dei, quem Iudæi ad gloriam dei in festo paschæ excogitauerant, cedit tandem in summam ignominiam filij dei. Nam occasione huius cultus confertur filius dei, cum sceleratiſſimo latrone, & quia hic illi, fauore populi præfertur, nihil potuisset filio dei ignominiosius accidere. En hæc est sors eorũ cultuum & sacrorum, quæ humana prudentia sine uerbo dei excogitat. Talis cultus in Christianismo est, institutio Imaginum in ecclesia. Etsi enim imagines habere per se indifferens est, tamen hic cultus excogitatus est absq; autoritate uerbi dei, ac cessit tãdem in tam manife-

ſtam idolatrian, ut imagines non ſolum habeantur pro monumentis rerum geſtarum, uerumetiam colantur & adorentur. Talis cultus eſt & Inuocatio mortuorum. Initio enim publica tantum fiebat mentio ſanctorum in Chriſto dormientium, ut Eccleſia exemplis eorum ad pietatem excitaretur. Poſtea nonnulli eo dilapſi ſunt, ut nondum quidem inuocarent Sanctos mortuos, uotis tamen teſtificarentur, unam eſſe Eccleſiæ tam eorum, qui adhuc in his terris uitam agunt, quàm illorum, qui in Chriſto obdormierunt communionem, donec ad extremum mortui, tanquam dij auxiliares & tutelares inuocentur. Hæc eſt abominanda idolatria. Cum igitur cultus humana prudentia inſtituti autores eſſe ſoleant maximæ impietatis, ſummo ſtudio cauendum eſt, ne eos uel inſtituamus, uel inſtitutos ſectemur, ſed ea opera ex fide facere ſtudeamus, quę Deus facienda inſtituit, & præcepit. Deinde, conſiderandum eſt hoc loco, quę ſit utilitas priuilegiorum, ſeu prerogatiuarum, quas nonnulli magna diligentia & impenſa præter generalem legem ſibi parant. Hę initio uidentur eſſe diſpenſatio tantum legis, ſed ad extremum fiunt legis abolitio. Vide mihi hanc prerogatiuam, quam habebant Iudęi in feſto Paſchę, apud Romanos præſides. Cum inſtitueretur, uidebatur eſſe humanitas, quę interdum ſeueritati legum addenda eſt, ſed cum precipuus eius uſus eſſe deberet, in liberando Chriſto, fit ſumma crudelitas. Damnatur enim innocentiſſimus, & liberatur nocentiſſimus. Itaque factū eſt, ut non ſolum lex in Iudaiſmo abrogaretur, uerumetiam uniuerſa regio uaſtaretur. Quare ſi cui contigit prærogatiua, non aduratur ea, ne ſeipſum in extrema pericula cōiiciat, aut ſi prærogatiua ante conceſſa tollitur, non doleat, non ægro animo ferat, quippe quòd magis ei licentiæ occaſio, quæ libertatis poſſeſſio ablata ſit. Poſtremo obſerua hic, quomodo hic mundus ſua benefitia diſtribuat. Iudæi habent poteſtatem benefaciendi & liberandi alterum ex duobus captiuis, Barabba & Chriſto. In quem ergo conferunt ſuum benefitium? quem uinculis liberant? Chriſtus benefecerat hominibus. Barabbas malefecerat. Chriſtus uiuificauerat homines. Barabbas mortificauerat. Et tamen cum homines uiciſſim benefitia conferre deberent, conferunt ea magis in malefactorem, & peſſima quæque meritum, quàm in benefactorem, & optime meritum. Sic ſolet mundus. Hæc uulgaris eſt conſuetudo, ut equi aratores neceſſe habeant ueſci paleis, & ſtramine, militares autem & proculcatores, ſegetum ueſcantur auena & tritico. Quid igitur faciamus? Num quia homines ſunt tam iniqui diſtributores ſuorum benefitiorum, non benefaciamus eis? Ablit. Benefaciendum eſt etiam inimicis. In hoc autem offitio,

non

non respiciamus in remuneratores homines, sed in remuneratorem deum. Homines facile obliuiscuntur benefitiorum, quę in ipsos contuleris, & rependere solent mala pro bonis, Deus autem non obliuiscitur benefacti, quod etsi non est perfecte bonum, tamen si ex fide in Christum profectum fuerit, compensat propter Christum filium suum liberalissime. Sed ignominia, quæ hoc loco Christo infertur, diligentius expendenda est. Præfertur ei latro lõge omnium sceleratissimus, ac prorsus hic impletur, quod Esaias de Christo dixit, Nouissimus uirorum. Tanta autem ignominia & abiectio affert homini honesta mente prædito acerbiorem dolorem, cẽ mors ipsa. Vnde & Petrus exprobrat maxime omnium hanc contumeliam ciuibus Hierosolymitanis, Acto. ij. Certo sciat ergo tota domus Israel, q DOMINVM & Christum fecerit deus hunc Iesum, quem uos crucifixistis. Quid ergo est, quod deus cõniuit, ut hæc contumelia, & hic dolor unigenito filio suo accideret? Non conniuisset, nisi cognouisset hæc ad illustrandam gloriam Christi, & ad parandam salutem humano generi ualde conducere. Suscepit enim Christus expianda scelera hominum. Deijcitur ergo infra latronem, ut non solum horribile scelus latrocinij, uerumetiam si quæ sunt latrocinio grauiora expiaret. Adhæc, Christus extollendus erat in omnem sublimitatem, & in summã maiestatem, ut dominaretur angelis & hominibus, adeoq omni creaturæ. Humiliatur igitur prius infra latronem, hoc est, extremum & abiectissimum hominem, ut quo profundius deijceretur, eo altius extolleretur. Nec hoc in persona Christi, propter ipsum tantum Christum, sed propter uniuersam Ecclesiam gestum est, ut cognosceremus humiliationem esse rectam & compendiariam uiam ad glorificationem. DOMINVS, inquit, in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra. Et iterum: Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Quare cum afficimur ignominia, non meditemur uindictam, nec insaniamus maledictis, sed curemus, ut simus & maneamus in Christo, consideremus exemplum Christi, cogitemus ignominiam esse his qui sunt in Christo uiam ad gloriã, ut cum ei pro nostra parte & conditione similes simus in ignominia, certo futurum speremus, ut & participes fiamus gloriæ eius, quam perpetuam habet unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

CAPVT XIX.

HOMILIA LXI.

IDIMVS hactenus in Pilato diligentiam honesto uiro dignam, qua studuit Iesum manibus furiosorum Iudæorum liberare & seruare. Audiuit eum priuatim, & cum nihil dignum morte in ipso cognosceret, dedit ei publicum innocentiæ testimonium. Misit eum ad Herodem, sperans fore, ut is aliquid consilij excogitaret, quo Iesum seruaret. Deinde, cum Iesus remissus esset, contulit eum Pilatus cum sceleratissimo latrone, si forte uel hac occasione eriperetur. Atque hactenus quidem uisus est Pilatus officium boni uiri facere. Nunc autem, etsi adhuc studet Iesum ab impiorum manibus liberare, tamen incipit à iusto recedere. Tradit enim innocentem flagris cedendum. Nam sequitur: Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum & flagellauit. Expendamus autem initio consilium Pilati. Iubet enim Iesum flagellare, non odio quodam, sed ut uel aliquo supplitio exaturet inuidiam Iudæorum, & liberet Iesum à morte, Sentiens, tolerabilius esse, leue aliquod, & extremum supplitium ferre. Nihil ergo uidetur Pilatus peccasse: certe peccauit plurimum. Scit Iesum esse innocentem. Et tulit ipse innocentiæ eius testimonium. Quare flagellat eum contra conscientiam suam. Sed id bono, inquis, consilio fecit? Nulla excusatio. Non sunt facienda mala, inquit Paulus, ut eueniant bona. Bonum est, ut alas familiam tuam. Malum autem est, ut des operam imposturis. Hoc malum non est faciendum, ut illud bonum eueniat. Bonum est, ut tuearis uitam tuam. Malum autem est, ut Christum abneges. Hoc malum non est faciendum, ut illud bonum eueniat. Sic bonum est, ut eruas eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses, malum autem est, ut innocentem quasi nocentem damnes, & flagellis laceres. Hoc malum non est faciendū, ut illud bonum eueniat. Etsi autem consilium Pilati in flagellando Iesu uidetur esse prudens, tamen euentus docet stultissimum fuisse. Tantum enim abest, ut hoc supplitio compescat furorem Iudæorum, ut potius accendat eum. Cum enim produceret Iesum flagellatum, quanto miserabilior apparebat Iesus, tanto magis uociferabantur Iudæi: Tolle, crucifige eum, quemadmodum postea sequitur. Deinde

considerandum est, quòd Christus susceperit hęc flagella, nec ignarus, nec inuitus, aut coactus. Cognouit longe ante, se flagellandum: Ecce, inquit, ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus & illudetur, & contumelijs affitietur & conspuetur, & postquã FLAGELLAVERINT occident eum. Potuisset etiam flagella à se in flagellatores excutere. Quo ergo consilio suscepit ea & sciens & uolens? Primum suscepit ea, ut patris uoluntati obediret, ac peccata nostra expiaret. Flagella enim debentur peccatoribus. Cum igitur Christus constituisset se in locum peccatorum, suscepit etiam supplitium peccatoribus debitum, ut iram Dei patris placaret. Deinde suscepit flagella, ut sanctificaret ea in omnibus ijs, qui in ipsum credunt. Christus enim fuit longe omnium innocentissimus. Quare cum flagella inciderent in ipsum, non potuerunt amplius manere, quod in se erãt, uidelicet, maledictio, Sed necesse habuerunt talia fieri, qualis erat Christus, nimirum, benedictio. Sanctificauit autem ea, non in hunc usum, ut nos nostra sponte ad expianda peccata nostra coram Deo flagellemus, qua impia opinione hi, quos uocarunt flagelliferos, seipsi flagris lacerarunt, sed ut cęsi flagellis aut uirgis, agnoscamus eam afflictionem non esse nostram interuitionem, sed potius sanctam crucem, qua ad uera & cœlestia gaudia perueniamus, si aut in Christo per fidem constiterimus, aut ad Christum reuersi fuerimus. Porro, Sicut in hoc mundo fieri solet, ut qui damnum fecerit, ludibrium quoque ferat, ita & Christo accidit, ut dolori eius addatur etiam ludibrium. Sic enim ait Euangelista: Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, & ueste purpurea circumdederunt eum, ac dicebant: Aue rex Iudæorum: Et dabant ei alapas. Nec ista acciderunt Christo ignoranti. Priusquam enim caperetur, uidit se sic illudendum & conspuendum. Quid igitur non cauit sibi? Primum uoluit uoluntati patris satisfacere, & peccata nostra expiare. Ingens enim animi dolor est, à sceleratissimis hominibus sic illudi, conspui & cædi. Debetur autem hoc supplitium peccatoribus. Quare, cum Christus uoluerit esse uictima pro peccatis, uoluit & hanc mactationis partem obedienter suscipere. Deinde docuit hoc spectaculo, qualem speciem habiturum sit regnum suum in his terris. Christus enim uerus ac summus est rex, & habet æternum regnum. Sed ecce sedet hic inter spinas, sputa, ludibria & alapas, ut magis uideatur abiectissimus Morio, quàm rex quispiam. Quod personæ eius accidit, hoc postquam ipse nunc sedet ad dextram patris, accidit in his terris Ecclesiæ eius, in qua regnat. Nam Ecclesia

gloriatur propter Christum, quòd deus stet à sua parte, & ꝙ sit hęres cœlestis ac perpetui regni, sed necesse habet in hoc mundo sedere inter spinas, spura, ludibria & alapas, quas tam hi qui uideri uolũt amici, ꝙꝫ inimici ei inferũt. Turca pungit Ecclesiam Christi spinis & conspuit eam, cum reportata ex Christianis uictoria insultat eis, & quærit, ubi sit Christus ipsorum? cur ipsos non iuuet? Iudæus configit Ecclesiam spinis, & dat ei alapas, cum in conciliabulis & precibus suis congerit in Ecclesiam Christi, quicquid usꝙꝫ in sacris literis, de hostibus dei & de impijs gentibus extat. Pontifices Romani & assectlæ eorum coronant Ecclesiam spinis, & cõspuunt eam, cum iactant se quærere gloriam Christi & salutem Ecclesiæ, interim autem persequuntur uerum Euangelion Christi, & occidunt pios, qui sunt uera Ecclesiæ membra. Sed quid? num impij perpetuo sic pergent Christum & Ecclesiam eius spinis coronare, sputis sordidare, & alapis cedere? Nihil minus. Notum est illud psalmi: Beatus homo, quem tu erudieris DOMINE, & de lege tua docueris eum, ut sit patiens in diebus malis, donec fodiatur peccatori fouea. Peccator uidetur quidem nunc in suo instituto fœlix, & nihil minus cogitat, ꝙꝫ foueam, seu sepulcrum, & internitionem, Sed commorare paulisper, dum sepulcrum eius effodiatur, & uidebis repentinum eius interitum. Ipse quidem somniat sibi regios thronos, & summos honores, sed foditur ei fouea, in quã cum satis longa, lata & profunda effossa fuerit, subito proijcietur, ut æterna ignominia pereat. Et iterum dicit psalmus: Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani, Et transiui, & ecce non erat, & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Quare feramus insultum & ludibria impiorum æquo animo, & custodiamus innocentiam, ut si una cum Christo spinis coronamur, una cum ipso æterni regni honore fruamur. Sed agite, aspiciamus nunc Christum, sic ut erat flagellatus, coronatus & consputus, ad Iudæos productum:

„ Exiuit iterum Pilatus foras & dicit eis: Ecce adduco uobis eum fo-
„ ras, ut cognoscatis, quod nullam in eo causſam inuenio. Exiuit ergo
„ go Iesus foras gestans spineam coronam, & purpureum pallium, &
„ dicit eis: Ecce homo. Cum ergo uidissent eum Pontifices & mi-
„ nistri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige. En, hic est eu-

entus humanæ prudentiæ, quæ suscipit malum faciendum, ut bonum eueniat. Sperauit Pilatus se flagellatione innocentis sedaturum & mitigaturum iram ac furorem Iudæorum, sed magis accendit & inflammat eum. Postquam enim Iudęi uident Christum sic misere tractatum, non iam hoc agunt, ut moderato sermõe eum ad supplitium postulent, sed insanis clamoribus & uociferationibus ad crucem flagi-

tent.

cent. Caueamus igitur, ne spe boni aut consequendi aut effitiendi, mà lum faciamus. Sed persequamur bonum, quamuis periculosum, certa fiducia concepta, quòd bonum etsi in præsentia uidetur infœlix, tamen erit uel tandem fœliciſſimum. Hic autem uide mihi, impietatem induratam semper in peius proficere. Cum enim Iudęi accusassent antea Christum, quòd commisisset crimen lęsæ maiestatis Cæsareæ, propterea quòd dixerit se esse regem, nunc accusant eum grauius, uidelicet, quòd commiserit etiam crimen læsæ maiestatis DIVINÆ. Nam postquam Pilatus dixisset eis: Accipite eum uos, & crucifigite: Ego enim non inuenio in eo causſam. Respondeṽt ei Iudæi. "Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia "filium Dei se fecit. Hæc est noua accusatio, quam accipiunt ex profes "sione & contione Iesu. Sicut enim Iesus professus est, se esse uerum Messiam, ita etiam professus est, se esse uerum & naturalem filium Dei. Apud Matthæum dicit Petrus: Tu es Christus ille filius Dei uiuentis. Hanc confessionem approbat Iesus. Apud Ioannem dicit ipse: Nonne scriptum est in lege uestra: Ego dixi dij estis. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura de eo quem pater sanctificauit, & misit in mundum. Non enim, cum uocat se filium Dei, intelligit se esse filium uulgari, sed singulari modo. Non est filius Dei, sicut homines pij, qui sunt adoptiui filij Dei, sed est naturalis Dei filius ab ęterno. Quare Iudæi recte quidem intellexerunt professionem & contionem Christi, sed non recte intelligunt Prophetica scripta de Messia, & Iesum male accusant. Prophetę enim haud obscure testantur Messiam esse uerum filium Dei, adeoque uerum DOMINVM Deum Zebaoth, quemadmodum aliàs ostendimus. Et sic de Messia crediderunt etiam pij Patriarchæ per spiritum sanctum. Scribæ autem & Phariſęi iamdudum amiserant rectam intelligentiam Prophetarum, & ueram sententiam de Messia. Dicebant quidem Messiam uenturum, sed somniabant eum tantum fore Dauidis filium, & regnum eius mundanum. Quare sicut impie errant, in sententia de Messiæ persona & regno, ita Iesum, qui manifestis argumentis probabat se esse uerum Messiam, inique accusant blasphemię in Deum. Sed hic considera mihi summam impiorum hominum iniquitatem, qui alios accusare solent eorum criminum, quibus ipsi maxime omnium obnoxij sunt. Iesus Christus tribuebat sibi uerbis diuinam maiestatem, idqꝫ ueriſſime, ac rectiſſime. Iudęi autem tribuebant sibijpsis diuinam maiestatem factis, idque falsiſſime, & iniquiſſime, & tñ Iesum accusabant blasphemię, se uero ipsos, ueros Dei cultores iudicabant. Sentiunt enim, se con-

sequi remissionem peccatorum & iustitiam meritis suorum operum, quæ est sententia omnium hypocritarum. Hoc autem est sibi ipsi tribuere diuinam maiestatẽ. Quanta igitur est impietas, quanta blasphemia Iudæorum? Et hac impietate ac blasphemia plenus est totus orbis terrarum. Qui ergo fieri posset, ut Dominus perpetuo tantã blasphemiam ferret, ac non ad iuditium festinaret? Sed reuertemur ad Pilatũ.

„ Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Fuit igitur Pilatus timens Dei? Ethnicus fuit & Idolatra, quod genus hominum sentiebat deos aere tectos uagari inter homines, & aliquoties etiã uisibili specie apparere. Hæ etsi sunt Ethnicę fabulę, tamen uidentur ortę a' ueritate. Patriarchę, ex quibus Ethnici suam quoq; originem duxerunt, contionati sunt familijs suis, q; deus omnia respiciat, omnia intueatur & curet, & q; filius dei descẽsurus sit de cœlo, & assumpta hominis forma, humanum genus redempturus. Posteri autẽ, cum amissa pia maiorum doctrina, sua sequerentur somnia, affinxerunt multos esse deos, ac ambulare eos tectos caligine inter homines. Metuit ergo Pilatus, ne fortassis Iesus, de quo miranda hactenus audierat, talis esset deus, quales Gentilitas finxit, & cum iam flagellasset eum, metuit, ne in deum quendam iniurius fuerit. Sed hic est præposterus metus, quasi uero non iniurius sis in deum ipsum, cum hominem, etiam tuo

„ iuditio innocentem affligis? Et ingressus est prętorium iterum, & di-

„ cit ad Iesum: Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Quid enim responderet ad ea quæ ante nota erant, & Pilatus paulo ante audi-

„ erat eum Galilęum ac Nazarenum esse. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi

„ non loqueris? Nescis q; potestatem habeam crucifigendi te, & pote-

„ statem habeam absoluendi te? Impia uox, siue eam ad offitium magistratus, siue ad personam Christi accommodes. Nam si de offitio loquendum est, magistratus etsi habet potestatem puniendi fontes iusta leges, non tamen habet potestatem puniendi insontes, nisi legitimã potestatem mutet in libidinem, uiolentiam & tyrannidem. Sic autem potestatem habere, quid prędari est? Talem potestatem etiam latro habet. Num igitur habet quod glorietur? Recte ex ueteribus quispiam tyranno ob professionem nominis Christi mortem minitanti, respondisse fertur. Quid magni te facturum putas, quod etiam scorpiones & cantharides facere possunt? Quare ea demum recta & uera est potestas, quę legitime ad uindictam malorum, & defensionem bonorum, non quæ ad opprimendos bonos, & tuendos malos exercetur. Sed Pilatus præcipue respicit in personam Christi, in quam putat

„ se pro suo arbitrio potestatem habere. Respondit igitur Iesus.

„ Non haberes potestatem aduersus me ullam, nisi tibi datum es-

set

set è supernis. Propterea qui me tradidit tibi maius peccatum habet. «
Sicut Christus ante coram Iudæis testatus est, se non esse ipsorum po
testate captum. Quotidie, inquiens, fui in templo, & non extendistis
manus in me, sed hæc est hora illa uestra, & potestas tenebrarum, ita
& hoc loco negat coram Pilato se humana potentia aut ante captum,
aut nunc crucifigendum. Primum enim nulla creatura est uel in cœlo
uel in terra, siue homo, siue angelus, siue diabolus, qui possit Iesu
Christo uel pilum capitis contra uoluntatẽ suam mouere, quia Chri
stus est unigenitus filius Dei, per quem omnia sunt creata, & cui om
nia sunt subiecta. Ipse autem nulli subiectus est, prꝛterꝯ, ꝙ ipse ho
mine assumpto, subiecit se Deo patri suo cœlesti. Quare Pilatus non
habet ex suis uiribus potestatem crucifigendi eum. Deinde, si uel ho
mo uel diabolus habet aliquam in Iesum potestatem, certe ea potestas
non est humano aut diabolico arbitrio suscepta, sed à Deo patre cœ
lesti in filium suum concessa. Si autem pater concedit alteri aliquam
in filium suum potestatem, certe non concedit eam, ut filius pereat,
sed ut glorificetur, & capiat maximum ex ea re usum. Dicit enim pa
ter de Iesu: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complaci
tum est. Quomodo autem pater tantopere filium diligens, concede
ret, ut contingeret ei aliquid, quod non afferret maximam utilita
tem? Quare Iesus hanc Dei patris sui uoluntatem agnoscens, tradidit
se ei obsequentissimum, etiam usque ad mortem crucis. Quod autem
de persona Christi dictum est, hoc idem intelligendum erit de om
nibus pijs in Christum credentibus. Deus enim tanta cura ample
ctitur pios propter Christum filium suum, ut etiam ipsos adoptet in
filios, & eximat eos è potestate omnium creaturarum: Immittitur, in
quit, angelus DOMINI in circuitu timẽtium eum & eripiet eos. Ac
mox: Custodit omnia ossa eorum, unum ex his non cõteretur. Et Pau
lus: Persuasum habeo, ꝙ neꝯ mors, neꝯ uita, neꝯ angeli, neꝯ prin
cipatus, neꝯ potestates, neꝯ instantia, neꝯ futura, neꝯ altitudo, ne
que profunditas, neꝯ ulla creatura alia poterit nos separare ab ea di
lectione, qua Deus nos propter Iesum Christum dominum nostrum
complectitur. Si autem pij subijciantur potestati alicuius creaturę,
hoc certe à Deo est. Non enim haberet creatura ullam potestatem
in pios, nisi ei datum esset è supernis. Si autem uenit potestas in pi
os à Deo, non uenit ab irato, sed propitio Deo, quia placatus est eis
Deus per filium suum. Si autem Deus est propitius & fauet tibi,
quid in aduersis ita trepidas? quid potestatem aduersariam ita me
tuis? quid in eos, qui potestatẽ in te acceperunt, ita impotenter grassa
ris? In Deum respice. Deus est, qui dedit aduersus te potestatem. Et
quod facit, optimo ac tibi utilissimo cõsilio facit, qa fauet tibi propter

Christum in quem credis. Quare de fœlici euentu dubitandum non est. Hæc in singulis afflictionibus cogitanda, hęc meditanda, hęc exercenda sunt. Sic Dauid de ijs conuitijs, quibus grassabatur in ipsum Simei, cogitabat. Cum enim Dauid fugeret seditiosum filium suum Absolomum, & occurreret ei Simei, ac diceret: Egredere, egredere uir sanguinum, & uir Belial. Serui autem Dauidis susciperent hunc maledicum Simei trucidandum, respondit Dauid: Dimittite eum, ut maledicat. DOMINVS enim precepit ei, ut malediceret Dauid. An non Dauid manifeste his uerbis significat, se de conuitijs Simei ita cogitare, ꝙ Simei non posset tam uirulenter in ipsum inuehi, nisi hoc ei concessum esset à DOMINO? Nunc autem quia DOMINVS concessit, daturus sit benedictionem pro hac maledictione. Sic enim sequitur: Dimittite eum, ut maledicat iuxta præceptum domini, si forte respitiat DOMINVS afflictionem meam, & reddat mihi DOMINVS bonum pro maledictione hac hodierna. Consideremus igitur in aduersis bonam Dei uoluntatem, ut ea æquo animo obedienter feramus. Sed quid illud est, quod Christus hic addit: Propterea qui me tibi tradidit, maius peccatum habet? Videtur autem hic aliquid subintelligendum esse, uidelicet tale quiddam. Sed quia tu Pilate non intelligis ista diuina mysteria de Christo, de filio Dei, sicut Iudas proditor, & Iudęi accusatores intelligunt, aut saltem intelligere deberent, idcirco, qui me tibi tradidit, maius peccatum habet. Obseruandum igitur nobis est ex hoc loco, ꝙ etsi omnia peccata sunt abominanda, tamẽ alterum altero coram Deo grauius est. Maius, inquit, peccatum habet. Si autem alterum peccatum altero maius & grauius est, certe erit etiam supplitium alterum altero grauius. Tyro, inquit, & Sidoni tolerabilius erit in die iuditi, ꝙ uobis. Et iterum: Seruus qui cognouit uoluntatem domini, & non se prępарauit, nec fecit secundum uoluntatem eius, plagis uapulabit multis. Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, uapulabit paucis. Prestabit igitur, inquies, esse imperitum Ethnicum, ꝙ peritum et malum Christianum? Ego uero aliquid amplius dico, præstat esse porcum, ꝙ malum Christianum, imo prestaret non esse natum, Sicut & Christus de Iuda dixit: Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Tanto exitio est, uoluntatem Dei scire, & tamen non obsequi. Non abutamur igitur uocatione nostra, sed cognoscamus Euangelion Christi diligenter, ex quo discamus uoluntatem Dei, ut amplectamur Christum fide, & inuocemus nomen DOMINI ex fide, ac studeamus bonis moribus fidem nostram testificari, per Iesum Christum DñM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA

HOMILIA LXII.

TSI Pilatus hactenus constanter pugnauit cum pertinacia Iudæorum, & excogitauit uarias rationes, quibus Iesum Christum à furiosorum impetu & ferocia liberaret, tamen animus eius non munitus uera pietate, labefactatur tandem improbitate Iudæorum, ut suscipiat Christum, quem tamẽ antea innocentem pronuntiauerat, morte condemnandum. Sic enim Euangelista scribere pergit: Ex eo quærebat Pilatus absoluere eum. « Iudæi autem clamabant, dicentes: Si hunc absolueris, non es amicus « Cæsaris. Quicunq; se regem facit, contradicit Cęsari. Pilatus autem, « cum audisset hunc sermonem, produxit foras Iesum, sedit q; pro tribu « nali, in loco, qui dicitur Lithostrotos, hebraïce autem Gabbatha. Pri « usq; pergamus ad exponendam sententiã Pilati aduersus Christum, consideranda uenit uirtus eius, quam ad liberationem Christi exercere cæpit. Reprehensus enim erat haud obscure à Christo, & accusatus peccati. Qui me tibi tradidit, inquit Christus, maius peccatum habet. Ergo habes & tu peccatum. Et tamen tantum abest, ut Pilatus hãc reprehensionem impotenti animo ferat, & contumeliosus sit in Christum, ut potius excitetur ad quærendas alias occasiones, quibus Christum ab insania Iudæorum uindicet. Etsi autem hæc uirtus non est firma in impio Ethnico, tamen meretur suam laudem, & commendationem. Alius quispiã magistratus à captiuo suo reprehensus, uix temperasset sibi à pugnis. Pilatus autem tam generoso animo fert reprehensionem à captiuo, ut etiam benefacere ei cupiat. Ad hanc uirtutem uocat nos Salomon: Qui diligit, inquiens, disciplinam, diligit scientiam: Qui autem odit increpationes, insipiens est. Et iterũ: Stultus irridet disciplinam patris sui. Qui uero custodit increpationes, astutior fiet. Non potest autem hęc uirtus in nobis uere syncera & constans esse, nisi uere agnoscamus peccatum, & naturalem nostram insipientiam ex peccato propagatam. Quare meditemur in lege DOMINI, ut agnoscentes ex ea peccatum & stultitiam nostram, æquo animo feramus sapientum seu piorum increpationes. Sed uide mihi arietẽ, quo concutitur, & deijcitur animus Pilati. Si hunc, inquiunt, absolueris, non es amicus Cęsaris. Quicunq; se regem facit contradicit Cęsari. Hæc obiectio magnam habet speciem, quę imprudentis animum plurimum cõmouere potest. Non enim dubium erat, quin Iesus dixerat se esse Christum, seu Regem. Pilatus autem cum militibus in hunc usum à Romano Cæsare in Iudęa ordinati erant, ut prouideret, ne quis sibi regiam maiestatem aduersus Cæsarem in ea terra usurparet. Quare Iudęi hac obiectione nonnihil dicere uidentur, Sed pro-

fecto non sunt nisi prętextus inuidiæ, & pręstigiæ uerborum. Non sic fauent Cæsari, ut cupiant maiestatem eius in Iudæa saluam, sed sic inuident Iesu Christo, ut cupiant eum, quoquomodo possunt, perdere. Et Christus sępe antea, non tam Pilato, ꝙ Iudæis significauerat, se non esse mundanum sed cœlestem Regem, qui magis approbet, ꝙ abroget Romani & aliorũ principum in hac terra maiestatem. Talibus præstigijs incitauerunt principes regem Zidekian aduersus Hieremiam. Rogamus, inquiunt, ut occidatur homo iste. De industria ẽm dissoluit manus uirorum bellantium, qui remanserũt in ciuitate hac, siquidem homo iste, non quęrit pacem populo huic, sed malum. Talibus etiam præstigijs incitauerunt Satrapæ Persarum regem Darium aduersus Danielem. Daniel, inquiunt, non curauit de lege tua, & de edicto, quod constituisti. Talibus præstigijs inflammarunt sacrificuli Ethnicorum suos principes & Monarchas aduersus Christianos. Non dissimilibus præstigijs accendunt etiam hoc tempore Pontifices animos principum aduersus piam doctrinam Euangelij, prętextentes inuidiæ suę ruinam tam Romani Imperij, ꝙ omnis ecclesiasticę disciplinæ. Hęc nobis cognoscenda proponuntur, non tam ut admoneamur de ueteri ingenio Satanæ, qui est mendax & pater mendacis, ꝙ ut excitemur ad inuocationem nominis Dei, per Iesum Christum DOMINVM nostrum, quo ad deprehendendas pręstigias Satanæ & organorum eius, donemur spiritu sancto, & effugiamus dolos ac laqueos omnium pię doctrinę aduersariorum. Sed agite, uideamus Christum filium Dei, flagellatum, consputũ, & spinis coronatum ex prętorio prodire, & ad tribunal Pilati statui, ut qui uenerat ad seruãdos homines in morte, ab hominibus morte condemnetur. Produxit (inquit) foras Iesum, seditq; pro tribunali in loco, quem uocant λιθόστρωτον, quod nobis significat, lapidibus constratum. Hebraïce autem גבתא Gabbatha, quod significat altitudinẽ seu locum excelsum. In hunc igitur locum ascendit Pilatus, & sedit pro tribunali. Quid facturus? Damnaturus filium Dei morte. Hoc nihil noui est, sed in hoc seculo usitatum, q; filius Dei damnetur in locis excelsis, hoc est, in regnis huius seculi, & à potestatibus sublimioribus. An non statim ab initio multiplicati populi Dei in Ægypto, rex Pharao dicit: Quis est DOMINVS, ut audiam eum, & dimittam Israel? Nescio DOMINVM, & Israel non dimittam. An non Ahab rex Israelis ueros Prophetas, qui de filio Dei uẽturo uaticinabantur, ita persecutus est, ut alij quidem interficerentur, alij in spelęis occultarentur? An non Rex Babylonius abijcit pios adolescentes in ignem, q; filium Dei, non statuam filij hominis adorarent? Quid dicã de Antiocho? Quid de alijs impijs regibus et regnis? Longum etiã esset cõmemorare eos

Hiere. 38.

Danie. 6.

reges

reges & principes, & illa regna ac imperia, quæ postq; Euangelion Christi uulgatum est in orbe terrarum, sequierũt in Ecclesiam filij dei, ut nihil manifestius sit, q; filiũ dei solere in Gabbatha, hoc est, in excelsis locis, seu a sublimioribus potestatibus & magistratibus damnari. De quare idcirco Ecclesia Christi admonenda est, non ut contemnat sublimiores potestates. Quæ sunt potestates, inquit Paulus, a deo ordinatę sunt, sed ne offendatur, cum potentes huius seculi damnant & persequantur piam doctrinã Euangelij filij dei, & ut sciat, conseruationem & defensionem suam collocatam esse, non in principibus huius seculi, nec in filijs hominum, in quibus non est salus, sed in solo DOMINO deo nostro, per unigenitum filium suum Iesum Christum, qui dixit: Non relinquam uos orphanos. Et, uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationẽ seculi. Sed pergamus in historia. Erat autẽ Paraseue Paschę, hora ferme sexta, hoc est, post tertiã, ut Marcus scribit, sed ante sextam. Et dicit Iudęis: Ecce rex uester. Et si Pilatus iam instituerat obsequi furori Iudæorum, tñ facit adhuc periculum ostensione tam miserabilis spectaculi, quod Christus conspu tus & flagellatus de se præbebat, si forte animi eorum mitigarentur. Nam quod Pilatus dicit, hanc sententiam habet. En hominem longe omnium miserrimum, & abiectissimũ. Itaq; non possum satis mirari, & uestram insaniam, qui in animum uestrum inducere potestis, fieri unq; posse, ut hic uester rex fiat, & huius stultitiã, qui sperare audeat, se a quoq; pro rege agnosci posse. Tã em miser est, & abiectus, ut mihi etiã odio & inuidia honestorũ hominũ indignus uideatur. Quare habenda uobis est uel saltem uestrę honestatis & dignitatis ratio, ut eũ liberũ dimittatis. Sed Iudęi hac uoce magis efferantur, q; cicurantur. Clamant em: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem uestrum crucifigam? Iterum admonet eos insaniæ suę. Si uere hic est rex uester, quis est ille uester tam impotẽs furor, q; quẽ tueri debe retis, eũ ad tam atrox & crudele supplitiu postuletis. Et quo merito eius? Si falso se regem uestrũ prędicauit, quid tam immani odio aduersus hominem nunc plane protritum & conculcatum grassamini? Et quæ est noua illa uestra religio, ut qui antea ultro semper uobis regẽ quæsiuistis, ita ut necesse habuerim uos armis cõpescere, nunc eum, qui se regem uestrum profitetur, tam pertinaciter reijciatis? Respon-
derunt Pontifices: Non habemus regem, nisi Cæsarem. Hęc Iudęorũ & Pilati altercatio de Iesu Christo non est oscitanter prætereunda. Nam proponitur hoc loco Iesus Christus longe omnium cõtemptissimus, ac plane talis, qualem eum describit Esaias cap. liij. Non est ei, inquit, species, nec decor: Vidimus eum, sed nulla erat forma, quæ efficeret, ut desideraremus eum. Despectus & nouissimus uirorum,

plenus doloribꝰ. & infirmitatibus. Adeo contẽptus, ut auerterent uultus ab eo, ideoq; nõ reputauims eũ. An hoc nõ est, pro nouissimo uirorũ, spectandus obtrudi, cũ tam cõtemptim dicit: Ecce rex uester. Et regẽ uestrũ crucifigã? An nõ hoc est, auertere uultus ab eo, de quo clamat: Tolle, tolle, crucifige eũ. Sed bene habet, Christus suscepit hãc humiliationẽ nõ suo aliquo merito, sed ut nostra pcta corã deo patre suo expiaret, & quẽ nunc uidemus tam cõtemptim proiectũ, eũ uidebimus paulo post exaltatũ ad tantam maiestatẽ, ut subiiciant ei omnia cœlestia, terrestria & inferna. Porro, qualis hoc loco Christus apparet in oculis hominum, talis etiam solet uera Ecclesia Christi esse in oculis huius mundi. Velut excrementa mundi, inqt Paulus, facti sumus, oĩm reiectamentũ ad hunc usq; diem. Quid ergo? Num abiiciamus animum, quia abiicit nos mundus, & auertit uultum suum à nobis? Quin potius erigamus animũ, & gratulemur nobis, q; digni habeamur conformes fieri imagines filij dei in his terris, ut etiã conformes fiamus imaginis eius, in regno cœlesti. Sed reuertamur ad Iudæos, & Pontifices eorũ. Non enim existimandum est, q; his uociferationibus: Tolle, tolle, crucifige eum. Et: Non habemus Regẽ, nisi Cæsarem, cõiiciant sese in simplex malũ, sed quia sunt Pontifices, penes quos erat summa autoritas Iudæorum, repellunt & reiiciunt à se, non suo tm̃ ipsorũ uerumetiã totius gentis suæ nomine uerum Messiam, ideoq; sunt autores internitionis tam suæ ipsorũ, q; oĩs posteritatis eorum. Hi sunt ędificatores illi, de quibus contionat psal. cxvij. qui cũ reprobent lapidẽ angularem, effitiunt, ut totum ædificium eorũ corruat. Cum em̃ abiiciunt & negãt hic coram Pilato uerum regem, Christum, seu Messiam suum, abiiciunt uicissim & ipsi, ne sint amplius populus Messiæ, sed pateant direptioni non solum regum & Monarcharum huius seculi, uerumetiã omnium diabolorũ. Hoc illud est q̃d Moses de ipsis dixit: Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es DOMINI creatoris tui: Vidit DñS, & ad iracundiã concitatus est, ꝙa prouocauerunt eũ filij sui, & filię. Et ait: Abscondam faciẽ meã ab eis, & cõsiderabo nouissima eorũ. Hæc & causa illa est, propter quã tam pauci Iudæi, etiam his temporibus, quibus Euangelion de Christo perspicue reuelatum est, Christum agnoscunt. Nam adhuc efficax in eis est uociferatio maiorũ suorum, qua reiecerunt coram Pilato uerum regem & Christum suum, ac subiecerunt se alienis regibus, quorum tyrannide postea sunt & deleti, & in totum orbem dispersi, ut etiam his temporibus circũeant & famem patiantur, ut canes. Sed quod Pilatus antea parturijt, iam uel tandem parit. Dicit enim Euangelista: Tunc ergo tradidit eum illis, ut crucifigeretur. Hæc est uirtutum Pilati catastrophe. Hactenus uisus est innocentem fortiter tueri,

& mul

& multa eum humanitate cõplecti. Nunc autem damnat, & tradit eũ, quem ipse pronuntiauerat innocentem, crucifigendum, hoc est, probrosissima morte occidendũ. Sic sunt uirtutes Ethnicorũ, ac eorum, qui non sunt uera spiritus sancti uirtute pręditi. Non constant in humanis tentationibus, & constarent in iuditio diuino? Quid, ꝙ nec piorum uirtutes possunt diuino iuditio opponi, quanto minus uirtutes impiorũ? Etsi autem fieri non potuit, quin conscientia Pilati reclamauerit, in hac innocentis condemnatione, propterea quòd gentes, quæ legem non habent, natura faciant, ut Paulus ait, quæ legis sunt, hoc est, habeant scelerũ accusationem in conscientia sua, tamen prudẽtia carnis finxit sibi excusationem, aut etiam iustificationẽ. Condemno innocentẽ, Sed quia habetur ab omnibus extremo odio, fortassis non est tam innocens, ꝙ mihi uidetur. Condemno innocentẽ, Sed ni si hoc fecero, coniũctio non me tantum, uerumetiam uniuersam gentem Iudaicam, & tot millia innocentum, in extrema pericula. Video enim oriri tumultum ac seditionem, in qua possent multi innocentes crudeliter trucidari. Melius igitur est, ut unus innocens ꝙ ut multi innocentes pereant. Condemno innocentẽ, sed coactus importunitate Iudæorum. Condemno innocentẽ, sed in eorũ gratiam, qui in se & posteros suos culpam facti, si quid hac in re peccetur, transferant. Et quis posset omnes impiæ prudentię excusationes ac iustificationes enumerare? Sed uno & altero Pauli uerbo hęc omnia retundunt. Non sunt facienda mala, ut eueniant bona. Et: Digni sunt morte, non solũ qui talia faciunt, uerumetiã qui assentiuntur ijs, qui faciunt. Vide aũt mihi summã rerum iniquitatem. Iudex uiuorum & mortuorum, iudicatur ab hominibus impijs. Autor uitæ, condemnatur morte. Quid potest iniquius cogitari? Quomodo terra & cœlum possunt tantam iniquitatẽ ferre? Sed terra iamdudum assueta est subijci uanitati, & ferre impiorum crudelitatem ac immanitatem aduersus filiũ Dei & cohęredes eius, idq; minime uolens, sed congemiscens, & parturiẽs, donec ueniat tandem tempus liberationis. Deus aũt è cœlo cõniuet ad tantã iniquitatẽ, non quòd approbet eam, sed ut absoluat redemptio humani generis. Iam ne Christus quidem ipse ad tam iniquã iudicis sententiã remurmurat, quia tradidit, ut Petrus ait, uindictam ei, qui iudicat iuste, & uoluit pcta nostra perferre in corpore suo super lignum, quo peccatis mortui, iustitiæ uiueremus. Acceperunt autem Iesum, & abduxerunt, atq; is baiulans crucẽ suam, exiuit in eum locũ, qui dicit Caluaria, hebraice aũt גלגלתא golgoltha, (quod significat cranium capitis) ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc & hinc, medium aũt Iesum. Alij Euangelistę satis copiose describunt, quid in abductione Christi ad Caluariam dictũ & gestum sit. Nos,

quia hæc in Luca expoſuimus, perſtringemus nunc ea tantum, quę Ioannes cõmemorat. Dicit ergo Ieſum abductum baiulaſſe ſuam crucẽ, quę tamen poſtea impoſita eſt Simoni Cyrenæo, ut Lucas dicit. Non aũt dubito, quin, cum Ioannes ſcribat, Chriſtum initio baiulaſſe ſuam crucem, reſpexerit in eam hiſtoriã, quę de immolatione Iſaac ſcripta eſt, & ſignificare uoluerit nunc uere in Chriſto impleri, quod tunc in Iſaac fuit adumbratum. Abraham eñ abducens filiũ ſuum Iſaac ad ſacrificiũ, impoſuit ei ligna holocauſti. Nunc aũt uerus incedit Iſaac, Ieſus Chriſtus dñs noſter, ligno crucis ſuæ onuſtus, ut ipſe fiat in eo holocauſtũ pro peccatis humani generis. Ac hæc quidẽ ligni moles, per ſe non fuit leue onus, nos autem non debemus hoc lignum iuxta externam tñ grauitatẽ conſiderare, ſed multo magis iuxta eam grauitatem, quam habuit ex peccatis. Fuerunt eñ coram deo in hoc lignum impoſita omnia hoĩm peccata, quorum tanta eſt grauitas, ut totum humanũ genus ad infernũ uſq; deprimãt. Suſcepit igiť filius dei ſuper ſe hanc molẽ, ut redderet eã ſua geſtatione leuiorem, ut quicũq; in ipſum credit, non opprimereť, ſed ſeruaretur. Sunt qui nugantur, non Ieſum, ſed Simonem Cyrenenſem crucifixũ eſſe. Sed etſi Simon Cyrenenſis aliquandiu crucem portauit, tamen non geſtauit pc̃tã hominũ, & ſatis luculenta ſunt teſtimonia Euangeliſtarum, ac oĩm Apoſtolorũ, ac reliquorum ſpectatorum, q̃ non Simon pro Ieſu, ſed Ieſus pro ſalute totius humani generis cruci affixus ſit. Sunt qui tradiderũt, Adamum, primum parentẽ noſtrũ, ſepultum fuiſſe in eo loco, qui uocatus ſit Golgoltha, ideoq; diuinitus ſit ordinatũ, ut Ieſus ad redimendum & excitandum Adamum, in eo loco ſit crucifixus. Sed apparet eos, qui primi hoc finxerunt, uoluiſſe, hac fabula ſignificare, Ieſum Chriſtum conſecraſſe cruce ſua ſepulcrum Adami, ut etſi Adam mortuus eſt & ſepultus, ac traxit ſecum in mortem & ſepulcrum uniuerſum humanum genus, tamen poſtq; Chriſtus crucifixus eſt, conſecutus ſit Adam, & omnes pr̃j Patriarchæ, deniq; quotquot Euangelio de Chriſto crediderunt, uerã uitam, & perpetuã ſalutẽ propter Chriſtum. Paulus apoſtolus ad Corinthios ſcribens: Non iudicaui, inqt, me inter uos q̃q; ſcire, pr̃eter Ieſum Chriſtum & hunc crucifixum. Hic ergo, cum uidemus & ſcimus Chriſtum in Golgoltha crucifixũ, conſiderandum nobis eſt, quid tñ uideamus, & quid ſciamus. Chriſtus eñ in cruce pendens, non ſic aſpitiendus eſt, quemadmodum humana ratio de aliena cruce & morte iudicat, ſtultum uidelicet eſſe, ſperare alterius morte ſalutẽ, ſed quemadmodum Chriſtus ipſe & Apoſtoli eius docẽt. Apud Ioannem cap. iij. dicit Chriſtus: Sicut exaltauit Moles ſerpentẽ in deſerto, ita oportet exaltari filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, nõ pereat, ſed habeat æternã uitam. Videmus

Gen. 22.

autem

ãntem nunc filium hoīs, hoc eſt, Ieſum Chriſtum in cruce exaltatum. Quid ergo uidemus? Num inutile pondus terrę? ſic quidē uiſum eſt impijs ludęis. Nos aũt uidemus talem à deo nobis propoſitum, ut oīs qui credit in eum, non pereat morte, ſed conſequaẽ propter ipſum perpetuam uitam. Hoc certe eſt uidere, non hoiem pereuntem, ſed deum ſeruatorem. Deinde dicit Chriſtus aliàs: Ego ſi exaltatus fuero, omnia traham ad meipſum. Rem admirandam. Alij cruce exaltati, abigunt à ſe oīa, quippe qui ſint abominabiliores, q̃ quos iucundo uultu, & ſerena fronte aſpicias. Chriſtus autem cruce exaltatus oīa ad ſe trahit. Affert enim cruce ſua ſalutem non ſolum ludęis, ſed etiam gentibus, hoc eſt, uniuerſo humano generi. Vnde & Paulus ait: Ipſe eſt pax noſtra, qui ex utriſq; unum fecit, diruens interſtitium macerię, & abolēs carne ſua, inimicitiam, uidelicet legem, decretis conſtitutam, ut ex duob. conderet in ſemetipſo unum nouum hominē, & faceret pacē, ac reconciliaret deo ambos in uno corpore, per CRVCEM. Hoc eſt omnia, uidelicet, tam ludęos, q̃ gētes, ad ſe trahere. Aſpiciamus igitur Ieſum in cruce exaltatum, non ut ſubducentem brachia ſua in ſinũ ſuum, ſed ut expandentem brachia ad utrunq; genus hominum, ludęos & gentes, ac offerentem benefitia ſua uniuerſo humano generi. O nos fœlices, quibus filius dei benefitia ſua tam liberaliter offert. O nos miſerrimos, ſi cœleſtia benefitia offerentem, impietate & ingratitudine noſtra reijciamus. Præterea, Lex dicit, & repetit Paulus ad Galatas ſcribens, Maledictus omnis, qui pendet in ligno. Videmus autem nunc Ieſum Chriſtum, unigenitum & ęternum filium dei pẽdere in ligno. Quid igitur uidemus? Num hominem maledictũ? Sic quidem uerba legis eum nobis obtrudunt, & ſic impij ludæi ſentiebant. Sed cum ipſe ſit ſemen illud Abrahæ, in quo omnes gentes benedicantur, uidemus redemptorem noſtri à maledicto. Sic enim Paulus docet: Chriſtus, inquiens, redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictũ. Deinde, cum aſpicimus Ieſum Chriſtum in ligno crucis pendere, intuendum erit, non in illud tantum, quod corporales oculi uident, ſed quod ſpiritualibus oculis intuendum propoſitum eſt. Cum eñ Chriſtus affigereẽ ligno à crucifixoribus ſuis, non eſt ipſe interea otiatus, ſed affixit ſecũ chirographũ noſtræ, quo fatemur noſtra pcta, & obligamus nos ad ęternã damnationẽ. Affixit aũt illud ſecum, ut ſanguine ſuo deleret, & obligationẽ noſtrã ſolueret. Donauit, inquit Paulus, nobis omnia peccata, & deleuit chirographũ, q̃d erat aduerſum nos, & q̃d decretis excitatũ, cõtrariũ nobis erat, hoc, inquã, chirographũ ſuſtulit è medio, & affixit cruci, uidelicet, ut ſanguine ſuo deleret, ac aboleret. Poſtq̃ eñ decreta legis reuelãt nobis pcta noſtra, tunc cõſcientia ipſa noſtra, uelut chirographũ, teſtificaẽ contra nos, q̃

Ioannis .b.

Eph .2.

simus peccatores, & simus obnoxij perpetuæ damnationi, propter peccata. Hoc illud chirographum est, quod Christus secū in crucem detulit, & obliterauit. Quare intuendo Christum crucifixū, intueamur in hāc chirographi nostri liturā, ut cognoscamus nos uere à peccato, & potestate Satanæ redemptos, & gratias agamus redemptori filio Dei, non uerbis tm̄, uerumetiā totius uitę nostrę obedientia. Postremo, necp hoc frustra ab Euangelista recitatur, & Iesus crucifixus sit medius inter duos latrones. Crucifixerunt, inquiens, cum eo alios duos, hinc & hinc, medium aūt Iesum. Quid autē hoc sibi uelit, Marcus clare exponit, cum ait: Crucifigunt cum eo duos latrones, unum à dextris, & alium à sinistris eius. Et impleta est scriptura, quæ dicit: Cum iniquis reputatus est. Est aūt innocenti grauissimus animi dolor, in sceleratorū catalogo prȩcipuus recēseri ac reputari. Sed uoluit filius dei, etiā hunc dolorē suscipere, partim ut declararet summā suam obedientiā erga patrē suum, qui sic antea decreuerat, & per Esaiā significauerat, & reputandus esset cum sceleratis, partim ut doceret, in quē usum crucifigerēt. Nam quales sunt hi duo latrones, in quorȝ medio pendet Christus, tale est uniuersum humanū genus. Omnes em̄ peccauerunt: Non est, qui faciat bonum, non est usq; ad unum. Et si enim non omnes contaminati sunt externis latrocinijs, coram hominibus, tamen coram deo oēs sunt rei uiolatę legis, & obnoxij non tm̄ externis supplitijs in hoc mundo, sed etiā perpetuę damnatiōi in inferno. Pendet igit filius dei, medius inter hos latrones, ut significaret, se crucifigi, non ꝓpter iustos, quales in terra nō inuenit, sed propter pctōres, quales sunt omnes hoīes. Sed hic uide mihi longe diuersum euentū in his latronibus. Eadem est causa eorȝ, sed non est idem euētus. Alius em̄, resipiscit, agnito Christo, in cruce, & cōsequitur iustitiā, ac remittit ad paradisum. Alius aūt, cumulat in cruce scelera sceleribus, & remittit ad infernū. Hæc est imago uniuersi humani generis, in quo alij quidem agnoscunt Christum, & cōsequunt salutē per fidem propter Christum, alij aūt contemnunt Christum, & pergunt in peccatis manere, & ad perpetuā internitionē ire. Quod cum ita se habeat, fugiamus cætum contemptorum Christi, coniungamus aūt nos cum ijs, qui agnoscūt Christum, ut cum ipsis in paradisum ingrediamur per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Desunt adhuc duæ Homiliæ, quibus absoluatur historia passionis Christi in Ioanne, sed quia hæc omnia tractata sunt in Homilijs, quas autor scripsit in Lucam, non habet Lector, quod conq̄ratur, præsertim hoc tempore non licuerit autori adesse prælo.

CAPVT

CAPVT XX.

HOMILIA LXIII.

Ielectus ille ſeruus Dei, Moſes, recitatu-
rus miracula, quę Deus in populo ſuo Iſra
elitico ædiderat, & uaticinaturus, quæ hu
ic populo extremis temporibus euentura
eſſent, excitat ad attentionem, non unũ ali
quem hominum cætum, ſed cœlum & ter
ram: Audite, inquiens, cœli, quæ loquar,
audiat terra uerba oris mei, multo æquius
uniuerſa rerum creatura, ſi fieri queat, ad
audiendum excitanda eſſet, in commemoratione Reſurrectionis DO
MINI noſtri Ieſu Chriſti. Etſi em̃ multa, & inſignia miracula in his
terris diuinitus ędita ſunt, Reſurrectione tamen Ieſu Chriſti filij dei
a' mortuis, nullum unq̃ nec maius, nec illuſtrius, nec utilius miracu-
lum iam inde ab initio orbis terrarum factum eſt. Quare, poſthabitis
omnibus rebus, dedamus nos toto animo cognitioni huius miraculi,
ut & gloriã dei perſpiciamus, & ſaluti noſtrę cõſulamus. Sed ut hiſto
riam, quã Euangeliſta noſter Ioannes de tãto miraculo conſcripſit, u-
tiliter audiamus, & ut ſciamus, q̃ neceſſarium ſit, Reſurrectionem Ie
ſu Chriſti certiſſimis ac euidentiſſimis teſtimonijs probatam & con-
firmatam eſſe, exponemus primum oĩm paucis, quantũ in hac Chri-
ſti reſurrectione ſitum ſit. Initio enim non eſt ſentiendum, quòd Ie-
ſus Chriſtus ita a' mortuis reſurrexerit, quemadmodum hi, qui uel á
Prophetis, uel a' Chriſto ipſo ante paſſionẽ ſuam excitati ſunt. Hi em̃
reſurrexerunt iterꝝ morituri. Chriſtus autem excitatus á mortuis non
amplius moritur, ut Paulus ait, mors illi non amplius dominat. De-
inde nõ reſurrexit ſibi tm̃, ſed uniuerſæ ſuę Eccleſię. Chriſtus em̃ Ec-
cleſię ſuę caput eſt. Eccleſia aũt eſt corpus, ac membra Chriſti. Si ca-
put reſurrexit, neceſſe habent & corpus ac membra eius reſurrectio-
nis participes fieri. Si Deus, inquit Paulus, pro nobis, q̃s contra nos?
Qui ꝓprio filio nõ pepercit, ſed pro nobis oĩbus tradidit illũ, qui fi-
eri põt ut non cum eodẽ nobis oĩa donet? Donat, inquit, oĩa, quę ſunt
filij eius. Donat igit nobis etiã Reſurrectionẽ eius. Et iterꝝ: Cum eſſe
mus, inq̃t, mortui per delicta, cõuiuificauit nos una' cũ Chriſto, (per
gratiã eſtis ſeruati) ſimulq̃ cũ eo reſuſcitauit, & ſimul cũ eo ſedere fe
cit inter cœleſtes, in Chriſto Ieſu. Recenſeamus igitur quædã benefi
tia Reſurrectiõis Chriſti, ut & intelligamus, quomodo Reſurrectio
ad nos pertineat. Ac unum quidem benefitium eſt, quòd Re-
ſurrectio Chriſti ſit iuſtificatio noſtra coram Deo patre cœleſti. Tra

ditus fuit, inquit Paulus, propter peccata nostra, & excitatus est propter iustificationem nostri. Postq; enim Christus resurrexit à mortuis, non suscepit corporalem & externam uitam inter homines agendam, quemadmodum antea egerat, sed consedit ad dextram Dei, & intercedit pro Ecclesia sua, ac impetrat etiam, ut Deus pater reputet propter ipsum uniuersam Ecclesiam suam iustam, & sanctam. Itaque Resurrectio Christi est iustificatio nostra coram Deo. Aliud benefitium est, quòd Christus resurrectione sua sedit ad dextram patris, ut mittat spiritum sanctum in corda nostra, quo regeneremur, adoptemur in filios, ac hæredes Dei, inuocemus Deum ut patrem, & mortificemur carne, ut in nouitate uitæ ambulemus. Aliud benefitium est, q̃ cum Christus resurrectione sua sedit ad dextram patris, conseruat & tuetur Ecclesiam suam in omnibus malis, ac in morte quoque ipsa. Accedit postremo & hoc benefitium, quòd Christus suscitat nos potentia resurrectionis suæ, in nouissimo die, ut quotquot in ipsum credimus, unà cum ipso uiuamus & regnemus perpetuo. Si credimus, inquit Paulus, quòd Iesus mortuus est, & resurrexit, sic & Deus eos, qui obdormierunt per Iesum, adducet cum illo. Et iterum: Quemadmodum per Adam omnes moriuntur, ita & per Christum omnes uiuificabuntur, unusquisque autem in proprio ordine, primitiæ Christus, deinde ꝯ qui sunt Christi in aduentu ipsius. Vides quanta benefitia contingant nobis per Resurrectionẽ Christi. Sed hæc oĩa essent uanissima somnia, si Christus non resurrexisset à mortuis. Et ut perspicue Paulus dicit, Si Christus non resurrexit inanis esset prædicatio nostra, inanis fides nostra, adhuc essemus in peccatis, & perijssent, qui obdormierunt in Christo. Et si in hac uita spem in Christo tm̃ fixam habemus, maxime miserabiles omnium hominum sumus. Quare summa necessitas urget, ut Resurrectio Christi manifestissimis ac certissimis testimonijs confirmetur. Hac enim confirmata, confirmabitur etiã ueritas & certitudo omnis salutis nostræ. Considerandum igitur est, q̃ præcipuũ Resurrectionis Christi testimoniũ sunt uaticinia, quæ Prophetę spiritu sancto afflati de ea prędixerunt. Christus em̃ non ita à mortuis ex improuiso resurrexit, q̃ antea de ea resurrectione nihil in Ecclesia Dei constiterit, sed Prophetæ adnuntiarunt eam perspicue, Contionati sunt Christum moriturum, & tamen ꝑpetuo regnaturꝝ. Hęc certe manifesta est significatio de resurrectione eius. Dauid ait: Prouidebã Dñm corã me semper, quoniã à dextris est mihi, ne cõmouear. Propter hoc lętatũ est cor meũ, et exultauit lingua mea insup̃, & caro mea requiescet in spe: Quoniã non derelinques aĩam meã in inferno, nec sines ut sãctus tuus uideat corruptionẽ. Notas mihi feciſti uias uitę, replebis me iucũditate cũ facie tua. Nam

hunc

hunc psalmum contionari de Resurrectione Christi clare testantur Petrus & Paulus. Audiamus & Micham: Ascendet, inquit, ante eos pandēs iter, seu Perruptor, ac perrumpent ipsi quoq;, & ingredient ac egredient per portam. Rex eorū præibit eis, & DOMINVS erit dux eorū. Hęc contio Michę, non solum docet Christum perrupturū per crucē & mortem ad cœlestem uitam, hoc est, resurrecturū à mortuis, uerumetiam effecturum sua resurrectione, ut quotquot in ipsum credunt, unà cum ipso perrupturi sunt per omnia genera malorum, ad uerā & perpetua bona. Nec ipsam tantum Resurrectionem Christi docuerunt Prophetæ, sed etiam tempus, tertium uidelicet diem, quo Christus sit resurrecturus, significarunt. In Osea enim dicunt pñ: Venite reuertamur ad DOMINVM, quia ipse apprehendit nos, & sanabit, percussit & curabit nos. Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & uiuemus in conspectu eius, hoc est, Resurrectio Christi, quæ fiet tertia die, erit etiam nostra uiuificatio, suscitatio, & redemptio. Nam q; Ionas tertio die è uentre ceti liberatus adumbrauerit Resurrectionem Christi tertia die à morte fiendam, Christus ipse testificatur. Cum igitur hæc Prophetarum testimonia conferuntur cum his, quibus postea Christum uere à mortuis resurrexisse probatur, maximum certe pondus confirmationis habent. Deinde contionatus est & Christus clare de sua resurrectione, priusquam morti traditus est: Soluite, inquit, templum hoc, & in tribus diebus reędificabo illud. Et iterum: Filius hominis tradetur gentibus, & postquam flagellauerint occident eum, ac die tertia resurget. Et rursus: Scriptum est, percutiā pastorem, & dispergentur oues gregis. Postq; aūt surrexero, præcedam uos in Galilæam. Atq; hęc & id genus alia, dicta sunt antecq; Christus à mortuis resurgeret, imo antequam moreretur, ut manifestum sit, Resurrectionem eius spiritui sancto haudquaquam fuisse ignotam. Postquam uero iam a mortuis resurrexit, non ita sese ex oculis hominum proripuit, ut sibi soli nota esset resurrectio, sed reuelauit eam quasi gradibus quibusdam, & selegit sibi quadraginta dies, in quibus non solum proposuit se discipulis suis, plusquam quingentis, conspitiendum & cōtrectandum, uerumetiam collocutus est cum ipsis familiarissime, & docuit eos de regno Dei, de uera & æterna uita, clarissime. Nec ipse solum resurgere uoluit, sed excitauit etiā secum multos pios Patriarchas, qui egressi è monumentis, ut Matthæus ait, post resurrectionem eius uenerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis, profecto, minime muti, sed colloquentes de uera piorum iustitia, & perpetua eorum in Christo fœlicitate. Quæ omnia huc respitiunt, ut non tm resurectio Christi certissimis testimonijs confirmaret, uerumetiā ęterna piorū

Act. 2. Act. 13. Mich. 2.

uita & beatitudo probaretur. Audiamus igitur huius tanti miraculi reuelationem, & cõfirmationem. Initio autem proponitur & ostendi
„ tur sepulcrum uacuum. Primo die, inquit Ioannes, Sabbati (seu heb-
„ domadę, qui est is dies, quo Iesus à mortuis surrexerat) Maria Mag-
„ dalenę uenit mane, cum adhuc tenebrę essent ad monumentum, ui-
„ detq; lapidem sublatum à monumento. Quis autem lapidem reuol-
uerit, Matthęus exposuit: Terræmotus, inquiens, factus est magnus, Angelus enim DOMINI descendit de cœlo, & accedens deuoluit la-
„ pidem ab ostio, sedebatq; super eum. Cum ergo Maria Magdalena
„ uideret lapidem deuolutum, existimauit Iesum esse e monumento sub-
„ latũ. Et currit & uenit ad Simonem Petrum, & ad alterę illũ discipu-
„ lum, quem amabat Iesus, & dicit illis: Sustulerunt dominum é monu-
„ mento, & nescimus ubi posuerint eum. Alij Euangelistę scribunt alias quoq; mulieres egressas, ut ungerent Iesum. Sed ex hoc Ioannis loco apparet Mariam Magdalenam, relictis post se alijs, primam omnium & solam, cum adhuc tenebrę essent, ad monumentum uenisse, alias autem orto iam Sole secutas. Obsecro igitur te, quid est, q; Christus maluerit initio resurrectionem suam mulierculis, cq; uiris patefacere? ac inter mulierculas, primæ omnium Magdalenæ? cur non potius matri suæ? Hoc certe haudquaq; temere factum esse credamus. Primum enim uoluit Christus, ut mulieres primæ cognoscerẽt, quid de sepulcro ageretur, ne quid sinistrę suspitionis oriretur de amoto lapide, & sublato corpore Christi. Mulierculę enim imbecilliores erant, cq; ut potuerint tantam molem amouere, pręsertim militibus sepulcrum custodientibus. Deinde, manifestum est, q; mors primũ omnium orta est per mulierem Euam. Voluit igitur Christus, ut & uita primum per mulieres adnuntiaretur. Prętera mulicbre genus contemptum est & abiectum coram humana prudentia. In lege Mosi, si quis maritus odio haberet uxorem suam, licebat ei leui admodum de caussa libellum repudij dare, & á se abijcere. Quidam é sapiẽtibus
Euripides. huius seculi, de mulierum genere ita ait, Si deùm aliquis mulierem formauit, is sciat se maximum esse opificem malorum, & hominibus
Menander. maleuolum. Et alius: Vbi mulieres, ibi omnia sunt mala. Honorat igitur Christus muliebre genus prima resurrectionis suę reuelatione, ut perspicuum fiat, q; etsi mulieres uidentur coram hominibus abiectæ, Deus tamen maximam habeat earum rationem, ut & ipsę sint, cohæredes, quemadmodum Petrus ait, gratiæ uitæ. Huc accedit, q; & hoc genus sit infirmum, & imbecille, ac aduersis facillime & grauissime perturbari soleat, ut appareat mulieres, quę cum Christo é Galilęa profectæ fuerant, uehementissimo animi dolore propter ignominiam & cruciatus eius, maxime omnium perculsas esse. Voluit er-

it ergo Christus his primum resurrectionem suam notam fieri, & cõ solari eas, ut testaretur, q̃ quo quis afflictior est, hoc sibi magis sit curæ. Quod autẽ primo reuelat seſe, quantum quidem scriptura tradit, non Mariæ matri suę, sed Marię Magdalenę, hoc idcirco factum apparet, ne uideretur respicere corporalem prerogatiuam, aut consanguinitatem, ac ne iudicaretur esse personarum acceptor, sed ut significet se propter peccatores uenisse, & à mortuis resurrexisse. Hęc enim illa Magdalena est, de qua Iesus septẽ dęmonia eiecerat. Quare apparet ei primũ omnium, ut significet se resurrectione sua uerum esse dæmoniorum uictorem, & à Satana liberatorem. Sed Magdalena nondum intelligit mysterium resurrectionis, ideoq̃ adnuntiat Petro & Ioanni corpus Christi esse sublatum: Exĩt ergo Petrus, & ille alius discipulus, & uenerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcurrit citius Petro, uenitq̃ prior ad monumentum. Et cum se inclinasset, uidit posita linteamina, non tamen introiuit: Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum. Et uidet linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutũ in unum locum. Tunc ergo introiuit ille alius discipulus, qui uenerat prior ad monumentum, uiditq̃ & credidit, (uidelicet quod Magdalena dixerat, corpus Christi esse è monumento sublatum) Nondũ enim nouerant scripturam, q̃ oportuisset eum à mortuis resurgere.

In Petro & Ioanne habes quod admireris & imiteris, habes etiã quod reprehendas, & deuites. Petrus, etsi negauerat Christum, non tamen fugit Christum desperatione. In aula Pontificis negauit Christum, & exĩt ex Ecclesia. Postq̃ autem exĩt ex aula Pontificis, iterum intrauit in Ecclesiam. Non enim deserit collegas suos, sed statim coniungit se iterum cum eis, ac præsertim cum Ioanne, qui ipsum antea in aulam Pontificis introduxerat. Itaq̃ nec Christus se ipsi subducit, sed reuelat se ei primo omnium inter uiros, quemadmodũ Lucas & Paulus testantur. Hoc exemplo admonemur, ut etsi peccauimus, non tamẽ fugiamus Ecclesiam Dei, sed properemus ad peccati deplorationem, ut in Ecclesia remissionem eius propter Christum consequamur. Si Petrus post negationem deseruisset cætum collegarum suorum, & cõiunxisset se cũ Phariſęis ac Scribis, putas ne q̃ Christus tam familiariter ei apparuisset? Nunc autem, quia ex aula Pontificis reuertitur ad discipulorum Christi Ecclesiam, fit etiam particeps beneficiorũ, quæ Christus in Ecclesiã suam confert. Non enim ulla est uera salus, extra Christi Ecclesiã, cuius membra sunt, non hi, qui uulgo tũ iactant se esse Christianos, aut Ecclesię Christi uel seruos uel amicos, sed qui credunt, solum Iesum Christum esse expiatorẽ peccatorũ no-

strorum, & reconciliatorem inter nos & Deum patrem. Quarē prima nostra cura sit, ut peccatis obruti, reuertamur sine ulla mora per resipiscentiā & fidem ad Ecclesiā Christi. In Ioanne aūt habes exemplum caritatis, ꝙ præse, qui & cum Christo in cruce pendenti manserat, & cui Christus matrem suam cōmendauerat, non contemnit Petrum negatorē Christi, sed complectitur eum humanissime, & currit cum ipso ad monumentū, ut quid de corpore Christi actum sit, unà cognoscant. Hoc illud est, quod postea Paulus monuit: Fratres, inquiens, etiamsi occupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos, qui spirituales estis, instaurate huiusmodi spiritu mansuetudinis, considerans temetipsum ne & tu tenteris. Sed in utroꝙ, Petro uidelicet & Ioanne reprehendendū est, ꝙ cum multa sint argumenta, quę potuissent ipsos de resurrectione Christi admonere, de ea tamen, ne tantillum quidem cogitant. Audiuerant toties Christum ipsum de sua resurrectione cōtionari, & nunc uidebant lapidem monumenti reuolutū, uidebant etiam linteamina & sudaria ibi posita, resurrectionis indices. Quis enim ablaturus corpus Christi, tantillū sibi oīn sumpsisset, præsertim inter armatos custodes, ut soluisset à corpore eius linteamina & sudarium? Et tamen adhuc somniant esse sublatum. Sed addit Ioannes ipse caussam: Nondum, inquiens, nouerant scripturam, quòd oportuisset eum à mortuis resurgere. Magna sacrę scripturæ commendatio. Magna etiam humanæ rationis contemptio. Nam humana ratio, etsi multa habet argumenta diuinarum rerum, tamen in his prorsus cæca est, nisi illustretur luce sacræ scripturę. Multa sunt argumenta in hac rerum natura, quæ perspicue testantur, DEVM esse, attamen humana ratio, præsertim aduersis tentata, Deum esse negat. Multa sunt, quę significant, esse ęternā uitam, sed & hoc negat ratio, si sensu mortis concutiatur. Sic etiam hoc loco multa sunt, quę indicant Christum resurrexisse, sed discipuli tam cæci sunt, ut ea non uideant, quia iudicant iuxta humanā rationem. Hæc enim, etsi sua habet dona, quibus diuinitus prędita est, tamen quia uitiata est peccato originis, tum demum nonnihil ualet, si fuerit sacrę scripturæ, quæ est organon spiritus sancti, discipula, nō magistra, si ancilla, non hera, si serua, non domina. Sola enim sacra scriptura, ea est, quę nobis res diuinas, & salutis nostræ uiam ita exponit, ut si angelus de cœlo aliud nobis adnuntiaret, pro anathemate habendum esset. Quare hanc tanto studio amplectamur, quantę curę nobis esse debet uera Dei & nostrę salutis cognitio, per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA

HOMILIA LXIIII.

IDIMVS heri ſepulcrum Chriſti uacuum, ſepulcralibus tantum faſciis conſtratum, uideamus hodie Angelis impletum, ac reuelata ac uiua Chriſti præſentia ornatum. Diſcipuli enim, Petrus & " Ioannes, poſtq; inuenerunt ſepulcrum uacuum, " abierunt rurſus ad ſemetipſos, hoc eſt, ad hoſpitia ſua: Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit ſe in monumentum, & uidet duos angelos amictos albis, ſedentes unum ad caput, & alterum ad pedes illic, ubi poſuerant corpus Ieſu. Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis: Sustulerunt dominum meum, nec ſcio ubi poſuerunt eum. Hæc cum dixiſſet, conuerſa eſt retrorſum, & uidet Ieſum ſtantem, nec ſciebat q; Ieſus eſſet. Conuerſam autem puto retrorſum, haudquaq; temere, ſed motam repentina adoratiõe angelorũ. Non enim dubito, quin poſtquam duo angeli manifeſte apparentes, uiderint Ieſum, cui datum erat, ut in nomine eius omne genu ſe flectat cœleſtium, ac terreſtrium & infernorum, etiam ipſum manifeſte ſeſe reuelantẽ, ſtatim in genua ſua prociderint, & adoratione ſua teſtati ſint, ſe agnoſcere eum dominum ſuum. Quo ſpectaculo Magdalena excitata reſpicit retrorſum. Et tamen nondum agnoſcit Ieſum: Dicit ei Ieſus: Mulier quid ploras? " Quem quæris? Illa exiſtimans q; hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, " ſi tu aſportaſti eum, dicito mihi, ubi poſueris eum, & ego eũ tollam: " Dicit ei Ieſus: Maria. Conuerſa, (illa & iam ex uoce eum agnoſcens) " dicit ei, Rabboni, quod dicitur Magiſter. Cum autẽ eum ita complecteretur, quaſi non amplius dimiſſura, dicit ei Ieſus: Noli me tangere. Nondum enim aſcendi ad patrem meum, hoc eſt, Noli me tam arcte cõplecti, noli metuere, ne tibi effugiam. Nondum enim ſic me ad dextram patris abſcondi, ut non ſim amplius conſpitiendus, Sed ſelegi mihi quadraginta dies, priuſq; aſcendam in cœlum, & ſubducam me humanis oculis, quibus diebus ſæpe ac multum me uobis conſpitiendum, & contrectandum exhibebo, ut teſtificer me uere à mortuis reſurrexiſſe, & exponam quę ſit uera regni mei maieſtas. Noli igitur me ſic complecti: Sed uade ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad " patrem meum, & patrem ueſtrum, & Deum meum, & Deum ueſtrũ. " Hæc eſt prima oĩm contio, quam Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam habuit. Quare obſeruanda & cõſideranda eſt magna cura & diligentia. Facit aũt Chriſtus ex Maria Magdalena Apoſtolã Apoſtolorũ. Iubet ẽm eam nuntiare Apoſtolis & diſcipulis, quos fratres uocat, ſe aſcendere ad patrem. Quibus uerbis cõmonefacit eos primũ, pſalmi uiceſimi ſecundi, in quo Chriſtus uocat diſcipulos ſuos, Fratres: Nat

rabo, inquiens, nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Deinde commonefacit eos psalmi quadragesimi septimi, & sexagesimi septimi, in quibus spiritus sanctus de ascensu Christi contionatur: Ascendit, inquiens, Deus in iubilo, & DOMINVS in uoce tubæ. Et iterum: Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. Iubet ergo Christus hoc nuntio discipulos suos bono animo esse, q̃ ipse nūc, postq̃ resurrexerit à mortuis, in eo fit, ut perficiat omnia, quæ in his psalmis, ac in tota scriptura de ipso & regno eius continentur. Nunciat eis se creaturum ipsos reges et principes terræ. Sic enim psalmus ait: DOMINVS dat uerbum, & exercitum magnum Euangelistarum, Reges exercituum firmo fœdere confœderantur, & pulcritudo domus diuidit spolia. Ac mox: Ibi dominatur inter eos Benlamin paruulus, principes Iuda, cum cætu suo, principes Zabulon, principes Neptalim. Hic per Reges & principes intelligendi sunt Apostoli. Vnde & in illo altero psalmo dicunt: Subiiciet populos nobis, & plebes pedibus nostris. Cum ergo dicit, se ascendere ad patrem suum, & patrem ipsorum, & ad deum suum ac deum ipsorum, significat se implere omnia, quæ scripta sunt, ut ipsi sint fratres & cohęredes sui, quod habeant eundem patrem, & eundem deum, sibi quidem natura, ipsis autem adoptione patrem & deum. Ac breuiter docet his uerbis, quid per Resurrectionem suam efficiat. Nã Christus resurrectione sua intrauit in regnum patris sui, & impetrauit, ut omnes Apostoli eius, & quotquot per Euangelion eorum credunt in ipsum, adoptentur in filios & hęredes dei, ac fiant fratres & cohęredes sui, capiantq̃ cum ipso eandem hęreditatem in cœlesti regno. Hęc paucis quidem uerbis dicuntur, ac sępe & multum in publicis contionibus repeti solent. Sed profecto nihil maius, nihil excellẽtius, nihil quod latius pateat, dici potest. Cogita enim mihi, si principis aut regis cuiusdam terreni filius impetraret à patre suo, ut hominem miserrimum, captiuum, & morti destinatum, nõ solum liberum dimitteret, uerumetiam adoptaret in filium suum, ut fieret naturalis sui filij frater & cohæres, quantum, obsecro, & miser homo exhilararetur, & quantum huic ab alijs omnibus applauderet? Quo ore prędicauit Gentium historię, quòd nonnulli ex obscuro uitę genere, ex fi gulis, ex armentarijs, ex hortulanis creati sint Reges & Imperatores? Sed hanc omnem terrenam fortunam longissimo interuallo superat istud beneficium, q̃ Christus unigenitus & ęternus filius DEI, assumat sibi in fratres & cohæredes suos, homines abiectos, & deus ipse agnoscat eos filios, Primum enim, homo etsi adoptatur ab homine quamuis diuite & potente, non tamen fit hac adoptiõe iustus. Si quis autem adoptatur in filium à deo, is reputatur propter Christum, in

quem

quem credit, ita iustus, ut possit coram seueriſſimo iudicio dei consta re. Deinde, qui adoptatur ab homine diuite ac potente, non donatur spiritu sancto, sed potius concipit spiritum fastus, quo arrogat sibi licentiam faciendi quiduis. Qui autem adoptatur propter Christum à deo, donetur spiritu sancto, quo se tam deo q̄ hominibus in obedientiam subijcit. Adhęc nullus hominum potest alteri sua adoptione conferre tutam defensionem in aduersis. Deus autem, cum suscipit hominem adoptione sua in filium, suscipit etiam eum in tantam curam, ut defendat & tueatur ipsum in omnibus aduersis. Prȩterea, solus is, qui à deo in filium adoptatur, potest eum, ut patrem, uere & ex animo inuocare: Accepistis, inquit Paulus, spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater. Etsi enim alij, qui non sunt adoptati, solent & ipsi deum aliquoties ut patrem appellare, sed hic est sonus sine mente, q̄ Christum unigenitum filium dei, propter quem solum fit uera adoptio, aut contemnunt, aut persequuntur. Deinde, quem adoptat homo, siue ille Princeps siue Monarcha fuerit, eum non reddit tutum à morte. Quem autem adoptat deus propter Christum, is tanta prærogatiua donatur, ut mors ei nunq̄ amplius dominetur. Mors enim eorum, qui sunt in filios dei adoptati, non est mors, sed somnus sed quies, sed uia ad ueram uitam. Qui credit in me, inquit Christus, etiamsi mortuus fuerit, uiuet. Et omnis qui uiuit & credit in me, non morietur inæternum. Sed quid multis opus est? Qui adoptatur ab homine, adhuc obnoxius est propter peccatum, æternæ damnationi. Qui autem adoptatur à deo, hæres est propter Christum æternæ fœlicitatis, & dominabitur perpetuo una cum Christo in cœlesti regno. Quid hac adoptione fœlicius? quid his bonis maius? Et hæc sunt, quæ Christus in nos omnes credentes in ipsum, Resurrectione sua confert. Quare necessarium est, ut pro tanto Resurrectiōis Christi beneficio, quas possumus maximas gratias DOMINO deo patri nostro referamus. Hæ autem referendæ sunt, non uerbis tantum, & publicis laudibus, sed etiam operibus, & priuatis quibusq̄ officijs, ac præsertim caritate proximi nostri. Cum enim deus accensus est sua in humanum genus caritate, ut concesserit filio, quo assumeret sibi homines in fratres & cohæredes suos, exigit etiam, ut homines fraternam inter se caritatem habeant. In hoc, inquit Christus, cognoscent omnes, quod discipuli mei sitis, si caritatem habueritis inter uos mutuam. Cito, inquiunt, assuescas, quod diu facere uelis. In cœlo autem uita transigenda est summa in perpetuum caritate. Necq̄ enim illic ullum erit aut odium aut dissidium. Quare si ad cœlestem uitam aspiramus, necesse est, ut in hac terrestri uita exerceamus nos in caritate. Deus, inquit Ioannes, caritas est. Quomodo autem sperabit se apud Deum in cœlesti

regno perpetuo commorari posse, qui in hac terra non nisi inuidiæ, odio, rixis, cõtentionibus obnoxius est? Et quis pollicebitur sibi cum Christo & Christum agnoscentibus accepturum eandem in cœlo hæreditatem, cui in terra cum nullo hominum cõuenit, sed qui quasi bellum cum omnibus hominibus gerit? Quare quemadmodum Christus iam à discipulis suis discessurus, cohortatur eos grauissime, non uerbis tantum, sed etiam lauatione pedum, ad mutuam caritatem, ita & cum iam primum à mortuis resurrexisset, statim, nomine fratrum, & unius patris ac dei, admonet uniuersam suam Ecclesiam, ut sese mutua dilectione complectantur, & officijs caritatis se inuicem iuuent.

„ Sed redeamus ad Magdalenam. Venit, inquit Euangelista, Maria
„ Magdalena adnuncians discipulis, ꝙ uidisset DOMINVM, & ea
„ dixisset sibi. Mirandum uidetur, ꝙ Christus uoluerit tãtam rem, quæ non est alia maior, per mulierculam apud Apostolos peragere. An deerant ei Angeli? An non ipse potuit primum omnium sese Apostolis reuelare? Sed supra ostendimus causas, cur placuerit Christo Resurrectionem suam initio reuelare mulierculis. Nunc hoc adijciendũ est, quod Christus etiam hoc consilio uidetur mulierem in primam Resurrectionis suæ nuntiam elegisse, ut & hac parte doceret regnum suum non esse de hoc mundo. Nam hic mũdus solet instituta sua gloriosissime inchoare, ac ostentare, Sed desinit tandẽ fœdissime. Quantus est apparatus uel bellorum, uel nuptiarum, uel aliarum pomparum, inter principes huius seculi? Sed quàm turpis, ꝙ infœlix solet esse euentus eius? Christus autem Resurrectionem suam, rem longe omnium maximam, per mulierem reuelare incipit, & tamen peragit & confirmat eam glorioſissime, ut significet regnum suum non esse mundanum, & cohortetur nos suo exemplo, ut geramus nos in omnibus negotijs nostris submisse & humiliter, quo per humilitatem ad sublimitatem excellamur, in Christo Iesu Domino nostro, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LXV.

VM Malachias de Christo filio dei uaticinaretur, tribuit ei cognomen Solis. Orietur, inquiens, uobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ. Quod cognomen congruenter ei tribuitur, cum propter multas alias causas, tum etiam propter modum, quo resurrectionem suam patefecit;

tefecit. Sicut enim Sol oriturus, & diem orbi allaturus, non ſtatim ſe totum conſpiciendum proponit, ſed initio prȩmittit lucem quandam obſcuram, quȩ polliceatur magis diem, ꝙ exhibeat, deinde paulatim proȝcit clariorem ſplendorem, donec emerſus ex inferiori hemiſphȩrio, ac ſuperatis montium cacuminibus aperto cœlo uehitur, & omnia illuſtrat, ita & Chriſtus Reſurrectione ſua clariſſimum diem mundo allaturus, non continuo ipſe diſcipulis apparet, ſed oſtendit uacuum ſepulcrum, quaſi crepuſculum, deinde prȩmittit angelos, reſurrectionis nuntios, donec ſe ipſe uiuum, conſpiciendum & contrectandum proponit, & mentes diſcipulorum ſuorum illuminat. Ac ante quidem recenſuimus apparitionem, quæ facta eſt Mariæ Magdalenæ. Commemorant autem Euangeliſtȩ, quod Chriſtus apparuerit etiam alȝs mulierculis, deinde Petro, poſtea duobus, qui ad Emaus proficiſcebantur, quas tamen apparitiones Ioannes noſter omittit, quo'd ab alȝs Euangeliſtis ſufficienter indicatæ ſint, ipſe uero ſuſcipit commemorandam eam apparitionem, quȩ eodem Reſurrectionis die, ad ueſperam, coram pluribus diſcipulis, facta eſt. Cum ueſpera eſſet, inquiens, die illo, qui erat unus ſabbathorum, & fores eſſent clauſȩ, ubi erant diſcipuli congregati, propter metum ludæorum, uenit Ieſus, ſtetitq; in medio, & dicit eis: Pax uobis. Et cum hȩc dixiſſet, oſtendit eis manus ac latus ſuum. Gauiſi ſunt ergo diſcipuli, uiſo Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax uobis. Sicut miſit me pater, ita & ego mitto uos. Hȩc cum dixiſſet, flauit in eos, & dicit eis: Accipite ſpiritum ſanctum. Quorumcunq; remiſeritis peccata, remittuntur eis. Quorumcunq; retinueritis, retenta ſunt. Memorabile eſt, quod in hac apparitione peragitur Chriſtus enim nihil fere eorum omittit, quæ teſtificari poſſunt, ipſum uere a' mortuis reſurrexiſſe & uiuere. Non apparet, ut euanidum ſpectrum, ſed conſiſtit uiſibilis in medio diſcipulorum. Colloquitur coram cum diſcipulis, oſtendit eis manus & latus, & pedes, ut ipſum ex notis crucifixionum cognoſcerent, exhibet ſe, quemadmodum alius Euangeliſta ait, contrectandum, ut reipſa ſentirent, eum ueram habere carnem & oſſa, petit etiam eduliũm, & in conſpectu eorum comedit, ac poſtea afflauit eos forti ſpiritu, Quæ omnia ſunt certiſſima uitæ argumenta. Nulla igitur reliqua eſt dubitatio, quin uere a' mortuis reſurrexerit, & uiuat. Sed magnæ curæ nobis eſſe debet colloquium, quod Chriſtus in hac apparitione cum diſcipulis fecit. Primum enim omnium, PAX VOBIS, inquit. Potuiſſet eis exprobrare defectionem & fugam, ſed horum omnium obliuiſcitur, ac nuntiat tantum læta. Optat pacem. Qua uoce teſtatur ipſos ab omnibus peccatis abſolutos, cũ deo patre pacificatos, & in gratiam receptos. Et ut ſciant hanc uocem non eſſe

pro uulgari consuetudine in ore ipsius natam, sed ueram ac seriam esse, bis eandem repetit. Bene igitur confidant, & alacri animo suscipiant, quod sit mandaturus. Reuelat enim Christus sese discipulis, non ut cum ipsis ad fallendum tempus nugetur, sed ut res longe omnium maximas conficiat. Sicut me, inquiẽs, misit pater, ita et ego mitto uos. Hac uoce decernit eos legatos, (Vnde & Apostoli uocantur, quod legatos significat) in uniuersum orbem terrę. Quam rem, ut rectius intelligamus, conferemus huc morem ciuilium legationum. In his enim solent legato duplices literæ dari. Alterę fidei (quas uocãt literas Credentię) sigillo legantis firmatæ, quibus significat is, qui amandat legatum, tam firmiter credendum esse legato suo, q̃ si ipse rem coram ageret. Alteræ mandati, quas literas uocant, institutionem, qua continentur mandato, quę legatus nomine legantis persequi & efficere debet. Hunc morem seruat etiam Christus pro suo modo, in hac, quam ipse instituit, Apostolorum suorum legatione. Emissurus enim post resurrectionem Apostolos seu legatos suos, initio, dat eis literas Credentię, has uidelicet: Sicut misit me pater, ita ego uos mitto. Quæ autem sit sententia huius dicti, ex ijs intelligi potest, quę Christus alias ad Apostolos dixit: Qui uos audit, me audit. Et iterum: Qui uos recipit, me recipit. Et qui me recipit, recipit eum, qui misit me. Hoc igit uult Christus. Pater misit me de cœlo in terram, ut adnunciem meum Euangelion. Et qui meo Euangelio credit, is credit deo patri, cuius ego sum legatus in terris. Dixit enim de me apud Molen: Ponam uerba mea in ore eius, loquetur q̃ ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem uerba eius, quæ loquetur nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. Cum autem ego post meam resurrectionem & ascensionem in cœlum, non sim amplius corporali modo in his terris cõmoraturus, emitto uos Apostolos meo nomine in uniuersum orbem terræ, & uolo, ut homines non aliter uerba uestra accipiant, q̃ si ego coram ea exponerem. Atq̃ hęc quidem est sententia literarum Credentię. Quemadmodum autem ciuiles literæ roborantur ciuilibus sigillis, ita spirituales illę literæ confirmatæ sunt spiritualibus sigillis, cœlestibus uidelicet miraculis. Signa, inquit, eos qui crediderint hæc subsequentur: Per nomen meum dęmonia eĳcient, linguis loquẽtur nouis, serpentes tollent, & si quid letale biberint, non nocebit eis, Super ægrotos manus imponent, & bene habebunt. Hæc & id genus alia miracula, quæ Apostoli ædiderunt in nomine Christi, sunt sigilla, quibus literæ Apostolatus seu legationis roboratæ fuerunt. Legatione, inquit Paulus, fungimur nomine Christi. Quare sentiendum est, Apostolos ita nobis commendatos esse, ut qui ipsos audit, CHRISTVM filium Dei, adeoque Deum ipsum

ipſum patrem cœleſtem audiat. Sed quod præcipuum eſt, audiamus nunc mandatum, ſeu Inſtructionem, ut uocant, quæ Apoſtolis data eſt. Flauit (inquit Euangeliſta) in eos, & dicit eis: Accipite ſpiritum ſanctum: Quorumcunq; remiſeritis peccata, remittuntur eis. Quorecunq; retinueritis, retenta erunt. Hæc eſt inſtructio, hoc eſt mandatū, quod Chriſtus dat Apoſtolis ſuis. Non alloquitur autem eos ſimpliciter, ſed afflat eos forti oris ſui ſpiritu. Quod idcirco facit, primum, ut ſignificet ſe uere uiuere, quemadmodum antea diximus, deinde, ut doceat, ſe uerum eſſe deum, quod dei ſua uirtute dona ſpiritus ſancti. Hoc enim oris ſpiritu contulit cœleſtia ſpiritus dona in corda diſcipulorum ſuorum. Non contulit quidem in eos hoc tempore illa admirāda ſpiritus dona, quę effuſa ſunt in ipſos, in die pētecoſtes, ſed eximit eis incredulitatem, & dat fortiorem fidem, eximit eis metum, & dat ſpem certam, diſpellit tenebras ab oculis mentis eorum, & illuſtrat eos clariori luce intelligentiæ. Hæc & id genus alia ſunt dona ſpiritus ſancti, quæ Chriſtus flatu ſuo in Apoſtolos conferre uoluit. Quid ergo mandatur eis, quod in hac ſua legatione conficiant? Obſeruāda & ponderanda ſunt uerba Chriſti. Non dicit: Accipite cohortes militū & ruſticorę, & inuadite regna huius mundi. Non dicit: Accipite Moſen, & inſtituite inter gentes Moſaïcam politean. Non dicit: Accipite oleum, & ungite ſacrificulos Miſſarios. Sed ait: Accipite ſpiritū ſanctum. Accipite dona & offitium ſpiritus ſancti. In quem uſum? Num ad dominandum terrena maieſtate? Nequaq;, ſed ad remittenda & retinenda peccata, hoc eſt, ad prædicandum Euāgelion, ut quotquot Euangelio credunt, conſequantur remiſſionem peccatorum. Quotq; autem non credunt, in is retineantur peccata. Nam quod hic dicit: Quorumcunq; remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorumcunq; retinueritis, retenta erunt, eandem prorſus ſententiam habet, cum eo, quod apud Marcum dicit: Prædicate Euangelion uniuerſæ creaturæ. Qui crediderit (Euangelio) & baptiſatus fuerit, ſaluus erit. Qui uero non crediderit, condemnabitur. Et apud Lucam: Sic oportebat Chriſtum pati & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes. Remittere enim & retinere peccata Apoſtolico miniſterio, non eſt pro ſuo arbitrio ex peccato, iuſtitiam, & ex iuſtitia peccatum facere, nec eſt ex propria autoritate condonare peccata cuiuis, etiam non credenti, & retinere peccata, etiam credenti, Sed eſt prædicare Euangelion de Chriſto, qui ſolus eſt expiator peccatorum, & propter quem ſolum deus peccata condonat, ut ei, qui credit in Chriſtum, peccata remittantur, ei aūt, qui non credit, peccata retineantur. Obſerua igitur mihi, primū, q̄ Chriſtus non inſtituit Aplos ſuos, in externos mos

narchas huius seculi, sed cõmendauit ipsis officium, & dignitatẽ longe excellentiorem. Monarchis huius mundi concessę sunt terrenę diuitię, & data est in manus eorum potestas uitę & necis corporalis, ut quos uolunt, possunt aut occidere, aut liberos dimittere. Apostolis autem cõmendatus est thesaurus cœlestis, & reposita sunt in ministerium eorꝝ, cœlum & infernus. Monarchę describunt feuda, quæ ita uocant mundana, quę neminem possunt in morte & iuditio Dei seruare. Apostolis aũt commendatũ est, ut distribuãt remissionem peccatorum. Qua una re, comprehenduntur oĩa nobis perpetuo salutaria. Nec quicq̃ aliud est, quod posset nobis ueram salutem afferre. Finge Christum Apostolis dedisse crumenam semper pecunia plenam, quam pecuniã omnibus ad ipsos accidentibus distribuãt. Quid hoc nobis profuisset? Potuissent quidem hoĩes pecunia fieri locupletiores, non autem iustiores, & coram deo fœliciores. Pecunia enim non liberat á morte & iuditio dei. Finge Christũ dedisse Apostolis uascula uino plena, ut unicuiq̃, quantum uoluerit uini, in cantharum suum infundant. Num homines fuissent hoc beneficio facti beatiores? certe uinum non facit homines pios & beatos, sed potius ebrios & insanos. Sed ita demum consuluit Christus uerę nostræ saluti, q̃ cõmendauerit Apostolis, ut suo nomine distribuant remissionem peccatorum. Hoc enim illud est, quod nos uere beat. Vbi enim remissa sunt peccata, ibi deus est placatus, & adoptat eum, qui habet pc̃tõrum remissionẽ, in filium & hæredem suum, ac efficit, ut nulla afflictio, imo ne mors quidẽ ipsa noceat, sed seruat in media morte, & largit̃ ęternã beatitudinem. Vnde in psalmo dicitur: Beati, quorum remissę sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt pc̃tã: Beatus uir, cui non imputat DOMINVS pc̃tũm, nec est in spiritu eius dolus. Vbi autẽ pc̃tã non sunt remissa, ibi deus iratscitur, non prosunt diuitię, non liberant regna, sed perpetuo est pereundum. Quare, cum Christus cõmendauerit Apostolis officium remittendi & retinendi peccata, sentiamus in ministerio eorum collocata esse oĩm hominum perpetuã uitam & mortẽ, salutem & damnationem, cœlum & infernum, ut quotquot accipiunt ex p̃dicatione Euangelij eorꝝ, remissionem peccatorꝝ per fidem, habeant cœlum. Quotquot aũt abominant Euangelion, de pc̃tõrum remissione, habeãt infernum. Deinde considerandũ est, de quibus peccatis loquatur Christus, cum ait: Quorum remiseritis aut retinueritis peccata. Non enim loquitur de ĩjs peccatis, quæ Pontifices & hypocritę, pro suo arbitrio fingũt, qualia sunt, In feria sexta carnibus uesci. Non ieiunare usq̃ ad horã undecimã, & multa alia, Sed loquit̃ de ĩjs peccatis, quę uere corã deo pc̃tã sunt, & quę lex dei pro peccatis iudicat. Non enim est legatus Pontificum, & hypocritarꝝ, sed est legatus

Dei

Dei patris sui. Quare intelligit ea peccata, quæ Deus peccata esse pronuntiat. Præterea cognoscendum est, quo modo Apostoli remittant aut retineant peccata. Nam Pontifices arrogant etiam sibi potestatē remittendi & retinendi peccata, ꝙ glorientur se esse Apostolorum successores. Sed usurpant alium modum remittendi & retinendi peccata, ꝙ Christus commendauit. Remissuri enim peccata, emittunt legatum quendam, qui instituat in templis rubeas cruces, & sacrificulos, confessionum auditores, ac cistas, in quas reponatur pecunia pro peccatis numerata. Christus autem amandauit Apostolos suos, ut adnuntiēt Euangelion suū, & consecrēt eos qui Euangelion fide agnoscunt, baptismo, & confirment fidem eorū Cœna dominica. Hic est uerus & cœlestis modus remittendi peccata, prædicatio uidelicet Euangelij Christi: Ite, inqt, in uniuersum mundū, & PRÆDICATE Euangelion omni creaturę. Et: Oportebat prędicari nomine eius pœnitētiam & remissionem peccatorum. Quare qui non prædicant Euangelion Christi, non habent ullam potestatem peccata aut remittendi aut retinendi. Deinde, nec hoc negligenter cogitandum est, Quo merito debeant Apostoli peccata remittere. Pontifices remittunt peccata, merito pecuniæ. Monachi remittunt peccata merito humanæ iustitię. Eremitę remittunt peccata merito ieiuniorum, aut chameuniarum. Christus autem iubet Apostolos peccata remittere, tantum suo ipsius nomine, seu merito. Euangelion em̄ Christi hoc est, ꝙ solus Christus expiauerit pctā, & ꝙ pater cōdonet peccata credentibus tm̄ propter Christum filium suum. Ecce, inquit Ioannes, agnus dei, qui tollit peccatum mundi. Cum igit̄ Christus iubet Euangelion suum prędicari, iubet etiam peccata remittere gratis, tantum propter suum ipsius meritum. Iam & hoc considera mihi, quibus hominibus remittenda aut retinenda sint peccata. Nam Remissio peccatorum omnibus quidem hominibus, sine ullo discrimine, siue Iudęis, siue gentibus, siue honestis, siue inhonestis offerenda est. Prædicate, inquit, Euangelion OMNI creaturæ, hoc est, non Iudæis tantum, sed etiam gentibus. Et: Oportet prędicari nomine meo remissionem peccatorum in OMNES gentes. Inter auditores autem Euangelij duplex est hominum ordo. Alij credunt Euangelio, alij sunt increduli. Ac illi quidem accipiunt oblatam peccatorum remissionem per fidem, & fruuntur ea, hi autem contemnunt & reiiciunt eam per incredulitatem, ideoque retinentur eis peccata. Qui enim crediderit, inquit Christus, & baptisatus fuerit, saluus erit: Qui uero non crediderit, condemnabitur. Postremo cognoscendum etiam erit, in quem usum institutum sit ministerium remittendi peccata. Ac usus quidem huius ministerij latius patet, ꝙ ut paucis uerbis exponi possit. Nos,

quia alias de hoc usu plura diximus, tantū quędam nunc attingemus. Institutum enim est hoc ministerium, ut accepta peccatorum remissione, per fidem, reputemur coram deo iusti, adoptemur in filios dei, uincamus mortem, & consequamur ęternam salutem, quemadmodū paulo ante ostendimus. Deinde institutum est, non ut liceat nobis de inceps impune peccare, sed potius ut peccata fugiamus, & iustitię opera faciamus. Qui mortui sumus peccato, inquit Paulus, quō posthac uiuemus in eadem? Et iterę: Apparuit gratia dei, salutaris oībus hoībus, erudiens nos, ut abnegata impietate, & mundanis concupiscentiis, sobrie & iuste & pie uiuamus in prędenti seculo. Quare non abutamur remissione peccatorum ad licentiam, sed utamur ea ad obedientiam, ut testemur bonis operibus, nos remissiōem peccatorum per fidem uere accepisse. Sed quid? Num solis Apostolis mādatum est ministerium Remittendi & Retinendi peccata? Hi soli quidem tūc, cum alijs quibusdam prędo adfuerunt, cū Christus hęc uerba diceret, hoc autem ministerium nō est alligatum ad personas eorum, sed pertinet ad uniuersam Ecclesiam. Si Ecclesiam, inquit Christus, alias non audierit, sit tibi uelut Ethnicus & Publicanus: Amen dico uobis, Quęcunque alligaueritis super terram, erunt ligata in cœlo. Et, Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta in cœlo. In precatione quoque sua dicit Christus: Non pro eis tantum rogo, sed & pro ijs, qui credituri sunt per sermonem eorum in me. Et ad Thomam: Quia uidisti, credidisti, Beati qui non uident, & credunt. Etsi autem unusquisq; pius remittit alteri priuatim sua peccata, cum exponit ei Euangelion de Iesu Christo, & hortatur eum, ut bene cōfidat, imo etiam pia mulierecula, cum forte accesserit ad uisitandum ęgrotum, remittit ęgroto peccata, cum admonet eum, ut omnem spem suam collocet in Christo Iesu, qui solus sit peccatorum expiator, & seruator noster. His mulierculę uerbis, si uir ęgrotus fide ea excipit, excipit etiam peccatorę remissionem, in publico tamen Ecclesię cętu suum ordinem instituit spiritus sanctus, ne quid indecenter & inhoneste fiat. Itaq; mulieri in Ecclesia non licet loqui, ac ne uiro quidem, non uocato, Sed sui sunt Ecclesiæ ministri, quibus publica Euangelij, hoc est, remittendi & retinendi peccata functio demandata est. In Actis Apostolicis dicit Paulus, ad presbyteros Ecclesiæ Ephesinæ: Attendite uobis & cuncto gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit superattendentes, ad regendum Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Et ad Corinthios: Omnia ex Deo, qui reconciliauit nos sibi per Iesum Christum, deditq; nobis ministerium Reconciliationis. Et ad Ephesios ait: Dedit, alios Apostolos, alios Prophetas, alios, Euangelistas, alios pastores ac doctores ad instaurationem sanctorum, in opus administrationis, in ædificatio

cationem corporis Christi. Ex his, & alijs id genus testimonijs scripturæ uides ministeriū remittendi & retinendi peccata, quod est ministerium prędicandi Euangelij, ad uniuersam quidem Ecclesiam pertinere, sed ita ordinatum esse, ut Ecclesia ædificetur, non perturbetur. Quare siue priuatim, siue publice audiuerimus Euangelion Christi, sentiamus nobis remissionem peccatorum uere offerri, quam & accipimus, si Euangelion fide agnoscimus. Sunt autem, qui impudenter uociferari solet. Quid? Sacrificuli ne, (Sic em̄ etiam ueros Ecclesiæ ministros, uocant sacrificulos) remitterent mihi peccata? An non ipsi impuri sunt, & indigent peccatorum remissione? An non peccatorū remissio, donum est solius Dei? Ego sum, ego sum ipse, inquit DOMINVS, qui deleo iniquitates tuas propter me. Quomodo ergo sacrificuli audent sibi hanc potestatē arrogare? Sed audi tu uicissim, q̄ hęc recte quidem dicantur aduersus Pontificios sacrificulos, qui non contionantur syncerum Euangelion Christi. Longe autem aliud sentiendum est de ministerio eorum, qui doctrinam uere Apostolicam & Euangelicam Ecclesiæ proponunt. Hi enim remittunt peccata, non quidem sua ipsorum autoritate, sed autoritate, mandato & uocatione Dei patris & DOMINI nostri Iesu Christi, qui iussit eos hoc ministerio suo nomine fungi. Autoritas & potestas remittendi peccata, solius Dei est. Ministeriū autem huius potestatis est Apostolorum, & oim eorum, qui Euangelion Christi, pure & synceriter adnuntiāt. An non & uita corporalis, donum est solius Dei? Et tñ Deus hoc suum donum largit̄ per parentes. Est & pax mundana, solius Dei donū. sed quam Deus dare solet per magistratum. Sunt & fructus terrę, solius Dei creatura, sed hi dantur nobis diuinitus, opera & labore agricolarum. I nunc, & cōtemne parentes, opprime magistratum, & abij ce agricolas, ut a' Deo ipso solo, sicut tu uane gl'aris, dona sua accipias, Sic est & remissio pc̄tōrum solius Dei donū, sed q̄d nobis Deus offert ac exhibet, per ministros suos, qui Euangelion synceriter adnū tiant. Amemus igit̄ ministerium Euangelij, & benefaciamus ei, ut fructum eius capiamus, per Iesum Christū DOMINVM nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus bn̄dictus in secula, Amen.

HOMILIA LXVI.

ALij Euangelistę cōmemorant alia Resurrectionis Christi testimonia. Nos uero Ioannem nostrum persequemur, & suscipiemus nunc percurrendam eam apparitionem Christi, quę in prędentia Thomę facta est. Sic enim sequitur: Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando uenit Iesus. Dixerunt ergo alij discipuli: Vidimus DñM. Ille aūt dixit eis: Nisi uidero in manibus eius uestigiū clauo-

„rum,& mittam digitum meũ in uestigium clauorũ,& mittam manum
„meam in latus eius,non credam. Priusq; recitemus alia quæ de Tho-
ma sequuntur,considerandum est, quanta sit Thomę incredulitas, ut
magnitudinẽ clementiæ Christi Thomam summa bñuolentia com-
plectentis agnoscamus, sæpe enim Christus ipse de Resurrectiõe sua
contionatus fuerat,ut nihil dicam de Prophetarũ oraculis, quibus sig
nificatum erat,Christum à mortuis Resurrecturum, quæ oracula de-
buissent certe Thomę tot annos in schola Iudęorum uersato nota fu-
isse. Ad hęc,college eius,qui testificabant se uidisse Christum à mor
tuis excitatum,erant hoies honesti,quos sciebat esse amantissimos ue
ritatis,attamen ne sic quidem credit Christum,quem uiderat in cruce
expirasse,& sepultum,uiuere. Etsi aũt magna est incredulitas eius,nõ
tamen est obstinata & deplorata. Non enim fit hostis & persecutor
Christi ac discipulorum eius,sed manet ipse quoq; discipulus,& do-
ceri cupit. Non credo,inquit,quod dicitis,Credam autem,si ipse ui-
dero & tetigero. Quare,etsi meruerat propter incredulitatem abiici,
tamen tanta est clementia Christi, ut quia uidet ipsum adhuc docilẽ,
agnoscat & tractet eum humanissime. Hoc exemplũ clementię Chri-
sti eò obseruandũ est,ut in imbecillitate fidei, nõ despondeamus ani
mum. Postq; enim Satan non potest nos à spe æternę uitę, obiectu
magnitudinis peccatorum nostrorum deiicere, q; reiiciamus peccata
per fidem in Christum expiatorem nostrum, solet calumniari fidem
nostrã,ut nobis Christum auferat. Gloriaris,inquit, de Christo tuo,
sed quomodo Christus ad te pertineret, cum tuipse sentias fidem tuã
esse ualde exiguam,ac uix scintillam fidei habeas? His obiectionibus
aut tentationibus respondendum est, nos quidem agnoscere fidei no
strę imbecillitatem,sed tamen Christus non est propterea imbecillis,
nec abiicit nos. Mater non destituit ope sua filiolum,quem uidet mor
bo laborare,sed eo maiori cura filium prosequitur,quo grauiori mor
bo detinet. Et Christus esset inclementior humana matre? Calamum
quassatum, inquit Propheta de Christo,non conteret,& linum fumi-
gans non extinguet. Quare bene etiam in fidei imbecillitate confida-
mus,& oremus,ut nobis fides augeatur. Sed audiamus nunc, q; cle-
„menter Christus Thomę sese adiungat. Et post octo dies iterum erãt
„discipuli eius intus,& Thomas cum eis, uenit Iesus, clausis ianuis,&
„stetit in medio,& dixit: Pax uobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digi-
„tum tuum huc,& uide manus meas, & admoue manum tuam, & im-
„mitte in latus meum,& noli esse incredulus,sed credẽs. Hoc est insig
ne testimoniũ, q; Christus uere à mortuis resurrexerit. Christus em
apparens discipulis unà congregatis, non præteruolat oculos eorũ,
ut spectrũ,sed consistit in medio eorum,idque non mutus, sed collo-

quens,

quens, salutans, docens, increpans, & consolans. Nec tantum uisendum se, uerumetiam tangendum & palpandum prebuit: Infer, inquiens, digitum tuum, & admoue manum tuam. Nam Christus ob hanc causſam uestigia clauorum dispensatione quadam resumpserat, non quod talia uestigia semper inhereant corpori glorificato, sed ut hoc signo ueritatem corporis & Resurrectionis suę probaret. Hoc resurrectionis testimonium tanti momenti uisum est, ut etiam alias Ioannes alleget in epistola sua. Quod audiuimus, inquit, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de sermone uitę. Sed quoties proponitur nobis testimonium Resurrectionis Christi, toties sentiamus nobis proponi testimonium nostræ salutis, quam in Christo habemus, admoneamur etiam toties de nouitate uitæ, in qua ambulare debemus. Resurrectio enim Christi nostra est iustitia, uita & salus. Excitatus est, inquit, propter iustificationem nostri. Et: Si credimus, ꝙ Christus mortuus est & resurrexit, sic & deus eos qui obdormierunt per Iesum, adducet cum illo. Quare necesse habemus, ut declaremus nos erga tantum benefactorem gratos, & quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriã patris, ita & nos in nouitate uitę ambulemus. Sed audiamus nunc Thomam. Respondit Thomas & dixit ei: DOMINVS meus & deus meus. Hęc est uere Apostolica cõfessio & doctrina de persona Iesu Christi. Paulus de Christo ait: Declaratus fuit filius dei potenter, secundum spiritum sanctum, ex eo ꝙ resurrexit à mortuis. Quare, cum Thomas certo ac uere cognosceret, Christum a' mortuis resurrexisse, agnoscit iam ipsum non tantum esse hominem, sed etiam uerum DOMINVM ac deum nostrum. Vnde & Petrus in die Pentecostes ait: Certo sciat tota domus Israel, ꝙ DOMINVM & Christum fecerit deus hunc Iesum, quem uos crucifixistis, hoc est, quia deus suscitauit Iesum, & effudit in nomine eius dona spiritus sancti, declarauit publice, ꝙ sit uerus ille Christus, per prophetas promissus, & uerus DOMINVS ille deus, quem Adonaï uel Iehoua uocamus. Non igitur agnoscamus, non adoremus alium deum, præter DOMINVM nostrum Iesum Christum. Sunt quidem aliæ duæ personæ in diuinitate, pater & spiritus sanctus, sed quia non est nisi unus deus, & Christus filius dei, uerus ab æterno est deus, non credamus, non colamus alium deum, præter hunc Christum, iustitiam, sanctificationem & redemptionem nostram. Vnde & cum interrogantur Catechumeni, quis sit uerus deus noster, & quod sit nomen eius, recte respondent, nomen eius esse, Iesus Christus. Nam & ipse approbat hanc Thomę confessionem. Thoma, inquiens, quia uidisti me, credidisti. Beati, qui non uiderunt, & crediderunt. Pauciſſima uerba, sed obseruatione

dignissima. His enim confirmatur ministeriū Euangelij de Christo quod & per Apostolos, & post Apostolos per Ecclesię ministros, in orbe terrarum uulgatur, Necessaria fuit hęc confirmatio. Sunt enim, qui cogitant hos tantum cepisse fructum Christi, quibuscum Christus conuersatus est corporali præsentia, & quos sanauit ac cibauit, & quibus misit spiritum sanctum. Sunt alij, qui non putant sibi satisfactum, quòd audiant hoc tempore doctrinam ab Apostolis, nomine & mandato Christi traditam, sed affirmant, ita tum demum se libenter credituros, si aut ipsi coram uidissent miracula illa Christi, quę de eo prędicantur, & accepissent etiam spiritum sanctum admirabiliter, aut his temporibus similia miracula ædérentur. Sed Christus paucissimis uerbis reijcit & damnat omnem illorum seu curiositatem seu incredulitatem, & excusationem. Recte tu quidem Thoma, inquiens, & beatus es, quòd credas meo Euangelio, cum coram, ueritatem eius ipsa cōperias. Non solum aūt tu, aut alij, qui ista suis oculis uident, & credunt, beati sunt, uerumetiam non minus beati erunt hi, qui credūt Euangelio meo, siue hoc tēpore uitam agunt, siue post multos annos in hanc uitam uenturi sunt, etiamsi nihil horum miraculorum uideāt. Non enim libet mihi, quouis tempore uisibiliter inter homines conuersari, & externa miracula ędere. Non libet semper me uisibilem ostendere, sicut facio nunc quadraginta diebus, post meam resurrectionem. Non libet, singulis diebus Pentecosten celebrare, & spiritum sanctum uisibiliter mittere. Hæc omnia consitio & præsto suo tempore, in hoc mundo, & inter meos discipulos ac Apostolos, quibus & hęc omnia comperta & perspecta facio. His mando prędicandum Euangelion meum, & testimonium ferendum de his rebus omnibus. Quare siquis Apostolis talia prędicantibus aut sermoni eorum ad posteros bona fide propagato non credit, is ne mihi quidē, sępe ac multum me reuelanti crederet. Si autem Apostolis aut sermoni eorum credit, non minus accipit beatitudinis, ꝙ si coram inter ipsos accepisset spiritum sanctum uisibiliter. Huc referendum est & illud quod Christus in precatione sua dicit: Non pro eis tantum rogo, sed & pro ijs, qui credituri sunt per sermonē eorum in me. Et apud Lucam: Si Mosen & Prophetas non audiunt, neqꝫ si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Abijciamus igitur incredulam hanc excusationem & curiositatem, & suscipiamus Apostolicam doctrinam, quæ nobis iam inde ab initio reuelati Christi per manus optima fide tradita est, ut ex ea Christum, uerum seruatorem nostrum agnoscamus. Nam hunc esse uerum usum Apostolicę doctrinæ, quę & uoce & scriptis uulgata est in orbem terræ. Ioannes ipse perspicue indicat, cum ad finem huius capitis addit: Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu

discipu-

discipulorum suorum, quę non sunt scripta in hoc libro. Hęc autem "
scripta sunt, ut credatis, ꝙ Iesus est Christus ille filius dei, & ut credẽ "
tes uitam habeatis per nomen eius. Videtur ex hac appendice, Ioan- "
nem cogitasse scriptum Euangelij sui narratione eius apparitionis, quę præcessit, concludere & absoluere. Et tamen uisum est postea etiam id quod mox sequitur, addere. Nos igitur hanc appendicem diligentissime consideremus. Ostendit enim nobis uerum usum Apostolicę scripturę, in qua continentur doctrina & miracula DOMINI nostri Iesu Christi. Nam quemadmodum Petrus de Prophetica scriptura ait: Spiritus Christi, testabatur in Prophetis uenturas in Christum afflictiones, priusꝙ acciderent, & quę essent consecuturę, glorias, quibus & illud reuelatum est, ꝙ haud sibijpsis, sed nobis hęc ministrarunt, quę nunc adnuntiata sunt uobis, ita & Ioannes hoc loco significat Apostolicam scripturam, non propter Apostolos ipsos, sed propter nos literis mandatam esse. Hæc, inquiens, scripta sunt. In quem usum? Vt credatis, ꝙ Iesus est Christus ille filius dei. Hoc spectat, hoc uult, eò tendit, ad eum exitum properat scriptura Apostolica de doctrina & miraculis Christi, ut credamus Iesum, quẽ uocarũt Nazarenum, natum ex Maria uirgine, esse Christum filium dei. Duo autem summa & in toto mundo augustissima tribuuntur Iesu Nazareno. Alterum, quod ad naturam eius attinet, uidelicet, ꝙ sit filius dei. Qua natura nihil potest sublimius dici. Non enim sentiendum est, quòd Iesus sit filius dei adoptione, sicut pij homines, sed quòd sit filius dei natura, & ab æterno, quemadmodum aliàs copiosè & perspicue demonstratum est. Hoc autem est esse uerum ac ęternum deum. Quid enim ex natura & substantia dei aliud quàm deus nasceretur? sicut & quod ex natura & substãtia hominis nascitur, uerus homo sit, necesse est. Agnoscamus igitur Iesum, naturalem filium dei, hoc est, uerum ab æterno deum. Alterum tribuitur Iesu, quod ad offitium eius attinet, uidelicet quòd sit Messias seu Christus. Prophetę enim uaticinati sunt uenturum Christum, & liberaturum populum suum ab omnibus malis. Apostolica igitur scriptura de doctrina & miraculis Iesu testatur, hunc Iesum esse uerũ illum Christum, de quo Prophetę sunt locuti. Sed quid utilitatis affert nobis hæc fides, cum credimus quòd Iesus est Christus filius dei? Additur: Vt credentes uitam habeatis per nomen eius. Hæc est fidei in Iesum Christum utilitas, uidelicet, quòd hac fide consequamur propter ipsum, uitam. Hoc dictum Ioannis comprehendit pauciſſimis uniuersa beneficia Christi. Nomine enim uitæ non intelligenda sunt corporalia quædam bona in hoc mundo, quæ etsi sunt diuina beneficia, tamen non beant

hominem, & Christus non uenit propter ipsa in hunc mundum, sed intelligenda sunt uera, cœlestia & perpetua bona, uidelicet, Remissio peccatorum, Reconciliatio cum deo, iustitia, liberatio in morte, æterna uita & fœlicitas. Hęc sunt bona, quę nobis fide in Iesum Christum contingunt. Contingunt autem nobis, non merito aliquo humanę iustitię, sed PER nomen EIVS, inquit, hoc est, propter ipsum Christũ, non propter nostram iustitiam, sicut & Paulus ait: Iustificantur gratis per illius gratiam, per redemptionem, quę est in Christo Iesu, quem proposuit deus reconciliatorem, per fidem, interueniente ipsius sanguine. Habes hanc esse utilitatem Apostolicæ scripturæ, ꝙ testificetur de Iesu Christo, & de salute, quã in ipso per fidem habemus. Reliquum igitur est, ut amplectamur hanc scripturam obuijs, quod aiunt, ulnis, & meditemur in ea diu noctuq; , non ut sciamus tãtum aliquot sententiolas & miracula ex ea commemorare, sed ut Christum uera fide ex ipsa cognoscamus, & spiritu Christi renouati, uitam homini pio dignã ducamus per Iesum Christũ DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus bñdictus in secula, Amen.

CAPVT XXI.

HOMILIA LXVIII.

TSI Ioannes superiori cãpite, siue summa senectute confectus, (dicitur enim Euangelion suum scribendum suscepisse, natus centum annos) siue alia causſa permotus, finem scribendæ historiæ Euangelij facere uisus est, tamen, quia certitudo Resurrectionis Christi debet in Ecclesia firmissimis argumentis comprobata exta re, addit adhuc unam apparitionem, qua Christus multis etiam miraculis testificatus est, se non solum uere à mortuis resurrexisse, sed etiam regnare, & omnibus rebus dominari. Hęc autem apparitio, non in Iudæa, sed in Galilæa facta est, nec est illa nobilis, quam Christus ante mortem suam, & postea angeli promiserunt: Præcedet, inquientes, uos in Galilæam, ibi eum uidebitis, sicut dixit uobis, Sed ea est, quæ contigit ad mare Tiberiadis, coram septem tantum discipulis, cum illa altera facta sit in monte coram discipulis plusq; quingentis.

Non

Non minus tamen & hæc, quæ in præsentia describitur, obseruabilis est. Audiamus igitur de ea narrationem Euangelistæ nostri. Postea manifestauit se iterum Iesus ad mare Tiberiadis. Manifestauit autem sic: Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Dydimus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, alijque ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscatum. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Exierunt & ascenderunt in nauim statim, & illa nocte nihil ceperunt. Mane autem iam facto, stetit Iesus in litore, non tamen cognouerunt discipuli, q̃ Iesus esset. Dicit eis Iesus: Pueri, num quid obsonij habetis. Responderunt ei: Non. At ille dicit eis: Mittite in dextram nauigij partem rete, & inuenietis. Miserunt ergo, & iam nõ ualebant illud trahere præ multitudine piscium. Hic nobis gradus aliquandiu sistendus est, ut consideremus quis sit euentus p̃ laboris aut offitij, quod initio infœlix esse uidetur. Habes enim hic, quòd discipuli etsi honestum & pium laborem suscipiunt, tamen tota nocte frustra & infœliciter laborent. Non mirum quidem est, si impietas & scelera sint infœlicia, non mirum est, si furi aut latroni parum prospere consilia sua successerint, quia diuinitus ita ordinatum est, ut maledicta sint opera impiorum & sceleratorum, hoc autem & mirum, & magno offendiculo est, si quis, cum recte & pie facit, infœlix fuerit. Quod cum homines fieri uident, sollicitantur existimare, quod res humanæ non sint deo curæ, hoc est in corde suo dicere: Non est Deus. Ideoque ruunt in contemptum dei, & suscipiunt inhonesta quæq̃ facienda, modo sint coram hominibus tuta, & uideantur fœlicia. De hac re dicamus quædam, ut discamus in uocatione dei constanter perseuerare, etiamsi labor infœlix fuerit, & multa aduersa accidant. Primum enim, si cui pio, in uocatione dei ambulanti, & recta facienti contingit incommodum, non est sentiendum, q̃ hoc incommodum contingat, DEO nesciente, nolente, ac cessante, sed optime sciente, uolente, ac etiam operante & gubernante. Deus non est quidem autor peccati, sed sine uoluntate & operatione eius nihil cuiquàm aduersi accidere potest. In passione Christi, deus non creauit impietatem, crudelitatem & immanitatem uoluntatis ludæ, Pontificum, & aliorum Iudæorum. Hæc enim è Satana est, cui se hi captiuos tradiderant, & è cuius proprijs peccatum ortum est. Et tamen quæcunque aduersa & immania acciderunt Christo, ea acciderunt ipsi uolente & immittente Deo patre suo. Nam quod Deus operetur & gubernet, non prospera tantum, sed etiam aduersa nobis, testatur primus fidei nostræ articulus, quo fatemur nos credere in DEVM patrem, Crea-

torem cœli & terræ. Hoc enim non sic intelligitur, q̄ deus initio ista creauerit, nunc autē sinat ea pro sua libidine ferri, ipso spectante tantum ea otiose, sed q̄ semper ea, quæ creauit, conseruet, administret, regat & gubernet. Huc enim respicit, quod in Esaia dicit: Cœlum mihi sedes est, & terra, scabellum pedum meorum. Et in Hieremia: Cœlum & terram ego impleo. Et iterum in Esaia: Ego DOMINVS & non est alius, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum, seu pœnam, & afflictionem. Ac in Hieremia: Quis est iste, qui dixit ut fieret DOMINO non iubente, ex ore altissimi non egredientur nec bona nec mala. Et apud Matthæum: Nonne duo passerculi minuto asse ueneunt? & unus ex illis non cadet in terram sine patre uestro. Vestri etiam pili capitis omnes numerati sunt. Et Paulus ad Romanos scribens: Ex illo, inquit, & per illum, & in illum sunt OMNIA. Ac deus adeo omnia in omnibus operatur, ut homo ne linguam quidem, imo nec cogitationem cordis sui in manu sua habeat. Hominis, inquit Salomon, est prēparare cor, domini autem gubernare linguam, hoc est, homo multa quidem in corde suo instituit, sed id intantum non est in sua potestate, ut DOMINVS etiam linguam gubernet, nec possit aliter loqui, q̄ deus dirigat. Id quod manifeste testatur exemplum Bileam, qui cogitabat maledictionem Israelis, sed deus flectebat linguam ad benedictionem. Et iterum: Cor hominis cogitat uiam suam, & DOMINVS dirigit gressus eius, hoc est, homo uidetur quidem suis deliberationibus aliquid agere, sed DOMINVS omnia gubernat. Et in psalmo: Intellexisti cogitationes meas de longe, siue incedam, siue cubem, es circū me, & uides omnes uias meas. Idem ostendunt etiam confessiones sanctorum. Iob ait: Deus dedit, deus abstulit. Hic ingenue fatetur, aduersa accidisse sibi, non ignorante, nec otiante, sed optime sciente & operante deo. Dauid de maledico Simei ait: Dimitte eum, ut maledicat, DOMINVS enim præcepit ei, ut malediceret Dauid. Non prēcepit quidem deus Simei manifesto mandato, ut maledicentia inuehatur in Dauidem. Deus enim non est deus uolens iniquitatem, Sed cum Dauid ait: DOMINVM præcepisse ei, respicit in generalem actionem dei, qua non mutatur, sed mouetur impij hominis uoluntas, ac significat se nequaquam sine uoluntate dei maledicentia tam uirulenta affligi. Dicit & Christus ad Pilatum: Non haberes in me potestatem ullam, nisi tibi desup data esset. Itaq̄ quisquis affligit aduersis, non nisi uoluntate & administratione seu gubernatione dei affligit. Quod cum ita se habeat, cognoscendū est deinceps, qua dei uoluntate affligamur, propitia ne, an irata? Volente ne prōditionē an salutē? Ad confirmandū ēm aīm

in

In aduersis non satis est, ut cognoscamus, ꝙ affligamur dei uoluntate, sed necessarium est, ut sciamus qualis sit illa dei uoluntas, & quid deus sibi uelit afflictione nostri, interitum ne an conseruationē. Non est autem nunc nobis sermo de impijs à deo abiectis, qui siue bonis siue malis in hoc seculo affitiuntur, descripti sunt in interitum, sed loquimur de populo dei. Hi siue propter peccata, siue in uocatione dei recte & pie ambulantes affligantur, non affliguntur ut pereant, sed ut seruentur. Ac siquidem deus punit peccata eorum, uult ut resipiscant, & consequantur salutem: Viuo ego, dicit DOMINVS, nolo mortē peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Si autem affligit eos infœlici rerum successu, dum ueram pietatem sectantur, non hoc agit, ut perdat eos, sed ut hac infœlicitate præparet eis maiora & diuturniora bona. Ad punctum, in modico, inquit, dereliqui te, & in magnis miserationibus cōgregabo te. Et iterum: A seculo non audierūt, neqꝫ auribus perceperunt. Oculus non uidit deus, absqꝫ te, quæ prꝫparasti EXPECTANTIBVS te. Et in psalmo: Expecta DOMINVM, & custodi uiam eius, & exaltabit te ut hæreditate capias terram. Nam, quemadmodum uitis putatur, non ut pereat, sed ut copiosiorem fructum ferat, ita pñ sunt in hoc mundo infœlices, non ut maneant perpetuo infœlices, sed ut maiorem & illustriorem fœlicitatem accipiāt. Et sicut granum proiectum & seminatum in agro non interit, sed fœnerat in terra, & producit fructum, aut trigecuplum aut centuplum, ita si quid terrenę fœlicitatis pio in uocatione dei ambulanti, ademptū fuerit, & proiectum obedientia fidei ac pacientia in manum DOMINI, fieri non potest, quin in grande fœnus excrescat. Hoc docent etiā exempla piorum. Ioseph innocens conꝫcitur in carcerem, tanꝫ adulter. Itaqꝫ adimitur ei, non libertas tantum, sed etiam quicquid homini in hac mortali uita iucundū est. Cum autem Ioseph proꝫceret hoc incommodum fide & obedientia sua in manum DOMINI, excrescit interea in principatum Ægypti. Iob amittit omnia sua bona, sed repo nit ea in manum DOMINI, Dñs, inquiens, dedit, DOMINVS ab stulit. Quare paulopost recipit ea duplicia. Huc etiam facit exemplū discipulorum, qui piscatum abierant, & qui nos in hoc dicendi argumentum deduxerunt. Hi laborant tota nocte infœliciter, nec quicꝫ piscium capiūt, Sed cum expectant DñM, parat eis interim maiorē uim piscium, qꝫ sperare potuerint. Sic enim se habet uoluntas dei in aduersis & damnis pioꝝ. Non uult, ut aduersis seu dānis opprimant, sed ut maiora, pspera & lucra cōsequantur. Quare primū oim curę nobis sit, ut simus populus dei, ut agnoscamus Christū fide, et simus membra eius p fidē. Deinde curę nobis sit, ut in uocatiōe dei ambulemus,

Quod si inter hæc, accidunt nobis aduersa, certissimam concipiamus fiduciam, ea nobis adiumento esse in bonum. Sed hac in parte recte intelligendum est, quod de lucro & fœlicitate piorum dicitur. Regnum enim piorum non est de hoc mundo. Fieri quidem potest, ut pij externam etiam fœlicitatem in hoc seculo per aduersa consequantur, sed hæc nec potest esse diuturna, nec compensat grauitatem infœlicitatis. Oculi nostri attollendi sunt in cœlum, è quo nobis omnis fœlicitas expectanda est. Nostrum politeuma, inquit Paulus, in cœlis est, ex quo & seruatorem expectamus DOMINVM Iesum Christum. Et alias dicit Christus ipse: Gaudete & exultate, quia merces uestra copiosa est in cœlis. Non ait, in terris. In his enim afflictionem habebitis, Sed in cœlis. Quare perduremus in rebus asperis & tristibus obedienter, & cogitemus afflictiones præsentis temporis non esse pares ad gloriam, quæ erga nos reuelabitur. Sed accedemus nunc ad aliud miraculum, quod in hac apparitione æditum est. Nam cum discipuli tota nocte frustra laborassent, sed ad uerbum Christi tantam piscium
„ multitudinem cepissent, ut præ ea non possent iam recte trahere, di-
„ cit discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: DOMINVS est. Si-
„ mon ergo Petrus, cum audisset, q̃ Dñs esset, tunica succinxit se, (erat
„ enim nudus) & misit se in mare. Alij aũt discipuli nauigio uenerunt.
„ Non enim longe aberant à terra, sed circiter cubitis ducentis trahẽtes
„ rete piscium. Habes miraculum obseruatione dignissimum. Petrus ad cognitionem præsentiæ Christi, impatiens morę demittit se ex naui in mare, & ambulat super aquas maris, tanq̃ super aridam, donec ad Christum in litore perueniat. Sic & ante, apud Matthæum cap. xiiij. fecerat. Cognoscamus igitur huius miraculi usum. Vt enim non est propter solum Petrum ędítum, ita nec est propter unum aut alterę hominem literis mandatum. Ac initio, non est ędítum, ut cõmendet Petrum a' merito suę ipsius iustitię & sanctitatis, ac proponat eum inuocandum, & meritis eius confidendum. Nam in Actis Apłicis cum Petrus accepto iam spiritu sancto sanauerat eum, qui ex utero matris claudus fuerat, & aspiceretur, concursu hoĩm facto, ueluti deus quispiam, ingenue fatetur, hoc miraculum nec sua nec collegę sui Ioannis uirtute ędítum. Quid miramini, ingens, super hoc, aut nos qui intuemini, quasi nostra uirtute aut pietate efficeremus, ut hic ambularet? Deinde non est ędítũ, ut immittamus nos temere, sine uocatione dei, in aquas, & speremus nos, exemplo Petri, super aquas illæsos ambulaturos. Sed si generalem huius miraculi usum considerauerimus, testatur hunc Iesum, cuius interna uocatione Petrus aquam maris, tanquam terram calcat, esse uerum Messiam, nec alium esse seruatorem. Sic em̃ Ioannes paulo ante dixit, hæc signa scripta esse, ut credamus, q̃ Iesus

est

est Christus filius dei, & ut credentes uitã habeamus per nomẽ eius. Et Petrus, in Actis Apl̃icis de claudo sanato ait: Notum sit uobis & toti plebi Israel, q̃ per nomen Iesu Christi Nazareni, quem uos crucifixistis, quem deus suscitauit á mortuis, per hunc iste astat uobis sanus. Et mox: Nec aliud nomen est sub cœlo datum inter hoĩes, in quo oporteat nos saluos fieri. Si aũt loquendum est, de speciali huius miraculi usu, docet nos, q̃ sicut Petrus ex fide suscipiens profectionẽ super aquas, seruatur, ita quicunq̃ suscipit ex fide pericula adeunda, & sufferenda libereť & seruet̃. Sed hic recte intelligendum est, quid sit pericula ex fide suscipe, & quid sit in periculis seruari. Nam pericula ex fide suscipere, non est se pro suo arbitratu, aut bona, ut uocant, intẽtione, periculis obĵcere, Sed necessarium est, ut qui ex fide aditurus est pericula, primũ credat, q̃ deus sit ipsi propitius ꝓpter Iesum Christum filium suum, deinde uocetur uel manifesto uerbo dei, uel certa spũs reuelatione ad suscipienda pericula, & credat se in ĵs diuinitus adiuuari. Exempli gratia: Israelitę adierunt periculum maris rubri. Hoc periculum suscepit Moses, & alĵ pĵ ex fide, quia crediderũt, iuxta promissiões ad Abraham dictas, se esse populum dei, & deum ipsis propitium propter semen Abrahę, q̃d est Christus, ac habuerunt uerbum dei, quo mandabať ipsis profectio per mare. Loquere, inq̃t, filĵs Israel, ut proficiscanť. Dauid aggreditur Goliathem maximo suo periculo, sed aggressus est hoc periculũ ex fide, quia credebat in Christum Abrahæ promissum, & excitabať per spiritũ sanctum ad opprimendũ Goliathem, aduersariũ dei, & Israelis, exunctione, qua á Samuele in regem Israelis sanctificatus fuit. Tres adolescentes in Daniele malunt proĵci in fornacẽ ardentis ignis, q̃ adorare idolum. Suscipiunt aũt hoc periculum ex fide, quia credunt deum ipsis propitiũ esse propter semen Abrahæ, & filium Dauidis, qui est Christus, & habent uerbum dei: Non habebis alienos deos corã me. Quo uerbo iubenť potius uitã suam extremis ꝑiculis obĵcere, q̃ idolum adorare. Habes, qd sit pericula ex fide suscipere, nũc uideamus qd sit liberari & seruari. Nam liberatio intelligẽda est dupliciter, uidelicet, q̃ fiat aut corporali, aut spirituali modo. Etsi aũt deus, in ĵs ꝑiculis, ad quę uerbo suo uocat nonnunq̃ corporaliter iuuat, sicut Israelitas, Dauidẽ, & tres adolescentes in Babylone iuuit, tñ cum de diuina liberatiõe loquimur, p̃cipue intelligẽda est spiritualis & cœlestis liberatio, quę & regni Christi propria est. In Babylone tres adolescentes liberantur ex fornace ignis corporaliter. In Machabæis autem septem fratres, & mater eorum, non liberantur corporaliter, sed tantum spiritualiter, qa seruanť in morte, & consequunť æternã uitã. Et hęc diuersitas nõ in diuersis tm̃ pĵs, uerũetiã in uno pio, diuersis tp̃ibus cõtingere

ſolet. Vide mihi Petrum Apoſtolum. Hic prędicatione Euangelij a-
dit periculum, & conijcitur ab Herode in carcerem, non poſt multos
dies occidendus. Sed Deus liberat eum corporaliter è carcere, quia
mittit angelum, qui ipſum mirabiliter è carcere educat. Poſtremo
autem capitur à Nerone, & crucifigitur. Hic non liberatur corporali-
ter, ſed tantum ſpiritualiter, quia conſeruatur in morte, ad ęternam ui
tam & fœlicitatem. Hæc eſt maxima omnium liberatio, quam præci
pue nobis ob oculos ponere debemus. Etſi enim in periculis etiam
corporalis liberatio petenda & expectanda eſt, tamen ſi ea non fuerit
diſerte promiſſa, ſubijciamus nos diuinę uoluntati, & certo ſperemus
ſpiritualem ac cœleſtem liberationem, qua ſola ueram beatitudinem
conſequimur. Sed hactenus de miraculo Petri, in aqua maris ſeruati.
„ Perſtringamus & illud quod ſequitur miraculum: Vt ergo deſcende
„ runt in terram, uiderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum & pa
„ nem: Dicit eis Ieſus. Afferte de piſcibus quos prędidiſtis nũc. Aſcen
„ dit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piſcibus,
„ centum quinquaginta tribus. Et cum tot eſſent, non eſt ſciſſum rete.
„ Dicit eis Ieſus: Venite prandete. Et nemo diſcipulorum audebat inter
„ rogare eum, Tu quis es? cum ſcirent, q̃ Dominus eſſet: Venit itaq̃ Ie
„ ſus & accipit panem, & dat eis, & piſcem ſimiliter. Habes iterum mi-
„ raculum, non minus, q̃ illud prius obſeruabile. Diſcipuli ex noctur-
no labore defatigati ſunt, & famelici. Cum igit̃ nec piſces cepiſſent,
nec panem haberent, quomodo explebunt famẽ ſuam. Ecce autem in
hac deliberatione, poſtq̃ Chriſtus ſe prędentem exhibuit, non ſolum
capiunt magnam piſcium multitudinem, uerumetiã inueniunt in lit-
tore prunas, piſcem & panẽ, nulla humana ope parata, ut, ad prandẽ
dum, quantum ſatis eſt, habeant. Hoc miraculum docet nos, q̃ nul-
la ſit alimentorum indigentia ijs, qui ſunt cum Chriſto & in Chriſto,
& q̃ Chriſtus ſuppediter ſuis omnium rerum, quas neceſſitas exigit,
abundantiã & copiã. Quod ut recte intelligaẽ, conſiderandũ eſt, qd
ſit cũ Chriſto & in Chriſto eſſe. Non em̃ uere in Chriſto eſſe dicit,
qui corporaliter tm̃ ipſum attingit, quemadmodũ ſępe turba hominũ
eum attigit, & ſicut etiã Caiaphas cũ ipſo fuit, ſed eſt Chriſtũ uera fi
de cõplecti, & in Chriſti uocatiõe ambulare. Qui ſic cũ Chriſto & in
Chriſto eſt, huic nihil alimentor̃ opportuno ſuo tpe deeſſe poteſt.
Chriſtus em̃ donaẽ cũ oĩbus bonis ei, qui uere in ipſum credit. Chri-
ſti aũt eſt non cœlũ tm̃, ſed etiã terra & plenitudo eius: Et, Oia ſubie
ciſti ſub pedibus eius, oues & boues uniuerſas, inſuper & pecora cã-
pi. Quibus ergo reb. carere poſſet tã diuite penu donatus? Huc acce-
dũt p̃miſſiões de alimẽtis. Nõ in ſolo pane (inq̃t) uiuit homo, ſed in
omni uerbo, ſeu uocatione, q̃ egredit̃ à dño. Et alias: Primũ q̃rite reg

num

num dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur uobis. Et Paulus: Corporalis, inquit, exercitatio paululum habet utilitatis, at pietas ad oia utilis est, ut q̃ promissiões habeat uitę p̃sentis ac futurę. Pietas aũt uera est, credere in Christum, q̃ ipse solus sit propitiator noster corã deo, et in uocatione Christi ambulare. Hęc ergo pietas habet suas promissiones non tm̃ de cœlestibus, uerũetiam de corporalibus huius uitę bonis: Deinde, cum loquimur de rerum seu alimentorũ abundantia, non loquimur de tali abundantia, qualẽ uel auari uel prodigi, quibus nihil satis est, intelligũt, sed qualẽ necessitas nostra exigit, & qualem deus ipse nobis prodesse nouit. Questus magnus est, inquit Paulus, pietas cum aĩo sua sorte contento. Nihil enim intulimus in mundum, uidelicet, nec efferre quicq̃ possumus, sed habentes alimenta et quib. tegamur, his cõtenti erimus. In deserto pauit deus Israelitas manna, quod dicebãt esse leuissimum cibum, & potauit eos aqua. Potuisset eis in cibum proponere conquisitissimas epulas, & in potum, suauissimum uinum, sed uisum est eos, pro necessitate, pascere manna, & potare aqua. Elias propheta deo acceptissimus, mittitur in fame nõ ad cados uini cretici, sed ad torrentem Carith. Et cum fugeret Isabellam, ac p̃ fame sub iunipero tm̃ non deficeret, angelus attulit ei, non simulam, sed panẽ subcineritium, & attulit, non uasculum uini cretici, sed uasculum aquę, hæc aũt talia fuerunt, ut in fortitudine eorũ ambulauerit quadraginta dieb. & quadraginta noctibus. In Daniele, pueri corpulentiores & uenustiores reddũtur cibo leguminum, & potu aquæ, q̃ alĩ cibo & potu regio. Ea enim alimenta, quę diuinitus benedicuntur, uere fiunt sufficientia & suauia, etiãsi alioqui uidentur pauca & insuauia. Melius est, inquit psalmus, modicũ iusto, super diuitias pc̃tõrum multas. Et Salomon: Melius est parum cum timore Dñi, q̃ thesauri magni & insatiabiles. Ac iterũ: Melius est parũ cum iustitia, q̃ multi fructus cum iniquitate. Hęc oĩa eo' meditanda sunt, ne quis paupertate p̃ssus deum abneget, & operã impostoris dandã suscipiat, sed discat in manum Dñi respicere, & eo, q̃d deus clementer largitur, contentus esse, ac in timore dñi ex fide ambulare. Hactenus de miraculis, q̃ in hac apparitione Christi ædita sunt. Nam hac iam tertia uice manifestatus est Iesus discipulis (unà uidelicet congregatis, priuatim eĩ sępius eis apparuit) cum resurrexisset à mortuis. Meminerimus autẽ toties nobis ꝓponi certitudinẽ salutis nostrę, quoties proponit testimonium resurrectionis Christi. Si enim credimus q̃ Iesus mortuus est & resurrexit, nihil certius est, q̃ q̃ deus eos qui obdormierunt, ut Paulus ait, per Iesum, adducet cum illo, ut rapiamur in nubibus in occursum dñi in aera, & sic semper simus cum Dño, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus benedictus in secula. Amen.

HOMILIA LXVII.

ON est dubium, quin DOMINVS nō ster Iesus Christus potuisset ueritatem & maiestatem Resurrectionis suæ nō minus coram uniuerso mundo, q̄ coram septem tantum, aut undecim, aut pluribus patefacere & illustrare. Sed quia nondum erat tempus nouissimi diei, q̄ coram toto mundo in maiestate sua apparebit, Voluit resurrectiōem suam testatam relinquere apud hos præcipue, qui in uulgando Euangelio suo futuri essent ministri. Deus, inquit Petrus, suscitauit Iesum tertio die, & exhibuit eum, ut manifestus fieret, non toti populo, sed testibus prius ad hoc delectis à deo, nimirum nobis, qui comedimus & bibimus una cum illo, posteaq̄ resurrexit a mortuis. Et præcepit nobis, ut prædicaremus populo, ac testificaremur, q̄ ipse sit ille qui cōstitutus est à deo iudex uiuorum & mortuorum. Quare, cum Christus ad mare Tiberiadis satis manifeste, ac multis miraculis comprobasset coram septē discipulis, se uere a mortuis resurrexisse, ac regnare, instituit a prandio colloquium cum Petro, in quo nō tam Petrum, q̄ collegas eius docet, quale futurum sit ministerium ipsorum in Ecclesia, & quid ipsis faciendum ac paciendum sit. Cum prandissent, inquit Euangelista, dicit Iesus Simoni Petro: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis, q̄ amem te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei rursus iterum: Simon Ioannis diligis me. Ait illi: Etiam Domine, tu scis, q̄ amem te. Dicit ei: Pasce oues meas. Dicit ei tertio: Simon Ioannis amas me. Indoluit Petrus, q̄ dixisset sibi tertio, Amas me, dixitq; ei: Domine, tu omnia nosti, tu scis, quòd amem te. Dicit ei Iesus: Pasce oues meas. In hoc colloquio, Christus unum quidem Petrum priuatim alloqui uidetur, non autem uult unum Petrum in pastorem Ecclesiæ suę ordinare, sed uertit sermonem ad Petrum, primum, ut cum Petrus grauissime lapsus esset, certificaretur iterum etiam coram alijs discipulis, se uocationi Apostolicæ uere restitutum esse. Deinde, ut & collegæ eius, qui & ipsi antea defecerāt a Christo, cognoscerent, se ministerio suo, Petri exemplo redditos esse. Si enim Petrus, tantus Christi abnegator, restituitur Apostolico muneri, dubium non est, quin & ipsis pateat ad hoc ministerium receptus. Nam quod Petro dictum est, Pasce oues meas, Petrus ipse exponit, q̄ pertinea ad omnes collegas, non solum eos, qui tunc præsentes e-

sentes erant, sed etiam ad illos, qui in ministerio prædicandi Euangelij successuri essent. Sic enim scribit Petrus: Presbyteros, qui inter uos sunt, obsecro, qui sum & ipse presbyter ac testis afflictionũ Christi, atq; idem consors gloriæ, quæ reuelabitur, PASCITE, quantum in uobis est, gregem Christi, curam illius agentes non coacte, sed uolentes. Pascite, inquit, gregem Christi: Non alloquitur nominatim Romanos presbyteros, seu episcopos, quamuis & hos intelligi uelit, sed presbyteros Ponti, Galatię, Cappadotię, Asię, Bithyniæ, adeoq; uniuersæ Ecclesię. Nec usurpat sibi dominationem in ipsos, sed cohortatur eos ad capessendum ministerium ipsis commune. Similiter et Paulus presbyteris Ecclesię Ephesinę dicit: Attendite uobis, et cuncto gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit episcopos ad regendum Ecclesiam dei, quam acquisiuit sanguine suo. Et iterum: Cum ascendisset in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus, alios quidem Apostolos, alios uero Prophetas, alios Euangelistas, alios PASTORES, ac doctores. Vides non Petrum tantum, sed omnes eos, qui pie docent Euangelion Christi in Ecclesia, datos & ordinatos esse in Ecclesiæ Pastores. Quod cum ita se habet, considerandum est, q̃ Christus uocet Ecclesiam suam Agnos & Oues, non hircos, aut lupos. Agnus enim dicitur inter mille oues uocem suæ matris agnoscere. Sic & Ecclesia Christi, non debet inter tam uarias huius mundi doctrinas, aliam agnoscere, cẽq; doctrinam Euangelij Christi domini sui. Ouis animal plane inerme est, pendet autem tota è cura pastoris. Sic & Ecclesia non habet alium tutorem & defensorẽ, præter Iesum Christum DOMINVM suum. Sed de hac re aliàs copiose dictum est. Quid ergo amplius dicemus? Num quia Christus ter commendat Petro curam pascendi oues suas, deseruit ipse gregem suum, & reliquit eum in libera Petri potestate? Nihil minus. Christus non deseruit suum gregem, Sed retinet ipse sibi perpetuo offitium summi ac solius ueri Pastoris. Suscitabo super ea, inquit Ezechiel, pastorem unũ, qui pascat ea, seruum meum Dauid, ipse pascet ea, & ipse erit eis in pastorem. Hic pastor est Iesus Christus, qui & ipse ait: Ego sum pastor ille bonus: Bonus pastor animam suã dat pro ouibus. Et Petrus: Couersi estis nunc ad pastorem & curatorem animarum uestrarum. Ac iterum: Cum apparuerit ille pastorum princeps, reportabitis immarcessibilem gloriæ coronam. Quare Christus non deseruit gregẽ suum, cum dicat: Ecce ego uobiscũ sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi, sed manet ipse perpetuus pastor. Interim autem cooptat sibi Petrum, & alios non Apostolos tantum, uerumetiam omnes pios Euangelij contionatores, in cooperarios & pastores, non q̃a ipse in offitio suo cesset, sed ut habeat, quorũ ministerio offitium

1 Pet. 5.

ſuum exerceat,& gregem ſuum paſcat. Ego, inquit Paulus, plantauí, Apollo rigauit,ſed deus dedit incrementū.Et mox:Dei ſumus coopera rij,dei agricolatio, dei ædificatio eſtis, iuxta gratiā dei, quæ data eſt mihi.De his paſtoribus dicit Dominus per Hieremiam: Introducam uos in Zion,& dabo uobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent uos ſcientia & doctrina.Hic habes non ſolum de paſtoribus, uerum etiam de paſcuis.Paſcua enim eccleſiaſtici gregis,non ſunt,ut iſti fingunt,traditiones humanę de diſcrimine ciborum, de ordinibus monaſticis, de Indulgentijs, de ſolennitatibus Miſſarum, de ſtatis ieiunijs & precibus, decę aljs id genus cōmentis, de quibus Chriſtus ex Eſaia dicit:Fruſtra me colunt,docentes doctrinas,prȩcepta hoīm,Sed uera paſcua ſunt,Euangelion Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod promittit gratuitam remiſſionem peccatorȩ propter ſolum Chriſtum ꝑ fidem,& donat ſpiritum ſanctū ad obediendū uocationi Chriſti.Hęc ſunt paſcua,quę conſeruant gregem in ęterna uita. Prędicate, inquit, Euangelion omni creaturæ: Qui crediderit(Euangelio) & baptiſatus fuerit,ſaluus erit.Et iterum: Amen,amen dico uobis,Si quis ſermonem meum ſeruauerit,mortem non uidebit inęternū. Sed reuertamur ad paſtores, & uideamus quid ipſis in hoc offitio faciendū & patiendum ſit,ut gregem Chriſti recte paſcant.Primum, neceſſe habent diligere & amare Chriſtum principem paſtorum. Chriſtus em̄ non cōmendat Petro curam agnorum & ouium ſuarum, niſi Petrus prius profiteatur, ſe ex corde ipſum amare. Chriſtum aūt ex corde amare,eſt in Chriſtum credere,ſolum Chriſtum pro ſuo ſeruatore & expiatore cœleſtis iræ agnoſcere,Solum uerbum Chriſti prædicare, & omnia ad gl̄iam Chriſti referre.Liberi,ſi uere ex aīo amauerint parentes ſuos,hoc unū agunt,ut parentibus gratificent̄, ut parentes honorent,ut uerbum eorȩ omni qua poſſunt, diligentia obſeruent. Sic & paſtores ouium Chriſti,nihil prius,nihil poſterius ducāt,cęꝑ ut toti è uerbo Chriſti pendeāt. Quare qui non prędicāt uerbum Chriſti, nec quęrunt gloriā eius,non amant eum. Et quia nō amant, non ſunt ueri paſtores,ſed q̄runt potius ut mactēt,cęꝑ ut paſcant oues. Deinde paſtores ouium Chriſti,non debent ſentire ſe uocatos eſſe,ad adminiſtrāda mundana imperia, & ad fruendas uoluptates huius ſeculi, ſed ad patienda multa & magna in hoc ſeculo aduerſa, & ad ſufferendas uarias afflictiones. Sic enim pergit Chriſtus ad Petrum dicere: Amē, amen dico tibi,cum eſſes iunior,cingebas te,& ambulabas, quo uolebas. Cum autem ſenueris,extendes manus tuas,& alius te cinget, & ducet,quo non uis. Hoc autem dixit,ſignificans,qua morte glorificaturus eſſet deum. Hæc eſt contio de cruce paſtorum Eccleſiæ. Etſi autem alius alio crucis genere affligitur,non enim omnes crucifigun

tur,

tur, ſicut Petrus, non omnes gladio decollantur, ſicut Iacobus & Paulus, non omnes lapidantur, ſicut Stephanus, omnes tamen ſuas habẽt calamitates in hoc ſeculo, non illas tantum communes humani generis, ſed iſtas etiã ſpeciales & perſonales, de quibus Chriſtus dixit: Ecce ego mitto uos ſicut oues in medio luporum. Et iterum: Si me perſecuti ſunt, & uos perſequentur. Audiamus ergo de Petri cruce. Nã cp Chriſtus contionetur ei hoc loco de mortis ſuæ genere, Ioannes ipſe perſpicue exponit, cum addit, hęc dicta eſſe, ut ſignificetur, qua morte Petrus glorificaturus eſſet deum. Cum eſſes, inquit, iunior. Hęc locutio ſumpta eſt, à moribus puerorum & iuuenum. Pueri enim, cum nondum per ętatẽ ſapiunt, non coercentur legibus, ſed permittunt ſua puerili libertate frui. Ambulant, quo uolunt. Non cõmittitur eis aliquod certũ negotij genus, ſed conceditur, ut libere ſuis puerilibus ludis occupentur. Poſtcp aũt adoleuerint, & iam ſapere ac ſeneſcere incipiunt, non datur eis libere, quo uolunt, uagari, ſed coercẽtur diſciplina, traduntur uel literis uel opificijs erudiendi, deinde ſubijciunt legibus reip. neceſſe habent obedire magiſtratui, adeocp alieno arbitrio uiuere. Sic & Chriſtus de Petro dicit: Cũ adhuc eſſes iunior, hoc eſt, dum adhuc nouus es Apoſtolus, ambulas, quo libet. Hactenus ſecurus & liber ambulaſti in tuo Apoſtolatu. Non es prohibitus à miniſterio tuo, nuncp es ab aduerſarijs coercitus uirgis, nuncp cõiectus in carcerem, ſed libere uerſatus es in tua uocatione. Ac paulo poſt, etiam frueris hac libertate. Etſi enim conijcieris aliquoties in carceres, tamẽ educent te angeli, ut libere fungaris tuo miniſterio. Euades è manib. principis ſacerdotum & Herodis, ut ambules in officio tuo, quo uoluAct. 5. & 12
eris. Poſtcp aũt peruueneris ad terminũ Apoſtolatus tui, & fueris iam ſenex Apoſtolus, ibi tum extendes manus tuas, hoc eſt, crucifigeris. Qui enim crucifiguntur, neceſſe habent manus extendere. Et alius, ui delicet Nero aut ſpiculator eius cinget te, & ducet te, quo non uis. Petrus enim affixus eſt cruci à Nerone, capite in terram uerſo, & pedib. in ſublime eleuatis. Sed quid? Num Petrus nolens, & inuitus ſubijt crucem pro Chriſto? Dicit enim: Ducet te, quo nõ uis? Crucifigi quidem uoluit ſpiritu, ut uocatiõi Chriſti obediret, ſed noluit carne. Habes idẽ in Chriſto ipſo. Pater mi, inquit, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte, uerumtamen non ſicut ego uolo, ſed ſicut tu. Vides Chriſtũ nolle & uelle crucem. Sed maximum eſt diſcrimen inter Petrum & Chriſtũ. Petrus non uult crucem carne, hoc eſt, humana natura, quæ in Petro corrupta eſt peccato originali, ideocp cp nõ uult crucem, conjunctum eſt in eo cum peccato, quod tamen propter Chriſtum condonatur. Chriſtus autem non uult crucem carne, ſed ſine peccato. Homo emẽ, natura ſua diuinitus creata, abhorret à cruce & morte. Hæc autem

natura, in reliquis quidem hominibus uiciata est peccato. In Christo autem est sine omni uitio & peccato. Habemus, inquit Apostolus, pontificem tentatum per omnia iuxta similitudinem absq; peccato. Quare, cum talem, tanq; sanctum habeamus pontificem Iesum Christum, accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, ut etsi caro nostra in sufferenda cruce pugnat cum spiritu, nos tamen uincamus carnis peccatum per Christum, & obsequamur uoluntati dei. Sed nec illud prætereundum est, q̃ Ioannes crucem & mortem Petri, uocet glorificationem dei. Significans, inquit, qua morte glorificaturus esset deum. Nam cum Petrus affixus est cruci propter doctrinam Christi, testatus est morte sua, Euangelion de Iesu Christo uerum esse, uidelicet, quod hic Iesus, sit uerus Christus, seu Messias, ac uerus filius dei, propter quem solum pater sit nobis, credentibus in ipsum, propitius. Hæc autem magna est gloria dei patris ac filij eius, quod pater propter filium tam misericors sit, ut etiam extrema & perpetua supplitia meritos seruet, ac donet eis cœlestem fœlicitatẽ, si in filium suum crediderint. Admoneamur autem hoc loco de nostro offitio, ut nos sic instituamus, quo omnes nostræ actiones & passiones sint glorificatio dei. Sicut enim Deus creauit cœlum & terram, non ut sint otiosa spectacula, sed ut ex ipsis cognoscatur deus, quemadmodum Paulus docet, ita creauit hominem in hunc usum, non ut uentri suo seruiat in hac terra, sed ut deum glorificet. Glorificatur autem deus, primum fide, inuocatione nominis eius, & publica prædicatione de bonitate, de clementia, deq; alijs uirtutibus eius, deinde obsequio uerbi eius, & bonis operibus, quę ipse uerbo suo mandauit. Qui enim hęc agit, prędicat ipsis operibus, deum dignum esse summa ueneratione, & adoratione. Postremo glorificatur etiam obedientia & pacientia in sufferendis aduersis, & in toleranda morte diuinitus imposita. Nam qui hæc obedienter suffert, profitetur deum ea maiestate prędituꝫ esse, ut nemo debeat uoluntati eius resistere, & bellum cum ipso suscipere, sed se totum ipsi subijcere. Hic est usus, in quẽ positi sumus in hoc seculo. Inuocemus igitur DOMINVM, ut spiritu suo mẽtes nostras illustret, & uirtutes largiatur, quo pie & diligenter offitio nostro fungamur per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula,

Amen.

HO-

HOMILIA LXIX

ONDVM absoluimus colloquiũ Christi, cum Petro, quo colloquio, etsi Ioannes Euangelista absoluit suum librũ, quẽ de doctrina & miraculis Christi cõscripsit, Christus tamen non absoluit, nec abiecit curam suam, quam pro Ecclesia sua suscepit. Nam instituit etiam hoc colloquium cum Petro, non tam Petri, q̃ uniuersę Ecclesiæ gratia. Cum enim antea exposuisset Petro, non solum mortem, uerumetiam genus mortis, quo esset ipsum glorificaturus, nũc exponit ei idem de genere mortis paulo clarius. Dicit enim ei: Sequere me. Hoc intelligendum esse de simili mortis genere, quo Christus diem suum obijt, perspicue significãt circumstantię huius loci, & testatur euentus, ut sit sententia. Sicut ego crucifixus sum, ita tu crucifigeris. Quid ergo? Num hęc Petri tantum causſa cõmemorantur? Nequaq̃, sed quę Christus cum Petro loquitur, erudiunt uniuersam Ecclesiam, & docent, quanta cura Christus ipsam cõplectatur. Vidit enim Christus longe ante, quid euenturum esset Petro. Nam quod de crucifixione Petri dicitur, non statim eo anno, quo Christus resurrexit, impletum est, sed triginta septem annis post, ultimo uidelicet Neronis anno. Nunquid autem Christus uidet tantum crucem Petri, & non uidet liberationem ac salutem eius? Absit, Ideo ẽm Petro de genere mortis eius cõtionatur, ut significet, se de conseruatiõe eius in morte longe ante deliberasse, & salutẽ certã constituisse. Nam cũ aliàs Petrus diceret ad Christũ: Ecce nos reliquimus oĩa, & sequuti sumus te. Quid ergo erit nobis? audit: Amẽ dico uobis, q̃ uos qui secuti estis me in regeneratiõe, cũ filius hoĩs sederit in sede maiestatis suę, sedebitis & uos sup̃ sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Quod aũt de Petro dictũ est, hoc intelligendũ erit pro suo mõ, de uniuersa ecclesia Christi. Nulla ẽm afflictio, nulla aduersitas accidit Ecclesię, quã Christus non lõge ante p̃uiderit. Non p̃uidit aũt, ut cognoscat tm̃, sed potius ut deliberet & cõstituat de uia ac modo quo sit Ecclesiã seruaturus. Nunq̃ ẽm committeret, ut Ecclesię aduersa acciderẽt, nisi ea essent Ecclesiæ utilia, & liberatio certissima esset cõstituta. In psalmo ait Dauid: In te cõfirmatus sum ex utero, de uentre matris meę, tu es protector meus. Et iterum: Confitebor tibi, q̃ mirabiliter formatus sum, mirabilia opa tua, & anima mea cognoscet nimis. Non est occultatũ os meum à te, quando in occulto for

mabar, quando fingebar infra in terra. Cum adhuc essem informis massa, me uidebant oculi tui, & omnes dies mei, quorum nullus adhuc aderat, scripti erant in libro tuo. Huc pertinet & illud quod Christus ait: Nonne duo passerculi minuto asse ueneunt? & unus ex illis non cadet in terram sine patre uestro. Vestri etiam pili capitis omnes numerati sunt. In Genesi cap. xv. uidet deus longe ante, quanta mala euentura sint posteris Abrahæ: Scito, inquiens, q̃ peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiũgient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Non solum autem uidet afflictionem, sed etiam constituit liberationem. Nisi enim hanc præstare uellet, ac posset, illam, ut fieret, non permitteret. Veruntamen, inquit, gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo, & posthęc egredientur cum magna substantia. Hæc nobis diligenter cognoscenda sunt, ut cum inciderint aduersa, cogitemus ea non accidere inscio deo, nec conemur ea impietate aut sceleribus deuitare. Sed siquidem possumus ea diuino fauore, & iusta uia euadere, utamur beneficio dei grato animo. Si autem nulla patet nobis iusta euadendi uia, tradamus nos in obsequium dei patienter, & expectemus DOMINVM in silentio & spe, certa fiducia concepta, q̃ DOMINVS, qui est afflictionis autor, sit etiam propitius noster seruator ac liberator. Sed reuertemur ad Petrum. Postquam enim audiũt se glorificaturũ Christum cruce: Conuersus, uidet illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius & dixit, domine quis est ille qui tradet te? Hunc ergo cum uidisset Petrus, dicit Iesu: Domine, hic autem quid? Dicit ei Iesus: Si eum uelim manere, donec ueniã, quid ad te? Tu me sequere. Etsi Petrus non uidetur maleuolo sed prorsus beneuolo erga collegam suum Ioannem animo, de genere mortis eius interrogare, tamen curiositas eius haud immerito reprehenditur, & audit. Quid tua refert, quo tempore, & quali mortis genere alium ex hoc seculo euocẽ? Tu tua curato, & para te ad hoc sufferendum, quod ego tibi immitto. Sicut autem solet curiositate uariis modis peccari, ita hoc quod ad Petrum dicitur. Quid ad te: Tu me sequere, latissime patet. Alij enim excitati nimia sua sapientia, negligunt suam uocationem, & curant aliena negotia. Hic solet fere priuatorum hominũ morbus esse, qui nulla aut minima tenentur cura domesticæ suæ administrationis, interim autem usurpant sermonibus suis, in omnibus foris & tonstrinis, negotia magistratus gubernanda. Odiosum hominum genus, ad quos merito dicitur: Quid ad te magistratus functio? Tu cum sis priuatus, & habeas familiam domi curandam, tuas res agito, & sectator eam

eam uocationem, in qua deus te collocauit. Vnde & Petrus ipſe hoc Chriſti reſponſo edoctus, ſcribit: Ne quis ueſtrum affligatur, ut ἀλλοτριοεπίσκοπος ſeu alienarum rerum curioſus. Alij excitati ſuperſtitione, & admiratione alienæ ſanctitatis deſerunt legitima uitæ ſuæ genera, & ſequuntur exempla Sanctorum, ſine uerbo dei. Hi ſunt Sanctorum Simiæ. Imitantur opera eorum, cum tamen longe abſint à fide ipſorum. Sic multi imitati ſunt ueteres Eremitas, quos audiuerunt pane tantum, imo ne pane quidem, ſed radicibus tantum herbarum uictitaſſe. Et quod nonnulli illorum ex uocatione dei, & rerum omnium penuria, cum perſecutiones fugerent, fecerunt, hoc imitantur hi nulla dei uocatione, ſed tantum ſua ipſorum ſuperſtitione, ut horum operum iuſtitia expient peccata, & mereantur regnum cœleſte. Minoritæ, quos ita uocant, notiſſimum monachorum genus in Pontificia religione, non attingunt nudis digitis pecuniam, idq; uolunt uideri facere exemplo Apoſtolorum, quos Chriſtus ſine pecunia emiſit. Sed quod Apoſtoli fecerunt ex uerbo Chriſti, & ex præſenti neceſſitate, hoc illi faciunt ex hypocriſi, & impietate, ut uel uideantur alijs ſanctiores, uel mereantur hoc opere gratiam apud deum. Moſes, Elias, & Chriſtus Dominus noſter, ieiunarunt totis quadraginta diebus & noctibus, idq; fecerunt diuina uocatione, & conſeruatione. Etſi autem nullus hominum poteſt ſuis uiribus, hoc exemplum, ſic ut iſti fecerunt, imitari, tamen hi qui ſibi uendicant dominationem in Eccleſiam, inſtituerunt ad exemplum iſtorum, ieiunium, ut uocant, quadrageſimale, quo homines peccata ſua coram deo expiarent. Hoc autem nihil aliud eſt, quàm exemplo Chriſti, contra Chriſtum ieiunare. His ergo ineptis imitatoribus haud iniuria dicitur, Si ego uolui, ut hic aut ille in deſerto uitam ageret, aut ut multis diebus abſq; corporali cibo conſeruaretur, quid ad te? Tu me ſequere. Tu quod ego tibi præcipio, facias. Alius enim aliam habet uocationem. Et ut in corpore humano, una eſt anima, una uita, multa autem membra, quorum unumquodq; ſuum habet offitium, nec congruens eſt, ut manus arroget ſibi offitium oculorum, aut oculi arrogent ſibi offitium manuum, ita etiam in corpore Eccleſiæ, unus eſt Chriſtus, una fides, uaria autem ſunt membra, quæ & uaria & diſtincta habent offitia, atq; uocationes: Diuiſiones donorum ſunt, inquit Paulus, ſed idem ſpiritus, & diuiſiones miniſteriorum ſunt, ſed idem DOMINVS, & diuiſiones operationum ſunt, ſed idem eſt deus efficiens omnia in omnibus. Quare in hoc quiſque ſtudium incumbat, ut ſinat alios ſuo dono ſtare, ipſe autem

ſuo dono & miniſterio contentus uiuat: Alij excitati carnali affectu, inuident alienæ fœlicitati, & quia putant ſe tanto infœliciores, quanto fœliciores alios uident, omnem lapidem, quod dicit, mouēt, ut quoquo modo, ſiue iure, ſiue iniuria, alienam fœlicitatē in ſe tranſferant, aut ſi hoc non queant, eam ſaltem in alio impediant. Sic pauper inuidet diuiti ſuas diuitias, ſic alter inuidet alteri ſuum honorem, potentiam, magiſtratum, doctrinam, & ſi qua ſunt alia. Vulgatiſſimū hoc eſt uitium inter homines. Sed ſingulis dicitur: Si uolo hunc aut illum diuitem, potentem, honoratum, doctum, quid ad te? Tu me ſequere. Tu tuo dono ſis contentus. In hoc uel ornando uel exercendo meam ſequere uocationem. Quid enim profuerit tibi tua inuidia? Paulus commemorat Inuidiam in eorum ſcelerum catalogo, in quo recenſet cædes & homicidia. Nec obſcurum eſt, ꝙ inuidia, quæ eſt homicidium coram deo, impellat hominem etiam in externum homicidium, & in omnia genera malorum. Exemplo ſunt Cain, Saul, Iudæi, & multi alij. Quid em̄? Num ſperas te poſſe cōtra uoluntatē dei alteri nocere, & donū dei ab eo auferre? Potes ꝙdem, cōniuente deo, proximū inuidia tua in aliquod externū incommodū conijcere, ſed deus cōpenſat illi, ſi pius eſt, maiori cōmodo, & tu conijcis te in extremam internitionem. An non Cain perpetuis terroribus ita obrutus fuit, ut etiam in ijs perierit? Quid Saul? nonne tandem & uitam & regnum amiſit? Iudæi inuidia ſua adegerunt Chriſtum in crucem, ſed Chriſtus per crucem intrauit in gloriam patris ſui, illi autem amiſerūt tam terrenam quàm cœleſtem ſalutem. Quod ſi officium noſtrum probe conſideraverimus, certe debemus DOMINO deo noſtro hunc ſapientiæ & iuſtitiæ honorem, ut ſentiamus eum optime & rectiſſime dona ſua hominibus diſtribuere. Quare ſi cui alteri donum dei contigerit, quod nobis negatum eſt, non ſuccenſeamus iuditio dei, ſed tribuamus ei gloriam rectæ rerum adminiſtrationis. Neque enim deus idcirco te odio habet, quòd confert in alium maiora dona, ſed potius quia tibi fauet & imbecillitati tuæ parcit, minora imponit. An non paterfamilias peregre profecturus, & res ſuas domeſticas aliò tralaturus, maiora imponit onera filio robuſtiori, quàm filio adhuc penè infanti? Conqueretur ne infans ſe à parenti odio haberi, ꝙ non imponat ipſi grauius onus? Sed certe nihil prorſum habes, quod conqueraris. Eccleſia enim unum eſt corpus ſub capite Chriſto, domino noſtro. In corpore autem, quod donum in unum membrum confertur, hoc cedit in utilitatem ſingulorum etiam membrorum. Neque enim oculus ſibi tantum uidet, ſed uidet tam manibus, quàm pedibus. Neq; auris ſibi tantum audit, ſed audit toti corpori.

Sic

Sic & in Ecclesia, quod deus in unum Ecclesiæ membrum cõfert, hoc toti corpori, & membris eius prodest. Quare non est alienis donis inuidendum, sed potius nobis congratulandum, & deo gratiæ agendæ, q̃ Ecclesiam suam tam prudenter administret, ut etsi alijs alia dona cõfert, unam tamen salutem operetur. Cæterum, quod Christus de Ioanne dicit, hoc Ioannes quidem recte intelligit, alij autem secus intelligunt. Vnde sequitur. Exijt ergo sermo iste inter fratres, q̃ discipulus ille non moreretur. Et non dixerat ei Iesus: Non moritur. Sed si eum uelim manere, donec ueniam, quid ad te? Ioannes scribit uixisse usq̃ ad sexagesimum octauum annum post passiõem Christi. Quare cum Christus dixisset: Si eum uolo manere, donec ueniam, & Ioannes conseruaretur tot annis inter tam uaria pericula, & seuas persecutiones, ui debatur euentus ipse significare, sermonem Christi intelligendum esse, q̃ Ioannes nunc̃ esset moriturus. Sed Ioannes ipse refutat hunc errorem. Et tamen ne sic quidem potuit effugere humana de morte sua figmenta. Fuerunt enim qui uulgarunt ipsum, quamuis sepultum, & terra obrutum, adhuc spirare, cuius rei argumento sit, quod terra in eo loco, anhelitu eius quasi ebulliat. Etsi autem Ioãnes in Christo seruatore nostro, uere & perpetuo uiuit, sicut & omnes alij pij, ac Deus omnipotens rerum omnium creator, maiora miracula ædere potest, & hominem multis annis sub terra corporaliter uiuum conseruare, tamen quia Ioannes ipse testatur sermonem Christi non sic intelligendum esse, & quæ de anhelitu eius iactata sunt, incertis autoribus constant, sentiamus eum uere mortuum esse, conseruari tamen in Christo æterna uita. Nostri uero offitij est, ut uerba diuina non oscitanter percurramus, nec de ipsorum sententia, secundum præsentem & externum euentum iudicemus, ne ex uita, mortem, & ex morte, uitam faciamus. Sed perpendamus ea maxima omnium diligentia, & inuocemus deum patrem per Iesum Christum filium suum, ut spiritu sancto suo mentes nostras illustret, ac ueram sententiam nobis aperiat, in qua & perpetuo nos conseruet. Porro, cum uisum est Ioanni, se satis testimoniorum de persona Christi, de offitio Christi, de doctrina & de miraculis ac etiam de Resurrectione eius à morte, literis mandasse, concludit librum suum, & addit: Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc. Et scimus q̃ uerum est testimonium eius. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, ne ipse, opinor, mundus caperet eos, qui scriberentur, libros. Initio, cum Ioannes facit mentionem testimonij: Qui testimonium, inquiens, perhibet de his, significat se suscepisse hæc scribenda non temere, sed ex offitio & uocatione,

Apostolorum enim officium fuit, testificari de Iesu, quod esset uerus Messias seu Christus. Cum uenerit (inquit Christus) paracletus, quē ego mittam uobis à patre, spiritus ueritatis, qui à patre procedit, testimonium perhibebit de me. Quin & VOS testes estis, quia ab initio mecum estis. Et iterum, Eritis mihi testes, non solum Hierosolymis, uerumetiam in uniuersa Iudea, Samariaq;, denicq; usq; ad extrema terræ. Deinde Ioannes commendat testimonij sui Veritatem. Scimus, inquiens, q; uerum est testimonium eius. Sed unde hoc scimus? Hoc docet ipse in priori sua epistola, cap. i: Audiuimus, inquit, uidimus oculis nostris, perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt. Vnde & Petrus ait: Non possumus, quæ uidimus & audiuimus, non loqui. Et iterum: Hunc Iesum deus suscitauit tertio die, & exhibuit eum, ut manifestus fieret, non toti populo, sed testibus prius ad hoc delectis, nimirum nobis, qui comedimus & bibimus unà cum illo, posteaq; resurrexit à mortuis. Quid, q; Ioannes non solum accepit unà cum alijs collegis suis spiritum sanctum in die Pentecostes, uerumetiam addidit multa & magna miracula in noie Christi, de quibus alias diximus? Quare de ueritate testimonij eius, quod perhibuit Iesu Christo, intantum non est dubitandum, ut si angelus de cœlo aliud nobis adnunciaret, pro anathemate habendus esset. Sed usum huius scripti Ioannes supra recitauit, cum ait: Hæc scripta sunt, ut credatis, quod Iesus est CHRISTVS ille filius dei, & ut credentes uitam habeatis per nomē eius. Postremo excusat breuitatem scripti. Tanta est magnitudo & multitudo rerum gestarum, contionum, ac miraculorum Christi, ut si singula scriberentur, mundus non caperet libros, hoc est, necesse foret tam multos libros scribere, ut nulla fere hominis ætas sufficeret, quæ posset eos libros legendo percurrere. Itaq;, ut imbecillitati hominum consuleretur, ex multis, imo innumeris, pauca, quæ adnotaretur, delecta sunt. De infantia enim Christi, pauca admodum extant, de adolescentia eius pauciora. Sed dubium non est, quin diuino consilio factū sit, q; non omnes res gestæ Christi in adolescentia ipsius literis sint mandatę, ne uidelicet daretur occasio superstitiosis, ex quibusuis puerilibus Christi actionibus singularem ordinem monasticum instituendi. Vide mihi, quid de uno tantum Christi uerbo factum sit: Cum enim Christus emitteret Apostolos suos, iussit eos abire sine auro, sine argento. Hoc arripuerunt Hypocritæ, quos uocant Minoritas, & instituerunt, ut qui sunt suæ professionis, non contrectent pecuniam. Si uno exemplo Hypocritæ sic abusi sunt, quid factum esset, si omnes pueriles Christi actiones fuissent literis ad posteros propagatę. De officio autem Christi, quod tricesimo ætatis suæ anno publice faciendum suscepit, extant quidem satis sufficientia,

cientia, ſed tamen & ipſa pauca ſunt, ſi referantur ad oim rerum gestarum ſummam. Neq; enim omnes contiones Chriſti, neq; omnia miracula eius cõſcripta ſunt. Matthęus dicit, Ieſus circuibat totam Galilæam, docens in Synagogis illorũ, ac prædicans Euãgelion regni, & curans OMNEM morbũ, & OMNEM languorẽ in populo. Et adduxerunt ad illum OMNES male affectos uarijs morbis ac torminibus cõtractos, & dæmoniacos, & lunaticos, & paralyticos, ſanauitque illos. Quantam putas fuiſſe multitudinẽ male affectorũ, in regione tam lata & ſpatioſa? Tot igit miracula ędita ſunt, quot male fuerũt affecti. Et iterum dicit Matthæus: Adduxerunt illi dęmoniacos multos, & eiecit ſpiritus uerbo, OMNESq; male habentes ſanauit. Et apud Marcum, neceſſe habet nauicula ſecedere, ne turba ipſum p̃meret. Multos em̃ ſanauerat, ita ut irruerent in eum, quo illum tangerẽt, quotquot affligebant. Et Petrus: Ieſum Nazarenum unxit deus ſpiritu ſancto & uirtute, qui obambulauit bñfaciendo & ſanando OMNES opp̃ſſos à diabolo, quoniã deus erat cum illo. Quota autẽ pars horum miraculorũ ſingulatim literis mandata eſt? Quam pauca etiã cõſcripta ſunt, de ijs rebus, quæ in nomine Chriſti geſtæ ſunt per Apoſtolos, poſt Pentecoſten? Paulus teſtificat ſuo tempore, Euangelion prędicatũ eſſe apud uniuerſam creaturã, & fructificare in toto mũdo. Obſecro te, q̃ inſignes, putas Apoſtolos habuiſſe contiones de Chriſto? q̃ memorabilia ædidiſſe miracula in noie Chriſti? Sed hęc plura fuerunt, q̃ quę ſcribi potuerint. Quare quę ſcripta ſunt, magna diligentia conſeruemus, & agamus DOMINO deo patri per Ieſum Chriſtum ſummas gratias, pro hoc bñfitio, q uiſum ſit ipſi, ut Euangelion filij ſui non ſolũ uulgaret inter gentes uoce Apoſtolorũ, ſed etiam propagaret ad poſteros ſcriptis eorũ. Nihil enim eorum, quæ nobis ad ſalutẽ noſtram cognitu neceſſaria ſunt, omiſſum eſt. Nam in hac Apoſtolica ſcriptura, quę ad poſteros propagata eſt, reuelatur & illuſtratur Chriſtus filius dei ſatis luculenter. Reuelato autem & illuſtrato Chriſto, nihil nobis ad uerã ſalutem deeſt, niſi nobis ipſis impietate & incredulitate defuerimus. Nam quod ad Chriſtum attinet, quiſquis accipit ipſum per fidem, is accipit remiſſionẽ peccatorũ, ſpiritum ſanctum, adoptionẽ in filium & hęredem dei, liberationem à morte, & ęternã beatitudinẽ, idq; nullis prorſum meritis humanę iuſtitię, ſed gratuita tm̃ miſericordia, propter Ieſum Chriſtum unicum & ſolum ſeruatorem noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto deus benedictus in ſecula, Amen.

Colo. 1.

FINIS.

fv43963-4

HALÆ SVEVORVM
Excudebat Petrus Frentius,
Anno salutis,
M. D. XXXXVIII.
MENSE Maij.